Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Immanuel Johann Gerhard Scheller

Imman. Io. Gerh. Schelleri Praecepta Styli Bene Latini In Primis Ciceroniani Seu Eloquentiae Romanae Quatenus Haec Nostris Temporibus In Dicendo Et Scribendo Usurpari Potest : Summa Diligentia Maximoque Perspicui Tatis Studio Tradita Et Illustrata

Pars Posterior

Editio Tertia Auctior Et Emendatior, Lipsiae: Sumtibus Caspari Fritsch, MDCCLXXXXVII

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375

Band (Druck) Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0001
DFG

18.8.

Cd_554.

~~C.II.d.3207.~~

C II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862953375/phys_0002
DFG

IMMAN. IO. GERH. SCHELLERI

PRAECEPTA

STYLI BENE LATINI

IN PRIMIS CICERONIANI

SEU

ELOQUENTIAE ROMANAE

QUATENUS HAEC NOSTRIS TEMPORIBUS
IN DICENDO ET SCRIBENDO
USURPARI POTEST

SUMMA DILIGENTIA MAXIMOQUE PERSPICUI
TATIS STUDIO TRADITA ET ILLUSTRATA

PARS POSTERIOR

EDITIO TERTIA AUCTIOR ET EMENDATIOR

LIPSIAE
SUMTIBUS CASPARI FRITSCH
cIↃIↃccLxxxxvII

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862953375/phys_0006
DFG

CONSPECTUS
PARTIS POSTERIORIS

Pars Posterior, *de tribus virtutibus primariis eloquentiae, perspicuitate, gravitate, et suavitate dicendi* pag. 513
Cap. I De perspicuitate dicendi 514
Sect. I Perspicuitas est summe necessaria 514
Sect. II Quid sit perspicuitas dicendi, accuratius explicatur 515
Sect. III De fontibus perspicuitatis remotioribus s. generalibus 518
I) Ingenium bonum 518
II) Doctrina solida et subtilis 521
III) Modestia 523
IIII) Cognitio hominum 523
V) Linguae accurata cognitio 524
VI) Prudentia 525
VII) Sunt et alii fontes, v. c. hilare ingenium, magistri disciplina etc 526
Sect. IIII De fontibus perspicuitatis propioribus in universum 526
Sect. V A) De fontibus perspicuitatis propioribus in explicandis rebus s. ideis 527
Sect. VI 1) *De adjectione causarum* 527
I) Thesi generali adduntur causae 528
1) *Satis firmae* 528
2) *Satis multae* 529
3) *Causae debent recte tractari* 529
4) *Debent repeti* 531
II) Adduntur causae aliis enuntiationibus 532
A) Diserte 532
B) Tecte 534
1) *Omissione particulae causalis* 534
2) *Per* qui quae quod 535
3) *Per particulam*, si *pro* quia cum *ete.* 536
4) *Per adpositionem* 538
5) *Per participia* 538
6) *Per periphrasin* 539
7) *Causa praeponenda* 539
Sect. VII 2) *De adjectione exemplorum* 540
1) *Exempla debent rei convenire* 541
2) *Esse vera* 541
3) *Recte tractari* 542

Sect. VIII 3) *De adjectione testimoniorum* pag. 542
Sect. VIIII 4) *De adjectione conditionis* 544
Sect. X 5) *De adjectione modi* 546
Sect. XI 6) *De adjectione instrumenti* 549
Sect. XII 7) *De adjicienda idea temporis* 551
Sect. XIII 8) *De addenda idea loci* 552
Sect. XIIII 9) *De adjectione effectus* 553
Sect. XV 10) *De periphrasi* 555
Sect. XVI 11) *De dissolutione Totius in partes, Generis in species et Individua* 557
Sect. XVII 12) *De comparatione ac similitudine addenda* 559
Sect. XVIII 13) *De repetitione idearum* 565
Sect. XVIIII 14) *De pictura rei addenda* 569
Sect. XX 15) *Additamenta ad fontes perspicuitatis rerum* 570
Sect. XXI B) De fontibus perspicuitatis propioribus in usu verborum 571
Sect. XXII 1) *De delectu vocabulorum singulorum Debent eligi* 571
I) Vera 572
II) Nota 574
III) Debent sumi significatione nota 578
IIII) Debent esse apta h.e. notionibus respondere 581
V) Debent ambiguitate carere 583
Sect. XXIII 2) *De perspicuitate in conjungendis vocabulis* 585
I) Substantivis debent verba *addi convenientia* 585
II) Verbis *addi debent adverbia convenientia* 586
III) Substantivis addi debent adjectiva convenientia et sufficientia 587
IIII) Adjectiva saepe mutari debent in substantiva 592
V) Substantivo aliud substantivum additur 593
VI) Non peccari debet in casu, numero, genere substantivorum, in tempore, modo Verborum 596
VII) Non debet peccari in usu participiorum 601
VIII) Subjecti idea ab idea praedicati debet facile discerni posse 602
VIIII) Nominativus princeps non facile omitti debet 604
X) Praepositio A, *notans temporis initium, libenter ante se habet* inde 606
XI) Parentheses longae vitandae 606
XII) Post parenthesin additur inquam, igitur, ergo, sed, verumtamen, sed tamen 606

XIII)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0008
DFG

XIII) Vocabulum obscurius explicatur vel aperte vel tecte pag. 608
XIIII) Repetitur eadem idea vel per idem vocabulum vel per alia ei substituta 608
XV) Rarae constructiones vitandae 610
XVI) In usu particularum conjunctivarum debet inesse perspicuitas 611
XVII) Vocabula similia cum cautione adhibenda 614
XVIII) Periodis longioribus et crebrioribus abstinendum 617
XVIIII) Abstinendum est ellipsibus durioribus 618
XX) Vocabulis relativis hic, ille, alter alter *recte utendum* 619
XXI) Duo pluresve genitivi non facile jungendi 621
XXII) Vitandus est concursus plurium infinitivorum 622
XXIII) Superlativus vernaculus magis perspicue per comparationem exprimitur 622
XXIIII) Brevitas dicendi saepe prodest perspicuitati 623
Sect. XXIIII 3) *De ordine vocabulorum, ut fonte perspicuitatis* 624
Sect. XXV 4) *De connexione vocabulorum* 630
Cap. II De Gravitate dicendi 632
Sect. I Quid sit gravitas? 632
Sect. II De fontibus gravitatis remotioribus 634
I) Animus generosus 635
II) Ingenium praeclarum 636
III) Doctrina lata et solida 636
IIII) Cognitio humanorum animorum 636
V) Cognitio opinionum humanarum 637
VI) Linguae lata et accurata cognitio 638
VII) Alia, v. c. auctoritas hominis, vox etc. 638
Sect. III De fontibus gravitatis propioribus 638
I) Debet doceri rei magnitudo 638
Id quod fit
1) *E fontibus s. causis magnis* 638
2) *Ex effectis* 639
3) *Ex modo* 639
4) *E consilio* 640
5) *Ex instrumentis* 640
6) *E temporis celeritate et opportunitate* 640
7) *E loci natura* 641
8) *E personarum conditione et relatione* 642
9) *E comparatione cum aliis* 642
II) Circumscriptio 646

III) Partitio pag. 647
IIII) Pictura rei s. descriptio 648
V) Testimonium grave 650
VI) Sententia acuta et gravis 650
VII) Loqui adseveranter et cum persuasione animi 652
VIII) Dilemma 656
VIIII) Interrogatio 657
X) Exclamatio 657
XI) Sermocinatio 658
XII) Repetitio idearum vel per diversa vel per eadem vocabula, 1) conjunctim 2) ab initio membrorum 3) in eorum fine 659
XIII) Correctio 660
XIIII) Confirmatio, adversarium ipsum concedere 661
XV) Retorsio argumenti ab adversario prolati in illum ipsum 662
XVI) Concessio 662
XVII) Praeteritio 663
XVIII) Dubitatio 665
XVIIII) Occupatio 666
XX) Praeparatio lectoris vel auditoris ad rem magnam 667
XXI) Communicatio 667
XXII) Oxymora 668
XXIII) Ironia 669
XXIIII) Adjectio causae 670
XXV) Brevitas dicendi in omittendis ideis 671
XXVI) Brevitas in arctius contrahendis ideis 674
XXVII) Abruptum dicendi genus 676
XXVIII) Oppositio idearum contrariarum 678
XXVIIII) Honestatis studium ubique apparens 680
XXX) Repetitio eorundem vocabulorum 681
XXXI) Mutatio languidioris vocabuli in fortius 682
XXXII) Adjectio vocabuli ad vocabulum 688
XXXIII) Mutatio unius enuntiationis in plures 694
XXXIIII) Crebra repetitio copulae s. polysyndeta 695
XXXV) Collocatio verborum gravis 696
XXXVI) Clausula gravis absolutae sententiae 698
XXXVII) Concinnitas membrorum 699
XXXVIII) Delectus literarum et syllabarum 700
XXXVIIII) Vocis gravitas 701
Cap. III De suavitate dicendi 703
Sect. I Quid sit suavitas dicendi? 703
Sect. II De ejus necessitate 703
Sect. III De fontibus suavitatis remotioribus 703

Sect.

Sect. IIII De fontibus ſuavitatis propioribus pag. 704
I) Perſpicuitate dicendi 705
II) Gravitate dicendi 705
III) Juſta brevitate et juſta copia dicendi 706
IIII) Modeſte de nobis dicendo 706
V) Modeſtia et humanitate erga alios ubique declaranda 707
VI) Obſervanter loquendo de magis viris 708
VII) Leniter loquendo de inimicis 709
VIII) Leniter et tecte vituperandis hominibus 709
VIIII) Significando, nos eſſe faciles et virtutum amantiſſimos 710
X) Vitandis plebejis vocabulis 711
XI) Vitandis vocabulis obſcoenis 711
XII) Vitandis vocabulis, quae rem ingratam proprie indicant 712
XIII) Novitate elocutionis 714
XIIII) Variatione ſententiarum et vocabulorum 716
XV) Genere ſcribendi non adfectato 717
XVI) Aequali ſcribendi genere 720
XVII) Vegeto ſcribendi genere 721
XVIII) Deſcriptionibus rerum ſuavibus 723
XVIIII) Jocis apte adhibitis interdum 724
XX) Acute dictis 725
XXI) Repetitione vocabuli eodem ſenſu 733
XXII) Repetitione ejusd. vocabuli, ſed diverſo ſenſu 733
XXIII) Repetitione ejusdem fere vocabuli, ſed paulum mutati cum ſenſu contrario 734
XXIIII) Repetitione eorundem vocabulorum, ſed inverſo ordine 735
XXV) Conjunctione contrariorum ſ. antithetorum 736
XXVI) Periodo 738
XXVII) Numeris oratoriis 740
XXVIII) Vitanda inani eorundem vocabulorum repetitione 742
XXVIIII) Vitanda repetitione ejusdem ſyllabae 748
XXX) Vitanda eadem terminatione plurium vocabulorum 748
XXXI) Vitando nimio concurſu ejusdem literae 750
XXXII) Vitando aſpero concurſu vocabulorum, et contra laevi ſequendo 750
XXXIII) Cavendo, ne ſententia orationis proſaicae clauſula poetica terminetur vel ne nobis verſus poeticus excidat 754

XXXIIII)

XXXIIII) Vitando omni concursu syllabarum et literarum, qui aliquid obscoenae ideae in mente aliorum excitet pag. 755
Appendix I De subsidiis quibusdam styli latini 757
Sect. I De lectione priscorum 757
Haec lectio debet esse
I) adsidua 757
II) accurata 760
A) In lectionibus publicis 760
B) Domi 775
Sect. II De exercitatione in latine scribendo, dicendo, cogitando 784
I) Exercitatio in latine scribendo a) scholastica 784
b) domestica 784
II) Exercitatio in latine dicendo 789
III) Exercitatio in latine cogitando s. meditando 791
Sect. III Additamenta de imitatione priscorum ipsa 793
I) Qualis debeat esse imitatio 794
II) Quis priscorum praecipue imitandus 798
Appendix II De elaborationibus 804
Sect. I De elaborationibus s. scriptionibus in genere 805
Sect. II De elaborationibus in specie 806
Sect. III De orationibus proprie sic dictis 806
Sect. IIII De narrationibus 815
Sect. V De conscribendis epistolis 819
Sect. VI De libellis ad doctrinam pertinentibus 826
Appendix III De variis divisionibus generum dicendi 827
Sect. I Prima divisio in demonstrativum, deliberativum, *et* judiciale 828
Sect. II Altera divisio in genus dicendi tenue, mediocre *s.* temperatum, *et* sublime 829
I) Tenue 830
II) Mediocre 831
III) Sublime 832
Sect. III Tertia divisio in genus dicendi Asiaticum, Rhodium, Atticum, Laconicum 839
I) Asiaticum 840
II) Rhodium 840
III) Atticum 841
IIII) Laconicum, *an fuerit?* 845

PARS POSTERIOR

DE

TRIBUS VIRTUTIBUS PRIMARIIS ELOQUENTIAE ATQUE STYLI

PERSPICUITATE, GRAVITATE AC SUAVITATE

Tres ſunt, ut omnis eloquentiae, ita ſtyli bene latini virtutes primariae, *perſpicuitas*, *ſuavitas* et *gravitas* dicendi: illa rem planam ac dilucidam reddit, efficitque, ut ſingula recte intelligantur: iſta auditores lectoresque delectat atque ita eorum favorem et adtentionem conciliat: haec tandem efficit, ut res magna recte ſentiatur atque ita lectoris auditorisque animus ad eam amandam, admirandam, agendam vel contemnendam, fugiendam, et averſandam incitetur. *Copia dicendi*, *brevitas*, *ornatus*, et ſi quae aliae numerantur virtutes eloquentiae, ſunt illis tribus ſubjectae, iisque ſerviunt: ut ideo melius ſubſidia harum trium virtutum quam ipſae virtutes eloquentiae dici mereantur: niſi forte ſecundarias vocare libeat: id quod tamen eodem redeat.

CAP. I

DE PERSPICUITATE DICENDI

SECT. I

Perſpicuitas eſt ſumme neceſſaria.

Perſpicuitas dicendi eſt haud dubie princeps virtus eloquentiae, et omni tum ſcribenti tum dicenti tam neceſſaria, ut hic ſine ea garriat tantum, omnisque et ſuavitas et gravitas neceſſario pereat. Ejus neceſſitas patet primum per ſe. Nam cur loquimur et ſcribimus? nonne ut intelligamur? Verba enim ſunt ſigna rerum. Qui itaque ita loquitur, ut non intelligatur, is ſibi ipſe repugnat et auditorem illudit. Omnis et ſcriptor et orator vult perſuadere. Quod quomodo efficere poteſt, niſi argumenta ejus etc. intelligantur? Omnis ſcriptor et orator vult placere, ut adtentionem legentium et audientium excitet. Quod quomodo ſine perſpicuitate fieri poteſt? Vult tandem quoque ſaepiſſime animos eorum movere, flectere, incitare: quomodo hoc fieri poteſt, ſi ipſe non intelligitur? Omnia igitur nituntur perſpicuitate: omnis perſuaſio, omnis ſuavitas, omnis gravitas dicendi, omninoque omnis eloquentia. Nam omnes tropi, figurae, et ornamenta eo tendunt, ſaltem eo tendere debent, ut res quam maxime perſpicua fiat: hinc rhetores figuras adpellant *lumina*. Et gravitas dicendi quid aliud eſt quam ſummus gradus perſpicuitatis? — Altera cauſa, cur perſpicuitas ſumme ſit neceſſaria, eſt humanitas. Humanitatis eſt hominibus aditum ad nos quam facillimum reddere. Inhumanus foret, qui ad ſe venienti amico multa impedimenta opponeret, et v. c. fores obſeraret vel eum per longas ambages, easque minime neceſſarias, ad ſe venire juberet. Qui nos legit, eſt ſimilis ei, qui ad nos venit colloquendi cauſa. Nonne tam humani eſſe debemus, ut, quae

ille

ille legat, etiam mox intelligat? Aeque ſe res habet cum oratore, qui ſemper inhumanus eſt, ſi ita loquitur, ut auditores vel plane non vel aegre ejus cogitationes percipiant.

SECT. II

Quid ſit perſpicuitas dicendi, accurate explicatur.

Perſpicuitas dicendi et *ſcribendi* cernitur in eo, ſi quis rem quamlibet ita explicat, omninoque ita vel loquitur vel ſcribit, ut et ipſe et res facile intelligatur ab iis, quibus ſ. quorum gratia vel dicit vel ſcribit. Quatuor itaque requiruntur. a) *Primum et loquens et ſcribens debet intelligi ab audiente et legente* h. e. auditor et lector debet in audiendis et legendis alicujus verbis plane idem cogitare, quod hic, dum loquebatur et ſcribebat, cogitarat, atque cum ſingulis verbis vel loquentis vel ſcribentis easdem plane notiones conjungere, quas hic uterque cum illis conjunxerat. b) *Deinde res ipſa debet plane intelligi*, h. e. auditor et lector videre debet non modo, rem, quae traditur, veram eſſe, ſed etiam, cur vera ſit credique debeat: id quod argumentis, exemplis etc., eorumque juſta tractatione fieri ſolet. Poſſis hanc dicere perſpicuitatem *rerum*, ut illam *verborum*. Neque enim perſpicuitas ad ſola *verba* pertinet, verum quoque ad *res*, earumque rectam ſubtilemque explicationem. c) *Porro loquens et ſcribens debet facile intelligi*, hoc eſt, ut non opus ſit ſenſum verborum operoſe inveſtigare vel ſenſa animi conjectura demum adſequi: quia alioqui taedium creatur, adtentio minuitur, ac liber abjicitur, e veteri proverbio: *qui non vult intelligi, non debet etiam legi.* Peccant hic nonnulli recentiores, qui, dum argutias, neſcio quas, et quandam brevitatem captant, ut pulchre docteque ſcripſiſſe videantur, in ob-

ſcuritatem incidunt. Nemo pulchrius ſcribit et loquitur, quam qui perſpicue ſcribit et dicit. d) *Tandem loquens et ſcribens non ab omnibus promiſcue intelligatur neceſſe eſt, ſed ab iis ſolis, quorum gratia ſcribit vel loquitur.* Auditorum et lectorum ſemper habenda eſt ratio. Hoc tenendum, ne vitium obſcuritatis cuipiam temere objiciamus. Qui v. c. nova inventa mathematica in lucem edit, is, ſi a ſolis Mathematicis intelligitur, ſatis perſpicue ſcripſiſſe cenſendus eſt: his enim ſolis ſcripſerat. Neque ergo, quia imperiti iſtius artis mentem ejus adſequi non valent, propterea obſcuritatis crimen ſubire debet: his enim non ſcripſerat. Et ſic in aliis diſciplinis: in quibus ſi quid novi aliquis profert, perſpicuitatis laude ita ornandus eſt, ſi ab iis, qui iſtas diſciplinas tractarunt, facile intelligitur. Sic Criticus, criticas animadverſiones in linguas priſcas priſcosve ſcriptores edens, ſi ab Criticis facile intelligitur, perſpicue ſcripſit, nec eſt, quod querelas artis criticae imperitorum curet: his enim nec ſcripſerat nec ſcribere potuerat. Carmina porro epica continent maximam fere partem ea, quae doctrinam non vulgarem ſpirant, vel ſaltem exercitatam et ſubactam lectoris mentem deſiderant. Quid itaque mirum, illa a quolibet intelligi haud poſſe? Hinc, ut de vernaculis loquar, Klopſtockius, qui inter vernaculos poetas epicos principatum tenere hodie putatur, ſi ejus Meſſias a multis non intelligitur, propterea culpandus non videtur: doctis enim ſolis ſcripſit haud dubie. Saepius tamen optavi, placuiſſet ei ingenium ſuum quoque accommodare ad intelligentiam indoctorum, ut et hi carmen illud nobiliſſimum legere poſſent. Ac profecto perſpicuitas poſſet magis communis reddi, niſi ſcriptores primum crederent, in verbis exquiſitioribus et rarioribus ineſſe majorem pulchritudinem et gravitatem, deinde mythologiam gentilium e priſcis gentilibus hauſtam in ſuos libros inveherent, iisque tanquam

quam gemmis cogitationes ſuas diſtinguendas putarent. Equidem omne pulchrum, omne grave, pono in notionibus, non in verbis. Gravitas et pulchritudo rei ac notionis vera ubique adparet, etiam in vulgaribus verbis, ut pulchrum corpus nihil pulchritudinis amittit in veſtitu vulgari et noto. Moſes graviſſime loquitur: *Et deus dixit: fiat lux, et facta eſt lux.* Verba ſunt ſimpliciſſima et notiſſima. Graeci, homines ſenſibus maxime addicti et auribus auditorum titillandis nati, verborum pompam et lenocinia repererunt, quibus homines adlicerent et delectarent: a quibus hauſit Cicero illorum diſcipulus, auramque popularem captans. Hinc Grammatici et Rhetores, qui ſe ad guſtum hominum accommodare ſolent, illa lenocinia verborum in formam artis adeo redegerunt. An vero nos ſeveri Germani Graecos illos ubique imitandos ſumere debeamus, aliis judicandum relinquo. Hoc tantum moneo, pompam verborum, ad pulchritudinem ac gravitatem rei declarandam exquiſitorum, ſaepius movere ſuſpicionem, rem ipſam non pulchram per ſe ac gravem eſſe. Idem valet de mythologia aliisque figmentis. Condonanda haec ſunt Graecis et Romanis, utpote gentilibus. Cur repetimus talia chriſtianis auribus et oculis; cum ſint obsoleta et ab noſtris moribus ac ſacris abhorrentia? Veritatem ſequamur potius; et miſeri ſumus, ſi non ubique vere loqui poſſumus, ſed ad figmenta confugere cogimur. Scio, quid contra dici poſſit. Scio vero etiam, nullam veram utilitatem e mythologia aliisque figmentis, v. c. fabulis romanenſibus etc., a genere humano percipi poſſe vel unquam perceptam eſſe. Haec hactenus. Redeo ad perſpicuitatem. Si quis tandem omnibus promiſcue, et doctis et indoctis, ſcribit aut dicit, utrorumque intelligentiae conſulere debet: ut adeo, ſi a plebe non intelligatur, perſpicue ſcripſiſſe minime dicendus ſit. Hanc in claſſem maxime quatuor

tuor ſcriptorum genera refero 1) qui fabulas, ad corrigendos hominum animos inventas, ſcribunt 2) qui capita doctrinae morum populari modo tractant, qui vitia hominum, non tantum doctorum ſed et indoctorum perſtringunt more Rabeneri etc., it. qui de diſciplina domeſtica, de puerorum inſtitutione corrigenda, ſcribunt etc. 3) qui orationes ſacras edunt 4) qui capita diſciplinae et artis alicujus indoctis explicare ſtuduerunt. Id quod in arte medendi (nam in Theologia dudum factum eſt) a nonnullis hodie cum plauſu factum videmus. In his nomino Unzerum et Tiſſotum: qui profeſſi ſunt, ſe, non medicis, ſed artis medendi imperitis ſcripſiſſe. Nec negaverim, multa in eorum libris indoctos, h. e. qui non ſint medici, intelligere atque ita diſcere poſſe, v. c. de puri aëris utilitate, de uſu pomorum ſalubri, aliaque, quae ad diaetam univerſam pertinent, itemque de ſignis morborum univerſis etc. At permulta imo pleraque inſunt, quae non niſi a medico intelligantur, ut iſti duumviri dicendi ſint vel legem perſpicuitatis per imprudentiam migraſſe vel tantum ſimulaſſe, ſe indoctorum gratia ſcribere. Omnino omnis perſpicuitas eſt res difficilis. Ac longe majoris eſt artis ac difficultatis ita ſcribere, ut ab indoctis intelligare, quam ita, ut ab doctis. Hi enim ſaepiſſime, quae deſunt, mente et cogitatione facile ſupplere, et, quid ſcriptor voluerit, conjectura quodam modo adſequi poſſunt.

SECT. III

De fontibus perſpicuitatis remotioribus ſ. generalibus.

Fontes perſpicuitatis remotiores ſunt hi:

I) Primus fons eſt *ingenium bonum*, ſine quo nihil omnino praeclari fieri poteſt. Per *ingenium* hic intelligo non *illam facultatem mentis ſimilitudinem rerum perſpi-*

perſpiciendi et *obſervandi* (Witz) ſed ex uſu loquendi vulgari *totum complexum egregiarum virtutum ſeu facultatum mentis, den guten Kopf, das gute Genie.* Hoc *ingenium* duabus rebus ſeu virtutibus primariis, de mea quidem ſententia, continetur: a) *primum phantaſia praeclara et feraci*, qua et *ideae notionesque priſcae facillime repetuntur* (hactenus eſt mater memoriae felicis) et *novae ideae notionesque facillime inveniuntur*, vel ſua ſponte ac ſaepe temere vel in primis ſimilitudine aut conjunctione aliqua notionum anſam praebente: b) *deinde praeclaro ſubactoque judicio*, h. e. facultate facile ſentiendi et animadvertendi, quae ideae ac notiones ſibimet invicem conveniant, quae non, atque ita vel conjungi vel disjungi debeant: quae facultas oritur maxime ope adtentionis, ingeniis bonis ſemper propriae, ut quae cujusque rei ſigna facile et ſua ſponte obſervare ſolent, ſi quidem illa adtentio bene culta et exercitata eſt. Utraque iſta facultas (phantaſia et judicium) conjuncta debet in eo eſſe, cui ingenium bonum tribuere rite volumus. Phantaſia, ſine qua judicium eſſe nequit, colligit et ſuppeditat variarum idearum et notionum multitudinem, eſtque inſtar condi promi. Iudicium deinde has digerit conjungitque apte atque ita, ut ſingularum natura ac relatio poſtulat. Iam quomodo, quaeſo, judicium notiones apte digerere ac ſuo quamque loco, velut imperator milites ſuos, collocare poteſt, niſi jam in mente reperit multas variasque notiones a ſola phantaſia exſpectandas et arceſſendas? Miror igitur eos, qui aliquem ajunt poſſe ingenio carere, et tamen praeclaro judicio inſtructum eſſe, eumque, qui judicio valeat, ei, cui bonum ſit ingenium, praeferendum eſſe. Neſcio profecto, quid loquantur, vel potius ipſi neſciunt. Videntur fortaſſe partem cum toto, phantaſiam cum ingenio, confundere, vel per ingenium intelligere facultatem illam mentis ſimilitudinem rerum inveniendi,

den Witz: nam et haec et phantaſia nomine ingenii a Cicerone inſignitur. Nullo modo fieri poteſt, ut homo, carens phantaſia praeclara, judicio praeclaro utatur. At homo, licet careat judicio praeclaro, tamen praeclara phantaſia inſtructus eſſe poteſt, ac vel ſic quodam modo laudem ingenii boni meretur. Neque enim tantum phantaſia eſt pars certiſſima ingenii boni, ſed etiam, ut e ſuperioribus patet, baſis et fundamentum judicii, h. e. ſuppeditat menti facultatem materiamque judicandi. Sed quod non omnes, qui phantaſia egregia utuntur atque adeo ſaepe abundant, judicio ſubtili praeclaroque inſtructi ſunt, hujus rei culpa non ineſt in natura mentis eorum, quippe quae eſt aptiſſima judicio vel ſubtiliſſimo, ſed vel in parentibus et magiſtris, qui illorum mentem mature ad rerum cauſas et ordinem adtendere non juſſerunt, ſicque eam acuere et ſubtiliter judicando notionibusque recte vel conjungendis vel disjungendis adſuefacere neglexerunt, vel in ipſis illis, v. c. in negligentia, in animi commotionum fervore etc. Homo v. c. nimia honoris, pecuniae, ultionis etc. cupiditate flagrans, aliisque animi perturbationibus nimis deditus (et homines, quo ſunt feliciori ingenio h. e. phantaſia praediti, eo fervidioribus animi motibus trahuntur, niſi mature eos regere et opprimere didicerunt, idque in primis mature corrigendo et ad ſubtilitatem adducendo judicio), homo, inquam, animi motionibus nimis obnoxius harum tumultu facile impeditur, quo minus ſeriem et relationem idearum perſpiciat ac rem quamque legitime judicet. Nam judicium legitimum ac ſubtile requirit animum placidum atque tranquillum. At ille, licet perperam ſaepe judicet, tamen propterea laude phantaſiae praeclarae atque ita boni ingenii non ſimpliciter eſt privandus. Qui vero cuiquam phantaſia praeclara, parte illa boni ingenii primaria, manifeſto carenti judicium tribuunt, idque, ut nonnunquam addunt,

addunt, egregium, eos toto, quod ajunt, coelo errare e ſupra dictis adparet. Fortaſſe viderunt aliquando aliquem, praeclara phantaſia carentem, *judicia aliquot recta ac praeclara proferre.* An vero propterea judicavit? Forſitan aliorum, v. c. magiſtri, parentum etc., judicia, ut fit, pro ſuis venditavit, atque ita duntaxat id, quod audiverat ac memoria tenebat, memoriter recitavit. At qui non ſua ſponte judicat, h. e. qui ſuum vel adſenſum vel diſſenſum non ſuopte ingenio declarat, ſed aliorum dictata repetit, is ne judicare quidem, nedum praeclare judicare, dici poteſt. Quae hic dixi, nituntur experientia, quae in ejusmodi rebus debet decernere. Memini, parentes quosdam, cum filios meae diſciplinae traderent, mihi dicere, eos, licet non ingenio bono, at judicio egregio, inſtructos eſſe. At vidi, hos eſſe ſtupidiſſimos. — Hoc igitur ingenium bonum, late ſic dictum, *der gute Kopf, das gute Genie*, conanti perſpicue ſcribere et dicere ſumme neceſſarium eſt. Sentit enim illud difficultatem rei cujusque, ſentit defectum cauſarum, connexionis, et omnium eorum, quae perſpicuae explicationi ſerviunt, atque ita ea ſupplere poteſt: adtendit ad argumentorum levitatem, pondus, connexionem etc., et ſcit, unde ſumat: ſuppeditat enim ſimul omnia, quae ad perſpicuitatem pertinent.

II) Alter perſpicuitatis fons eſt *doctrina ſolida ac ſubtilis:* quam et cognitionem rerum philoſophicam dixeris: quae cernitur in eo, ut non ſolum multa didiceris (nam omnes fere diſciplinae omnesque fere artes eloquentiam adjuvant) ſed etiam ita didiceris, ut non tantum ſingularum rerum, quas noris, cauſas easque juſtas, verum quoque, ſi fieri poteſt, harum cauſarum cauſas ſcias et memorare facile queas. Theologus v. c. inſtructus eſt doctrina ſolida, ſi ſingula Theologiae capita non modo tenet, ſed etiam loca librorum ſacrorum novit, quorum auctoritate illa ca-

pita nitantur: at nec hoc ſufficit: debet etiam noſſe, quomodo ea ex iſtis locis legitime demonſtrari ac defendi poſſint. Sic Philologus ſolida eruditione praeditus eſt, ſi v. c. hiſtoriam priſcam vel antiquitates romanas graecasve non modo novit, ſed etiam dicere poteſt, quibus priſcorum locis illae nitantur et quomodo inde eruantur. Per ſe patere judico, doctrinam ſolidam, quae ſine ingenio bono parari non poteſt, eſſe fontem perſpicuitatis certiſſimum. Nam, quod in rebus ſenſuum imperio obnoxiis ſunt ſigna externa, idem ſunt in rebus ſenſus non ferientibus argumenta ſ. cauſae. Hae etenim ſunt ſigna veritatis; et veram rem eſſe non aliunde, quam e cauſis adlatis ſ. argumentis, colligimus. Qui Logicen vel adtigit, is novit, ideam ſ. notionem diſtinctam dici eam, quando ſigna objecti noris; eamque magis diſtinctam et adaequatam (ut vulgo loquuntur) fieri, ſi ſignorum ſigna memorare queas. Iam, qui rerum, de quibus dicere ac ſcribere parat, cauſas ac, ſi fieri poteſt, cauſarum cauſas novit, ut tali modo mens ejus non niſi notionibus maxime diſtinctis et adaequatis, ut Logici adpellant, utatur atque ita in clariſſima luce verſetur, nonne is, quae diſtincte novit et cogitat, ea etiam diſtincte ac perſpicue dicere poſſit et ſcribere? Nihil facilius eſſe dixerim: debet enim ille, quae cogitat, ea duntaxat eloqui vel calamo excipere. Hinc ego ſemper, ſi quem doctorum video perſpicue aliquid tradere, eum puto id accurate ſcire ſeu cognitione ejus ſolida ſubtilique ornatum eſſe. Qui contra de re contorte, obſcure et confuſe, diſerunt, ii plerumque eam non accurate tenere videntur: ac raro iis credendum eſt, qui adfirmant, ſe rem egregie ſcire, at verbis exprimere perſpicue non poſſe. Neque tamen nego, interdum accidere poſſe, ut homo pereruditus remque egregie callens tamen eam obſcuris verbis tradat, atque ita perſpicuitati officiat. Verum hoc e ſuperbia quadam

dam plerumque nasci puto, qua inflatus homo sibique nimis placens artificium scribendi, more puerorum, ostentare ac laudem scilicet magnam magnae eruditionis inde consequi cupit: quasi eruditionis sit magnae, vel verba rara adhibere vel sensa animi ea verborum obscuritate involvere, ut nemini eo penetrare liceat. Hinc

III) *Modestiam* fontibus perspicuitatis adjungo. Modestia monere nos potest, ut laudem non ponamus in iis, quae aliis displiceant, atque ita in scribendo dicendoque talia verba talemque eorum compagem sequamur, ut facile nos alii intelligant. Quod nobis in aliis non placet, id aliis in nobis aeque non placebit. Non placet nobis aliorum obscuritas in dicendo ac scribendo: ergo et nostra aliis displicebit, hincque eam vitare nostrum est. Stultus erat ille magister apud Quintil. Instit. VIII, 2, qui discipulos, quae scriberent, obscurare jubebat, utens verbo σκότισον h. e. *quo obscurius, eo melius.* Imo, quo obscurius, eo stultius.

IIII) Quartus perspicuitatis fons est *cognitio hominum.* Intelligo hic eam, quando novimus, quid homines vulgo intelligant et intelligere possint, quid non. Orator et scriptor, si hoc nescit, quomodo se ad illorum intelligentiam accommodare potest? Quotus vero quisque est, qui hominum mentes accurate norit, et qui id agat, ut antea, quam aliquid dicat vel scribat, sedulo indaget, an lectores et auditores singula recte intellecturi sint? Plerique putant, quia ipsi ea intelligant, quae scribant et dicant, propterea etiam auditores lectoresque esse intellecturos. In quo valde errant: nam, quin vel obscurissime scribens dicensve, quae scribat dicatve, ea intelligere ipse possit, quis dubitet? Diu enim meditatus est, remque ita familiarem sibi reddidit. At auditor et lector insçias aures et oculos insciamque mentem secum adferunt. —

Sed

Sed unde addiſcitur iſta cognitio hominum? Variis ex rebus: primum ex uſu hominum, ſi crebro de variis rebus cum illis disputes, ſi more Socratis te inſcium eſſe plane ſimules ac doceri cupias, ſi de iis, quae legerint, audiverint, interroges, quomodo ea intellexerint etc. Deinde ex te ipſo, ſi crebro te interroges, quid de hac vel illa re cogites, quomodo explicare velis, ſi forte ſubito hoc facere jubeare etc. In primis tandem ex inſtitutione diligenti adoleſcentum. Hic crebra eſt occaſio humanae mentis rationem, vires, imbecillitatem, inſcitiam indagandi. Hinc fieri videmus, ut, quo quis diutius in erudienda adoleſcentia verſatus ſit, idque cum fide, diligentia et religione ſumma, eo magis ille perſpicue rem tradere poſſit. Caſaubonus, Geſnerus et Erneſti, ut plures taceam, hoc ſuis exemplis docent. Nec tamen negandum eſt, ingenio bono opus quoque eſſe ad mentis humanae vires explorandas.

V) Quintus fons perſpicuitatis eſt *linguae*, qua in dicendo et ſcribendo uteris, *accurata cognitio*. In quaque lingua ſingulae notiones variis illae quidem modis exprimi poſſunt, ſed eſt tamen alius alio aptior et dilucidior: ac plerumque unus eſt aptiſſimus et maxime perſpicuus. In omni lingua ſunt vocabula rara, obſcura, ambigua, perſpicua, propria; conſtructiones et connexiones ambiguae, contortae, faciles, perſpicuae etc. Quas omnes res ſi non ſatis noſti, ſi delectum earum habere neſcis, ſemper in periculo es, ne obſcuris ambiguisque vocabulis et conſtructionibus pro perſpicuis utare. At vero diu linguam aliquam tractaveris neceſſe eſt antea, quam eo pervenias, ut juſto vocabulorum delectu, ordine et conſtructione, ubique uti diſcas. Et dolendum eſt, hodie linguam adeo vernaculam a permultis negligi et inter res leves numerari; cum tamen lingua ſeu ſermo ſit imago mentis, et ſingula vocabula ſint imagines ſingularum notio-

notionum, ut adeo, qui linguam negligit et contemnit, mentem quoque negligere et contemnere videatur. Culturam linguae, tanquam rem supervacaneam, Criticis relinquendam putant, quasi non omnes omnino homines recte loqui et ea, quae alii recte loquantur, recte intelligere debeant. Quanto minus mirum est, latinae culturam vulgo negligi, praesertim cum homines non magnum illi pretium vulgo statui videant, sciantque, se latine non locuturos esse. Nam hodie nemo fere linguam vult discere, nisi eam, qua cum aliis loqui possit, v. c. Francogallicam etc., quasi linguae externae loquendi causa tantum discendae sint. Videntur vulgo de vernaculae usu ad usum omnium linguarum concludere. Sed unde linguae cognitio comparatur? E lectione bonorum librorum diligenti. Legendi igitur sunt, si vernacule cupis perspicue scribere et dicere, scriptores vernaculi optimi, h. e. qui eloquentiae atque ita perspicuitatis laude excellunt. Orator enim verus s. vere eloquens est ubique perspicuus. Ita, si latine cupis perspicue scribere ac dicere, legas frequenter scriptores priscos eloquentia claros, in primis Ciceronem, exemplar perspicuitatis probatissimum, nec cum vulgo putes, ex iis nihil praeter vocabula latina hauriri. Imo inde discimus artem recte, venuste, perspicue cogitandi, dicendi et scribendi.

VI) *Prudentia* quoque est fons perspicuitatis. Ea nos ab inepta inanique placendi cupiditate et adfectationis studio, matre obscuritatis, absterrere potest, docens nos, omnem verborum ornatum sine sententia pulchra esse puerilem; sapientem curare magis res ac sententias quam verba, utpote quae sponte sequi solent, modo recte cogitaveris. Stultum est in durioribus translationibus, trajectionibus etc., laudem sapientiae quaerere. Verba sunt instar vestis, sententia instar corporis. Iam quis vestis magis curam gerat quam corporis? vel verba sunt fere putamina, sententia

tia nucleus: hunc potius adpetimus. Ridiculus foret, qui hoſpiti ſuo fructus adponeret, quorum putamina picta auroque ornata, ipſi fructus eſſent putres vel vulgaris ſaporis.

VII) Sunt et alii perſpicuitatis fontes, v. c. ingenium hilare proclivius eſt ad facilitatem locutionis et perſpicuitatem, quam triſte: ac ſaepius illud pendet a liberaliori educatione, a fortunis etc. Aliud eſt ingenium in egeſtate aliud in divitiis educati. Magni quoque refert, quo magiſtro uſus ſis. Si magiſtrum triſtem et obſcuritatis ſtudioſum aut hilarem et perſpicuitatis amantem nactus es, facile te ad ejus ſimilitudinem conformabis: et *in teneris conſueſcere multum eſt.* Non parum quoque intereſt, quales libros primum legeris, utrum obſcure an perſpicue ſcriptos. Qui v. c. *Yungii, Britanni, cogitationes nocturnas* primum legit, et cum guſtu legit, ei ſaepe deinde alii libri minus ſapient, et is Yungiano more ſcribere cupiet: praeſertim cum nonnulli putent, ſi ipſorum cogitationes non ſtatim intelligantur, hoc eſſe ſignum majoris et exquiſitioris doctrinae etc.

SECT. IIII

De fontibus propioribus perſpicuitatis in univerſum.

Fontibus perſpicuitatis remotioribus recenſitis recenſebimus propiores h. e. eas res, quibus proprie perſpicuitas dicendi ſcribendique efficitur. Fontes hi propiores ſunt duplicis generis: pertinent vel ad res ſ. notiones, ad quas omnes enuntiationes quoque referendae, explicandas; vel ad verba, quibus et ſingulae et conjunctae notiones explicantur. Fruſtra eſt de verborum perſpicuitate laborare, niſi antea notiones, quas explicare verbis ſtudes, perſpicue et accurate h. e. ex omnibus partibus et adtributis atque, ut loquuntur,

tur, circumſtantiis cogites. Nam has partes omnes, haec adtributa, has circumſtantias verbis recte exprimere eſt perſpicue loqui ac ſcribere. Fontes igitur, niſi forte omnes, at praecipuos memorabimus.

SECT. V

A) *De fontibus perſpicuitatis propioribus in explicandis rebus* ſ. *notionibus.*

Fontes perſpicuitatis propiores in explicandis rebus ſ. notionibus cernuntur in additionibus juſtis novarum notionum, per quas illae res ſ. notiones certiores magisque definitae reddantur, atque ita lectores et auditores non modo eas plane, h. e. aeque ac ſcriptor et orator, intelligant, ſed etiam certas eſſe ſibi ſatim perſuadeant. Omni itaque obſcuritati, errori ac dubitationi, quae in animo auditorum et lectorum oriri poſſit, ſedulo ac mature occurrendum eſt, resque ita eorum menti proponendae ſunt, ut haec eas totas exque omnibus partibus perſpiciat, nec quidquam in iis deſideret. Ut igitur praecipuos fontes perſpicuitatis nominem, addere rebus explicandis debemus *cauſas* ſ. *argumenta, exempla, teſtimonia, conditionem, modum, inſtrumentum et omnia ea, per quae res factae ſunt, temporis et loci notionem; utendum eſt ſaepe dilatatione notionis per periphraſin, notiones nonnullae ſaepius repetendae ſunt, interdum brevitate utendum, ordo idearum obſervandus, et acumen ſaepe vitandum eſt* etc.

SECT. VI

1) *De adjectione cauſarum.*

Primus ac praecipuus fons perſpicuitatis eſt *adjectio cauſarum* ſ. *argumentorum:* qua nihil ad rem planiſſimam reddendam atque ita ad perſuadendum efficacius eſſe conſtat. *Cauſa* ſ. *argumentum* eſt enuntiatio,

tiatio, cujus veritate, tanquam fundamento, nititur veritas alius enuntiationis; ſeu brevius: eſt *ſignum veritatis*. Hinc patet, quanti referat cauſas bene noſſe. Poſſint inter eas quoque referri *teſtimonia:* haec enim in rebus hiſtoricis ſola valent ad evincendum, rem vere factam eſſe: it. *exempla*, quia per ea demum ſaepe numero docemur rem aliquam eſſe certam ac veram. Sed de teſtimoniis et exemplis, quia mos ita poſtulat, ſeparatim infra (Sect. 7 et 8) agetur: hic loquemur tantum de *cauſis* proprie ſic dictis ſ. argumentis vulgo adpellatis. *Cauſae* igitur addantur

I) In primis *theſi* ſ. *enuntiationi generali*, quam ſcribendo dicendove tractas et explicare latius atque illuſtrare cupis.

Hic quatuor ſunt obſervanda: 1) cauſae debent eſſe ſatis firmae; 2) ſatis multae; 3) debent rite tractari; 4) debent ſaepe repeti. Haec quatuor breviter, perſpicue tamen, explicabimus.

1) Cauſae debent eſſe ſatis firmae, certae, *graves* h. e. tales, ut propter eas theſis illa vera eſſe videatur, et ut lector vel auditor ad id, quod velis, credendum, atque ita ad amandum vel averſandum, hincque vel agendum vel omittendum abripiatur. De ipſarum ratione ac delectu non multa hic dici poſſunt, quia alius rei aliae ſunt cauſae: et coram aliis auditoribus et lectoribus aliae interdum cauſae ſunt adferendae, prout eorum eſt intelligentia et guſtus; ac ſaepe temporis locique ratio eſt habenda. Orator ipſe vel ſcriptor ante, quam cauſas ſuas in publicum effert, diligenter videat, an ipſe iis moveatur h. e. propter eas theſin ſuam pro certa habeat. Nam, ut flendum eſt tibi prius, ſi vis me flere, ita ipſe cauſa aliqua ante moveare neceſſe eſt, ſi vis me illa moveri. Orator frigidus, vimque cauſae ſ. argumenti ipſe non ſentiens, licet valde clamet, tamen nihil efficit, ſed auditores reddit ſui ſimiles h. e. frigidos. Non clamor ſed pondus argumentorum facit, ut prudentes rem credant et pro vera habeant. Quare ſingulas cauſas aliquoties et interjecto aliquo tempore debemus perpendere, h. e. cum theſi conjungere et judicare an propter hanc vel illam cauſam res theſi ſ. themate comprehenſa neceſſario credi debeat. Saepe enim fit, ut cauſam, ſemel cogitatam, pro certa, firma, gravique habeamus,

mus, quam, ſi poſt aliquod tempus iterum cogitamus et cum themate in mente noſtra conjungimus, videmus parum certam, firmam, gravemque, imo levem ac frigidiuſculam eſſe.

2) Cauſae debent eſſe ſatis *multae*, ſi fieri poteſt. Quo enim plures illae ſunt, eo firmior et certior res audienti et legenti videtur. At et hic ſunt cautiones: a) Saepe non omnes recenſere opus: interdum praeteritione, figura illa rhetorica, uti licet, praeſertim ſi res non valde ignota, non valde incerta ac dubia eſt. Sed b) omnes hae cauſae, quotcunque ſunt, debent eſſe certae, firmae ac graves. Leves enim et incertae cauſae firmitati ceterarum et gravitati officiunt ac theſin ipſam reddunt dubiam et ſuſpectam, et ipſe vel ſcriptor vel orator ſit ſuſpectus amittitque aliquid auctoritatis ſuae. Non credendum hic eſt iis rhetoribus, qui leves cauſas immiſceri patiuntur, easque, velut milites timidos et inertes, aut fortibus cauſis praeponi aut inter has interſeri jubent. Fecerunt quidem ita nonnunquam priſci in orationibus habitis coram plebe, quae argumenta numerare non ponderare ſolet, atque hujus animum multitudine cauſarum opprimere, repente commovere, atque ita illam ad ſententiam ſuam amplectendam inflammare et abripere ſtuduerunt. At nos hodie, in alio rerum ſtatu viventes et clariori veritatis luce in omnibus rebus (ut ſaltem gloriamur) utentes, vix deceat iſtam levitatem imitari. Qui de re certa ac vera loquitur et ſcribit, ei profecto non deſunt certa atque firma argumenta, modo ipſam recte norit. Praeſtat ſaepe unam cauſam, ſi firma et gravis eſt, adferre, quam multas leves et infirmas. Prudens lector vel auditor curat earum gravitatem, non multitudinem. Iudicio hic permagno opus eſt, ne ſine neceſſitate cauſas cumulemus, et alibi, ubi opus erant, plane omittamus. Lectorum et auditorum reique ipſius ratio habenda eſt.

3) Cauſae debent etiam *recte tractari* h. e. ita tradi, ut manifeſto adpareat, quomodo propter eas theſis ipſa credibilis ac certa ſit. Quod niſi ſit, lectoris vel auditoris menti non perſuadetur de firmitate theſeos. Habet interdum orator cauſas et bene multas et bene firmas ac graves: at ita eas tradit et recitat, ut earum vis non adpareat. Omnia igitur vertuntur in recta earum tractatione, quae eſt res ſummae artis maximaeque difficultatis. Quomodo ea inſtituitur? Tria hic requiruntur. a) *Primum* debet cauſa, ſi opus eſt h. e. ſi non per ſe intelligitur, explicari et tam diu illuſtrari, donec ſentiamus planam eſſe. Haec explicatio et illuſtratio debet

brevis eſſe, ne conjunctio cauſae vel cum ſequenti ejus confirmatione vel cum theſi nimis interrumpatur, et adtentio legentis et maxime audientis impediatur et minuatur. Interdum cauſa per ſe patet, nec indiget explicatione et illuſtratione: unde eam addere putidum foret et lectori vel auditori ingratum. Nihil enim ingratius et moleſtius eſt, quam audire ac videre, ea explicari et illuſtrari, quae jam plane intelligamus, ac fortaſſe dudum plane intellexerimus. Omnia explicare et illuſtrare eſt diffidere lectoris auditorisve intelligentiae et prudentiae, ipſumque pro ſtulto atque imperito habere. Nonne hoc ei moleſtum eſſe et ſummopere displicere debet? b) *Deinde* debet ostendi, cauſam iſtam eſſe firmam et certam: quod non alia ratione fieri poteſt, quam adjicienda alia cauſa, eaque non minus certa, qua illa nitatur. Haec cauſa adjecta itidem debet, ſi opus eſt, explicari, illuſtrari, atque adeo nova cauſa confirmari, quae talis ſit, ut alia cauſa non egeat. Inter has cauſas adjiciendas exempla et teſtimonia quoque pertinere per ſe patet. V. c. quando demonſtrare vellem, mortem non debere nobis nimiopere horrendam videri, adderem forſitan cauſam hanc: *quia via eſt ad felicitatem aeternam.* Huic cauſae fortaſſe hanc cauſam ſubnecterem: *quia literae ſacrae hoc nos docent*, et tandem loca aliquot eaque praecipua laudarem. Poſſem vero illius theſeos: *mors non nimis horrenda videri debet*, aliam quoque cauſam adferre, hanc ſcilicet: *quia omnibus hominibus inſtat.* Quaero hic: *cur inſtat hominibus?* et reſpondeo: *ob ſtructuram corporis humani;* poſſum etiam ſic quaerere: *unde ſcimus, mortem omnibus inſtare?* tum reſpondeo: quia experientia hoc nos docet: nemo enim hominem cognovit vel de aliquo audivit legitve, qui non mortuus eſſet: addere etiam poſſum illam cauſam a corporis humani ſtructura petitam. c) *Tandem* cauſa debet conjungi cum theſi, h. e. debet doceri, quomodo ex iſta cauſa, recte quidem explicata, illuſtrata et per alias cauſas ſtabilita, vel ex iſtis cauſis, ſi plures ſunt, ſequatur, theſin eſſe certam et veram. Fit hoc per concluſionem v. c. ita: Iam ſi hoc vel illud, quod cauſae loco adlatum erat, certum eſt, adparet quoque theſin, quae ex illa cauſa fluit, eſſe veram. Addi quoque poteſt ac debet alia cauſa, quae concluſionem confirmet. V. c. Thema: *Mors non nimis eſt pertimeſcenda.* Cur? prior cauſa: *nam omnibus inſtat.* Cur? iterum confirmatur duabus rebus: *quia non modo experientia hoc quotidie docet, ſed et corporis noſtri ſtructura monet.* Hinc concludo: *Si omnibus mors inſtat, cur eam nimis pertimeſco?* Cur ſ. quomodo hoc inde ſequitur? *quis enim ſapiens*

piens id nimiopere fugiat et timeat, quod effugere non potest? Posterior causa: *nam est via ad felicitatem aeternam:* Estne hoc verum? est: *nam libri divini hoc docent.* An hi vere loquuntur? Recte. Iam concludo: *Si mors est via* etc., *quis eam timeat?* Cur s. quomodo hoc inde sequitur? *Quis enim timeat viam, quae eum ad meliorem fert locum, quam is est, ubi nunc vivit?* Potest etiam hic tanquam causa tertia adjici exemplum eorum, qui mortem non timuerunt, v. c. Socratis etc. Tum concludo: *Si alii homines mortem contemnere sustinuerunt: cur nos timeamus?* En causam: *Nam, quod alii potuerunt, etiam nos posse debemus, modo velimus* vel *modo audeamus* h. e. *modo animum nostrum eodem modo conformemus et sapientia* h. e. *vera rerum notione atque ita mortis instruamus* etc.

4) Causae istae debent quam saepissime et omni occasione, et maxime in fine orationis ac tractationis totius, repeti, ne auditor aut lector eas obliviscatur. At haec repetitio debet aliis verbis institui, ne taedium legenti audientive creetur, ac plerumque tecte h. e. ita, ut lector vel auditor vix sentiat, se audire vel legere eandem causam jam ante vel adeo saepius lectam aut auditam. In quo artificio regnat Cicero, qui causas omni occasione repetit et inculcat, at simul varias iis vestes induere novit. Legantur in primis ejus orationes. In Maniliana v. c. Cicero vult ostendere, *bellum Mithridaticum esse grave;* causam in primis adfert hanc, *quod vectigalia Asiae in periculo sint.* De his igitur vectigalibus, quae conservare Romanorum magni intererat, omni occasione ac singulis fere paginis aliquoties loquitur, eorumque periculum in mentem auditorum revocat. Ibidem docere vult, *Pompejum solum dignum esse, qui illi bello praeficiatur;* hic addit causam hanc, *quia singularibus virtutibus sit praeditus.* Has igitur virtutes saepius et omni occasione repetit, at saepe ita, ut repetere non videatur. Et sic in aliis orationibus. Res per se patet. Auditor vel lector causas, licet diligenter explicatas et confirmatas, tamen propter multitudinem aliarum rerum, quas audit legitve, interdum obliviscitur. Memoriae igitur illius subveniendum est. In fine autem orationis rursus repeti debere ita, ut auditor earum summam denuo intueatur et contempletur, per se patet. Nam, quo propius ad finem tendit oratio, eo magis capita ejus praecipua e mente auditoris, nisi valde sit sapiens et adtentus, elapsa plerumque sunt. Ceterum enumerationem causarum et satis firmarum et satis multarum, earumque rectam tractationem ac crebram repetitionem, efficere, ut res s. thesis ipsa

melius perspiciatur atque ita perspicuitas dicendi valde adjuvetur, manifestum est, ut adeo non mirum esse debeat, nos hanc rem ad perspicuitatem retulisse. Nam sine causis nulla rei est certa perspicuitas, nedum persuasio.

II) Aliis quoque enuntiationibus singulis, nisi apertissimae ac fere sole clariores sint, causae ubique addendae sunt. Auditores et lectores, licet causas ipsi saepe addere et cogitare possint, tamen raro hoc faciunt, maluntque ab oratore et scriptore eas audire et discere, praesertim cum mens vel maxime adtenti lectoris et auditoris tandem defatigaretur causis ubique sua sponte quaerendis et inveniendis: unde plerumque taedium vel saltem inopia adtentionis sequeretur. Deficiente vero adtentione lectoris et auditoris, quomodo ei persuadeas? quomodo eum moveas? Cicero, si quem laudat, vituperat, monet, hortatur, orat, si suadet, miratur, si quid pro magno, incredibili, parvo, contemnendo habet, si quid credit, praedicit, optat, sperat, timet etc., ubique fere causas addit, quamquam non quilibet lector eas pro causis ubique fortasse habeat, quia saepissime tecte prolatae et intextae nec particulis causalibus insignitae sunt. Versatur igitur ille hac in re duplicitur, *diserte* et *tecte*.

A) Primum *diserte*, per *cum*, *quia*, *quoniam*, *quo*, *quin* (i. e. *quo non*), *ut*, *ne*, *nam*, *enim*, *etenim*, *propter*, *adductus*, *motus*, *incitatus*, *impeditus* etc. v. c. Manil. 1 in. dicit, *se nondum pro vostris dixisse;* hujus rei addit causam hanc: *non mea me voluntas sed vitae meae rationes — prohibuerunt:* huic causae aliam causam subjungit: *nam omne meum tempus amicorum periculis* h. e. causis in foro agendis *transmisi:* et hanc causam confirmat hac causa: *nam per aetatem et ob eloquentiae inopiam non ausus sum pro vostris dicere.* Et ipsam verborum Tullianorum compagem hanc: *Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me vuluntas, sed vitae meae rationes ab ineunte aetate susceptae prohibuerunt.*

runt. Nam, cum antea per aetatem nondum hujus auctoritatem loci adtingere auderem, statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, adferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. — Ibid. c. 3 in. hortari vult Romanos, *ut maculam, Mithridatico bello superiore conceptam, deleant;* non hoc simpliciter ita eloquitur, sed addit causas, cur delenda sit illa macula, 1) quia Romani laudis adpetentes sint 2) quia Mithridates nondum pulsus sit; et hujus rei causam hanc addit, quia imperatores nondum illum regem vincere satis potuerunt. Haec omnia ita effert: *Et, quoniam semper adpetentes gloriae praeter ceteras gentes atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta, quae penitus jam insedit atque inveteravit in populi romani nomine; quod is, qui uno die, tota Asia, tot in civitatibus uno nuntio atque una literarum significatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam, suo dignam scelere, suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat, et ita regnat, ut se non Ponto neque Cappadociae latebris occultare velit, sed emergere e patrio regno atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiae luce versari. Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam, reportarent.* — Ibid. c. 6 ostendit necessitatem Asiae provinciae ob vectigalia defendendae et belli statim cum Mithridate gerendi, his utens verbis: *Itaque haec vobis provincia, Quirites, si ad belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate sed etiam a metu calamitatis est defendenda.* Statim addit causam: *Nam ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. At in vectigalibus non solum adventus mali sed etiam metus ipse adfert calamitatem.* Hujus causae addit hanc causam statim: *Nam, cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest.* — Verr. I, 2 Cicero ait, se propterea Verris accusationem suscepisse, ut judices occasionem haberent illo damnando suae justitiae declarandae et invidiae judiciorum levandae, atque ita populum a consilio judicia transferendi a senatoribus in equites avocarent: *Itaque mihi videor magnam et maxime aegram et prope depositam reipublicae partem suscepisse, neque in eo magis meae quam nostrae laudi existimationique servisse.* Addit causam: *Accessi enim ad invidiam*

judiciorum levandam vituperationemque tollendam, ut, cum haec res pro voluntate populi romani eſſet judicata, aliqua ex parte mea diligentia conſtituta auctoritas judiciorum videretur: poſtremo, ut eſſet hoc judicatum, ut finis aliquando judiciariae controverſiae conſtitueretur. Addit cauſam: *Etenim ſine dubio, judices, in hac cauſa ea res in discrimen adducitur.* Additur cauſa: *Reus eſt enim nocentiſſimus; qui ſi condemnatur, deſinent homines dicere* etc. — Cic. ad Div. I ep. 1 in. ait: *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquam ſatisfacio.* Statim addit cauſam: *Tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me meritorum, ut, quoniam tu, niſi perfecta re* (i. e. revocatione Ciceronis) *de me, non conquieſti, ego, quia non idem in tua cauſa* (i. e. reſtitutione regis Aegyptii) *efficio, vitam mihi eſſe acerbam putem.* In qua cauſa duae aliae cauſae inſertae ſunt, *quoniam tu* etc., et *quia non idem* etc. — Cic. ad Div. V ep. 5 in. *Etſi ſtatueram nullas ad te literas mittere niſi commendaticias, non quo eas intelligerem ſatis apud te valere, ſed, ne iis, qui me rogarent, aliquid de noſtra conjunctione imminutum eſſe ostenderem* etc. En duas cauſas, unam negativam h. e. non veram, *non quo eas intelligerem* etc., alteram poſitivam h. e. veram, *ſed, ne iis, qui* etc. — Ibid. III ep. 9 §. 12 Cicero rogat Appium, ut ſibi curet ſupplicationem decernendam; et addit *pro tua fide, diligentia et amicitia.* Verba ſunt: *Illud, quod polliceris, velim pro tua fide diligentiaque et pro noſtra non inſtituta* (i. e. incepta demum) *ſed jam inveterata amicitia cures, enitare, ut ſupplicatio nobis quam honorificentiſſime quam primumque decernatur.* Ac ſic Cicero millies.

B) Deinde ſolet in primis Cicero cauſas innumerabilibus in locis *tecte* adjicere h. e. ut non a quolibet ſtatim ſentiatur, quia nulla particula cauſalis aliudve ſignum ſolenne cauſae adeſt. Fit hoc variis modis:

1) Omittit ſaepiſſime particulam cauſalem, ſi per ſe intelligitur: v. c. Manil. 3 *Etenim adhuc ita veſtri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo inſignia victoriae, non victoriam, reportarent. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortiſſimi viri et ſummi imperatores, ſed ita triumpharunt, ut ille pulſus ſuperatusque regnaret:* pro *Triumphavit enim L. Sulla* etc. Per *inſignia* enim *victoriae* intelligit *triumphos.* — Ibid. c. 9 ait, Mithridatem ſecum multas quoque copias ab aliis regibus ſubſidio

ſubſidio miſſas habere, additque cauſam, quia reges a regibus adjuvari ſoleant. Haec ita exponit: *Mithridates autem et ſuam manum jam confirmarat, et eorum, qui ſe ex ejus regno collegerant, et magnis adventiciis auxiliis multorum regum et nationum juvabatur. Hoc jam fere ſic fieri ſolere accepimus, ut regum adflictae fortunae facile multorum opes adliciant ad miſericordiam, maximeque eorum, qui aut reges ſunt aut vivunt in regno* etc.: pro *Hoc enim jam fere* etc. — Cicero ad Div. IIII ep. 9 §. 14, ubi Marcello reditum in patriam propterea ſuadet, quia tutior ibi ſit ſedes quam alibi. Hoc ita effert: *Caput illud eſt, ut, ſi iſta vita* (ſcil. in loco, ubi nunc es) *tibi commodior eſſe videatur, cogitandum tamen ſit, ne tutior non ſit. Magna gladiorum* (alii *gladiatorum*, quod facilius) *eſt licentia: ſed in externis locis minor etiam ad facinus* (i. e. caedem) *verecundia:* pro *Magna enim gladiorum* etc. — Cicero ad Div. V ep. 2 §. 25, ubi ſe purgat Metello, quod in ejus fratrem acerbe dixerat: *cognoſce nunc humanitatem, ſi humanitas adpellanda eſt in acerbiſſima injuria remiſſio animi ac diſſolutio.* Statim cauſam addit hanc: *Nulla eſt a me unquam ſententia dicta in fratrem tuum: quotieſcunque aliquid eſt actum, ſedens iis adſenſi, qui mihi leniſſime ſentire viſi ſunt:* pro *Nulla enim eſt a me* etc. Ac ſic ſexcenties.

2) *Qui quae quod* millies apud Ciceronem ſubſtituitur particulis cauſalibus *nam, quia, cum* etc. v. c. Manil. 2 *Genus eſt belli ejusmodi, quod maxime veſtros animos excitare atque inflammare debeat: in quo agitur populi romani gloria — agitur ſalus ſociorum atque amicorum — aguntur certiſſima populi romani vectigalia et maxima, quibus amiſſis et pacis ornamenta et ſubſidia belli requiretis: aguntur bona multorum civium, quibus eſt a vobis et ipſorum et reipublicae cauſa conſulendum.* Hic *qui* ter ſuſtinet vicem particulae cauſalis: *in quo agitur* etc. dictum eſt pro *nam in eo agitur* etc., deinde *quibus amiſſis* eſt pro *nam iis amiſſis*, tandem *quibus eſt a vobis* etc. pro *nam iis eſt a vobis* etc. — Ibid. c. 14 extr. *Et quisquam dubitabit, quin huic* (Pompejo) *hoc tantum bellum transmittendum ſit, qui ad omnia noſtrae memoriae bella conficienda divino quodam conſilio natus eſſe videatur?* ubi *qui ad omnia* etc. dictum pro *cum is ad omnia* etc. — Cic. ad Div. IIII ep. 2 §. 1 bis eſt *qui* pro *nam, quia: A. d. III Kal. Majas cum eſſem in Cumano, accepi tuas literas. Quibus lectis cognovi non ſatis prudenter feciſſe Philotimum; qui, cum abs te mandata haberet, ut ſcribis, de omnibus rebus, ipſe ad me non veniſſet, literas tuas miſiſſet:*

quas intellexi breviores fuiſſe, quod eum perlaturum putaſſes. Hic *qui cum abs te mandata haberet — ad me non veniſſet* dictum eſt pro *Nam, cum abs te mandata haberet, non venerat;* et *quas intellexi* etc. pro *nam eas intellexi* ſ. *quia eas intellexi* etc. — Ad Div. III ep. 9 §. 11 Cicero proprie dicere vult: *Nam profecto non eſt meum committere, ut negligens in ſcribendo fuiſſe videar.* Pro eo ita loquitur: *Nam profecto non eſt meum, qui in ſcribendo, ut ſoles admirari, tantum induſtriae ponam, committere, ut negligens in ſcribendo fuiſſe videar: praeſertim cum id non modo negligentis ſed etiam ingrati animi crimen futurum ſit.* Verba: *qui in ſcribendo tantum induſtriae ponam* continent cauſam, cur non ſit Ciceronis negligentem eſſe in ſcribendo: addit aliam cauſam *praeſertim cum id non modo* etc. — Ad Div. V ep. 2 §. 15, ubi Cicero ea defendens, quae contra Metelli fratrem egerit, ita loquitur: *Si vero meam ſalutem contra illius* (i. e. fratris tui) *impetum in me crudeliſſimum defenderim, ſatis habeas* (i. e. ſis contentus) *nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri. Quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari* etc., ubi *Quem ego cum comperiſſem* eſt pro *Nam cum ego illum comperiſſem* etc. — Ibid. §. 19 de eodem Metelli fratre per ironiam: *Hominem gravem et civem egregium! qui, qua poena ſenatus conſenſu bonorum omnium eos adfecerat, qui urbem incendere, magiſtratus ac ſenatum trucidare, bellum maximum conflare voluiſſent, eadem dignum judicaret eum, qui curiam caede, urbem incendiis, Italiam bello liberaſſet;* ubi verba *qui, qua poena* etc. ſunt cauſa, cur vocet illum hominem gravem et civem egregium: poterat dicere: *O hominem gravem et civem egregium! nam* ſ. *quia, qua poena — adfecerat, — eadem dignum judicabat eum* etc. — Ibid. ep. 12 §. 16 *Quem enim noſtrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miſeratione delectat? qui tum denique ſibi avelli jubet ſpiculum, poſteaquam ei percontanti dictum eſt, clypeum eſſe ſalvum* etc. pro *Nam is tum denique ſibi avelli* etc. Ac ſic ſaepius. Pertinet iſte uſus ad brevitatem: hinc ſupra p. 479 ff. jam in capite de *brevitate dicendi* de uſu pronominis *qui*, it. p. 305 in capite de *connexione membrorum* nonnulla diximus, quae addi poſſunt.

3) Particula *ſi* a Cicerone ſexcentis locis particulae cauſali *quia, cum* etc., ſubſtituitur ob modeſtiam. V. c. Manil. 6 in. *Quare, ſi propter ſocios nulla ipſi injuria laceſſiti majores noſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Poenis bella*

bella gesserunt: quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere etc. pro *Quare, cum propter — bella gesserint* etc. et paulo post: *Itaque haec vobis provincia, Quirites, si ad belli utilitatem et pacis dignitatem retinere vultis, non modo a calamitate sed etiam a metu calamitatis est defendenda.* Ubi *si* aperte est pro *quia:* nam profecto retinere volebant provinciam: at Cicero simulat se dubitanter loqui, quasi incertum sit, an retinere velint, ipsisque permittere, utrum velint retinere nec ne. — Cic. ad Div. V ep. 2 §. 24 *Et, si intelligis, non me dicto Metelli* (fratris tui), *ut scribis, sed consilio ejus animoque in me inimicissimo esse commotum, cognosce nunc humanitatem* etc. pro *Et cum haud dubie* e supra dictis *intelligas* etc. At illud modestius dictum: sed causam ibi latere manifestum est e sequentibus *cognosce* etc. — Ibid. §. 29 *A te peto, ut tu quoque aequum te judicem dolori meo praebeas: si acerbe, si crudeliter, si sine causa a tuis oppugnatus, ut statuas mihi non modo non cedendum, sed etiam tuo atque exercitus tui auxilio in ejusmodi causa utendum fuisse:* ubi aperte *si* pro *quia, cum:* at profecto illud modestius, humanius, atque ita venustius dictum. — Add. Cic. Catil. I, 3 in. *Etenim quid est, Catilina, quod jam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios nec privata domus parietibus voces conjurationis tuae potest: si illustrantur, si erumpunt omnia?* pro *cum* s. *quia neque* etc. — Cic. Arch. 12 *Quae cum ita sint, petimus a vobis, judices, si qua non modo humana verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse, ut eum* etc., ubi *si qua* pro *quia aliqua, cum aliqua* etc. Ac sic saepius. — It. apud Poetas saepe *si* pro *cum, quia,* ponitur: v. c. *rogo te, Jupiter, ut hoc vel illud facias, si rite te colui, sacra rite feci* etc. Sic Virgil. Aen. I, 603 (607) Aeneas Didoni ait: *Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid usquam justitiae est et mens sibi conscia recti, praemia digna ferant!* — In primis Cicero, ubi de se vel de suis virtutibus, loquitur, tanquam causis, ob quas aliquid petit vel per quas effici aliquid vult: v. c. rogo te, ut, si dignus sim, mihi hoc tribuas etc. Cic. Arch. 1 in. *Si quid est in me ingenii* etc. Cic. Manil. 1 *Si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar* etc. Certo sciebat Cicero sibi esse *ingenium* etc., sibi esse *auctoritatem* propter magistratum, quem gerebat: at humanitatis et modestiae erat, de his rebus dubitanter loqui. Quam rationem in primis adolescentibus imitandam censuerim. Nihil enim magis commendandum est quam humanitas et modestia: et pertinet ea simul

ad suavitatem dicendi: nihil enim suavius quam modeste dicere.

4) Per adpositionem, quam vulgo vocant in libellis grammaticis, exprimit Cicero saepissime quoque causam: v. c. Ad Div. IIII ep. 2 §. 3 Cicero Sulpicio, consilium ejus exquirenti, dicere vult: *Ego nihil tibi suadere possum*, et causam addere hanc: *quia tu ipse satis prudens es.* At ita loquitur: *Quod meum consilium exquiris, id est tale, ut capere facilius ipse possim, quam alteri dare. Quid enim est, quod audeam suadere tibi homini summa auctoritate summaque prudentia?* Quisque videt in verbis *homini summa auctoritate* etc. latere causam, cur ei consilium dare nolit; et dictum esse pro *quia ipse es homo summa auctoritate summaque prudentia* s. *cum sis ipse homo* etc. Notetur ibi simul summa Ciceronis humanitas et observantia in vocabulo *audeam* pro *possim*, *velim*: illud longe fortius est. — Idem fere dixit Cicero Marcello ibid. ep. 8 in. *Neque monere te audeo praestanti prudentia virum, nec firmare maximi animi hominem unumque fortissimum* pro *Neque monere te audeo, quia es vir praestanti prudentia, nec confirmare, quia es homo maximi animi* etc., ubi itidem *audeo* venuste et humane dictum pro *volo*. — Cic. Catil. III, 12 prope fin. *Vos, Quirites, quoniam jam nox est, veneramini illum Iovem, custodem hujus urbis ac vestrum* etc. In verbis *custodem hujus* etc. latet causa, cur venerari debeant Iovem, *quia est custos hujus urbis et vester* s. *quia hanc urbem vosque custodivit et contra Catilinarios impetus defendit.* — Cic. Verr. II, 37 med. *Iste* (Verres), *homo omnium acquissimus atque a cupiditate remotissimus, se cogniturum esse confirmat* pro *Iste, quia est homo aequissimus* etc.: ironice dictum. — Ceterum hanc rationem ad brevitatem dicendi pertinere per se intelligitur. Eodem modo dicere possis: *Quis Ciceronem, hominem eloquentissimum et in bene scribendi arte exercitatissimum non sibi in bene scribendo imitandum proponat?* pro *cum sit homo eloquentissimus* etc. *Quis non literarum studia, delicias cujusque sapientis, amanda putet?* pro *cum sint deliciae* etc. *Veneremur Deum, creatorem nostrum* i. e. *quia nos creavit. Odi pigritiam, matrem multorum malorum* pro *quia est mater* etc.

5) Etiam in participio saepe latet causa, v. c. *amemus Deum nobis quotidie bene facientem* pro *quia bene facit* etc. *Odi pigritiam nos a studio sapientiae revocantem* i. e. *quia nos revocat* etc. *Viso patre animum collegi; visis hostibus milites fugere coeperunt.* — De aliis participiis, quae causas

per

per se continent, ut *motus*, *ductus*, *adductus*, *incitatus*, *inflammatus*, *prohibitus*, *adjutus* etc. hic non sermo est; supra S. 6 II, A p. 532 de iis diximus.

6) Saepe etiam periphrasi apud Ciceronem aliosque bonos scriptores recte includitur argumentum: quae ratio in primis commendanda, praesertim cum simul gravitati serviat. V. c. Cic. Rosc. Am. 23 prope fin. *Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana jura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset* pro *Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, cum patrem occidisset, somnum statim capere potuisset*, seu pro *Nemo enim putabat, quemquam parricidam* (nam de hoc sermo ibi est) *somnum statim capere potuisse*. At illa parricidae circumscriptio *quemquam esse, qui, cum omnia divina atque humana jura scelere nefario polluisset* continet simul causam, cur is, qui patrem occiderit, non possit statim post illud facinus patratum capere somnum, scilicet hanc, quia isto scelere omnia jura divina et humana, quantum in ipso est, violavit. — Liv. V, 27 Camillus ad magistrum quendam ludi pueros, quos erudiebat, in castra Camilli ducentem atque ita prodentem, loquitur, istud factum nefarium valde vituperans: *Arma*, inquit, *habemus, non adversus eam aetatem, cui etiam in captis urbibus parcitur, sed adversus armatos:* per *aetatem eam, cui etiam in captis urbibus parcitur* intelligit *pueros* s. *pueritiam*. At in illa circumscriptione latet causa: sensus enim est: *Arma habemus non adversus pueritiam, nam huic aetati etiam in captis adeo urbibus parci solet, sed tantum adversus armatos*. Conf. supra caput de *copia* (P. I, c. 9 S. 2, 10 A 2 p. 420 ff.), ubi plures periphrases. Sed istae periphrases, quae argumentum recte continent, pertinent, ut facile patet, ad brevitatem dicendi.

7) Huc referendum est, quod enuntiationi, quae simpliciter efferri poterat et vulgo quoque solet, praeponitur enuntiatio causam ejus recte complectens: v. c. pro *quis hoc non perspicit?* dicitur *quis est tam stultus* s. *tam rerum imperitus, ut non perspiciat?* Nam *stultitia* seu *imperitia* est *causa*, cur homo non aliquid perspiciat. Sic pro *Deus nobis quotidie bene facit* dici potest: *Deus est tanta benignitate, ut nobis quotidie bene faciat:* nam *benignitas Dei magna* est causa, cur nobis quotidie bene faciat. Sic pro *Deus omnia efficere potest* dicitur *Deus est tam potens* s. *tanta potentia, ut omnia efficere possit* s. *ut nihil sit, quod efficere nequeat*. Sic Cicero millies, v. c. Phil. II, 15 pro *Neque vero frangebar animo propter vitae cupiditatem* etc. dixit: *Neque vero eram*

eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo propter vitae cupiditatem. — Ibid. c. 7 pro *An tu hoc auſus es dicere in eo templo, in quo ſenatum — conſulebam* dixit: *Adeone pudorem cum pudicitia perdidiſti, ut hoc in eo templo dicere auſis ſis, in quo* etc. — Arch. 9 pro *Omnes enim mandari verſibus aeternum ſuorum laborum facile praeconium patiuntur*, h. e. *libenter res geſtas ſuas carmine celebrari volunt*, dixit: *Neque enim quisquam eſt tam averſus a Muſis, qui non mandari verſibus aeternum ſuorum laborum facile praeconium patiatur.* — Ibid. c. 8 in. pro *Quis morte Roſcii nuper non commotus eſt* h. e. *doluit?* dicere maluit: *Quis noſtrum tam animo agreſti ac duro fuit, ut Roſcii* (comoedi clariſſimi) *morte nuper non commoveretur?* — Ibid. c. 12 in. pro *An nos omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque verſamur, arbitremur, cum usque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiscum ſimul omnia moritura?* egregie ita loquitur: *An vero tam parvi animi videamur eſſe omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque verſamur, ut, cum usque ad extremum ſpatium nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiscum ſimul moritura omnia arbitremur?* — Plura exempla congeſta reperies ſupra in capite de *copia dicendi* (P. I, c. 9 S. 3, 2 p. 431 ff.); ibi enim de periphraſi late egimus.

SECT. VII

2) *De adjectione exemplorum.*

Alter fons perſpicuitatis propior in explicatione idearum eſt *adjectio exemplorum*. Haec in primis valent ad rem, quam explicamus, et de qua lectori et auditori cupimus perſuaderi, perſpicuam reddendam. Exempla longe plus vulgo valent cauſis ſ. argumentis e rei natura petitis. Argumenta docent, rem fieri potuiſſe, exempla, rem factam eſſe: argumenta efficiunt, ut res veriſimilis videatur, exempla declarant rem eſſe veram. Saepe lector vel auditor argumentis fidem ita habet, ut tamen ſimul dubitet, an res, quae commendatur, ab hominibus vere patrata ſit; at, ſi audit vel legit, vere patratam eſſe, hinc colligit, eam quoque ab

aliis

aliis hominibus et a ſe patrari poſſe. Nam homo concludit vulgo ſic: Si res ab aliis jam acta eſt, ſe quoque eam agere poſſe; contra, ſi res per ſe quidem fieri poſſit, ſed nondum ab aliquo facta ſit, nec ſe eam facere fortaſſe poſſe. Et ſic in aliis rebus auctoritas exemplorum ubique poſtulatur. Recte. Exempla enim veritatem, ut ſic loquar, e regno poſſibilium in regnum viſibilium transferunt, efficiuntque, ut lector vel auditor rei veritatem, quam antea in genere cognorat, nunc quaſi ob oculos videat. *Exemplum* poſſis ita definire, ut dicas eſſe *enuntiationem factum aliquod continentem*, per quod docetur, rem, quam tradis et explicas, vere in natura rerum fuiſſe et factam eſſe, ſeu brevius ſic: ut dicas eſſe *factum aliquod explicandae theſi accommodatum.*

De juſto exemplorum uſu haec notabimus:

1) *Exempla debent rei accurate convenire*, h. e. homines, quorum exemplum adfertur, debent id vere praeſtitiſſe, quod in theſi tractatur, eodemque modo, quo illud dictum eſt praeſtari debere: v. c. ſi ſermo eſt de mortis contemtu, exemplo eſſe poteſt Socrates: nam is vere mortem contemſit; non vero Cicero, qui, licet de mortis contemtu praeclare loquatur, tamen eam, ubi vere inflabat, timuit. Sic, ſi de paupertatis ſtudio et divitiarum contemtu loqueris, idem Socrates exemplo recte eſſe poteſt, itemque Fabricius, Curius: Hi enim ſua ſponte contemſerunt divitias, cum eas conſequi facile poſſent. Non vero ii memorandi ſunt, qui, quia pauperes eſſe cogebantur nec divitiarum conſequendarum facultatem habuerant, eas contemſerunt vel potius contemnere ſe ſimularunt: nec ii, qui, quia divites jam ſunt, divitias ſe non adpetere nec amare dicunt. — In exemplis etiam hoc videndum, ut, ſi v. c. in tractanda virtute aliqua hominem memoras ea vere praeditum, hic non ſimul aliis multis iisque notis vitiis gravioribus inquinatus ſit, ne exempli auctoritas imminuatur. Nam hominem laudari audienti mihi ſi in mentem venit cetera ejus vita prava: virtus ea, quae in illo laudatur, fit, neſcio quo pacto, ſuſpecta. Non adferrem exempli cauſa Catilinae fortitudinem in perferendis laboribus etc.

2) Deinde *exempla debent eſſe vera.* Ficta nihil efficiunt. niſi apud indoctos atque imperitos. At hos decipere quantae artis! quantae vero utilitatis, ſi illi aliquando vident

et

et diſcunt, rem, quam pro certa audiverant, fabulam eſſe! Hinc fortaſſe judicari poteſt, quantum utilitatis fabulae romanenſes, comoediae, tragoediae, carmina plena deorum et dearum lectori et ſpectatori indocto adferre poſſint in virtutis ſtudio inflammando.

3) *Exempla debent etiam recte tractari*, h. e. debet effici, ut eorum auctoritas adpareat: hinc debent a) interdum explicari, ſi quidem non ſatis nota creduntur, ac v. c. debet doceri, quo conſilio et animo hic vel ille rem geſſerit, cur res ita geri vel non geri potuerit, neceſſe fuerit etc. b) ſaepe etiam argumento aliquo confirmanda ſunt: v. c. poſtquam de contemtu divitiarum Socratis exemplum adlatum eſt, poſſunt variae cauſae addi, v. c. *ſciebat enim, veras divitias in ſapientia ac virtute, non in externis rebus, cerni;* vel *didicerat enim, omnem, qui contentus eſſe poſſet, eſſe divitem* ſ. *non poſſe eſſe pauperem;* vel *qui divitias contemnere poſſet, ditiſſimum eſſe;* vel *didicerat enim iis rebus carere, propter quas divitiae inventae ſunt* ſ. *quas divitiae ſolae ſuppeditant* etc. c) tandem *debent exempla non modo conjungi cum theſi* h. e. eſt docendum, theſeos veritatem ex illis ſequi, *ſed etiam* in primis, ut vis eorum melius adpareat, haec tractatio debet *adjuvari* ſaepiſſime concludendo a majori ad minus vel a minori ad majus vel a pari ad par: v. c. *Si Socrates, qui gentilis fuit, eo progredi potuit fortitudinis, ut mortem, inimicam illam generis humani vulgo tam terribilem, contemneret, quanto magis nos decet, qui Chriſtiani ſumus, id efficere poſſe,* vel brevius: *Si Socrates, ut gentilis, hoc potuit efficere, quanto magis nos, ut Chriſtiani, id efficere poſſe debemus,* vel: *Si philoſophia gentilis tantum valuit in morte contemnenda, quanto magis debet hic valere philoſophia chriſtiana? Si Socrates ſolius mentis ope id effecit, quanto magis nos religione chriſtiana adjuti* etc. Sic: *Si Socrates divitiarum inutilitatem perſpexit, quanto magis nos Chriſtiani* etc. vel: *Si Socrates contemnenda morte, deſpiciendis divitiis, tantam laudem conſecutus eſt, nonne etiam nos* etc.

SECT. VIII

3) *De adjectione teſtimoniorum.*

Tertius fons perſpicuitatis propior in explicandis ideis eſt *teſtimoniorum adjectio. Teſtimonia* 1) in rebus hiſtoricis ſunt ſumme neceſſaria, ſi res, quae traduntur,

tur, pro certis ac perspicuis haberi debent, et plus valent, quam omnia argumenta e rei natura ducta. At, si gravia fideque digna esse debent, proficiscantur oportet ab hominibus fide dignis h. e. qui et rem, quam narrant, recte norint, atque ita recte narrare possint, et simul recte vereque narrare velint omnique mendacii vanitatisque studio careant. Sed 2) in aliis quoque rebus, v. c. in judicanda praestantia atque utilitate alicujus rei, interdum *testimonia*, si quidem sunt a magnis celebribusque viris petita, perspicuitati et persuasioni prosunt h. e. efficiunt, ut res certior fiat ejusque praestantia et utilitas vel turpitudo, necessitas etc. magis perspiciatur: quia vulgo homines multum tribuunt testimoniis clarorum virorum h. e. judiciis eorum de aliqua re, hincque libenter ad eorum auctoritatem provocant. Sed cum omnes homines, licet sint clarissimi et de nostra sententia maximi, tamen semper maneant homines h. e. labi interdum possint: non testimoniorum auctoritati nimis confidere debet orator vel scriptor, neque iis ante uti, quam res ipsa, quam per illa confirmare vult, jam argumentis et exemplis satis confirmata et fulta est. Male igitur agunt, qui statim, postquam v. c. rem philosophicam tradiderunt et veram esse dixerunt, hanc causam addunt: *nam ita dixit Cicero* vel *Plato* etc. vel *sic omnes docti judicant*. *Testimonia* hic sunt nihil aliud quam judicia doctorum de re aliqua. Quis in judicando non interdum fallitur? At, si rem jam aliunde constat certam esse, non inutile est addere, quid eruditi de ea judicent. Hic tamen, ut per se patet, excipienda sunt testimonia librorum divinorum, quae semper sunt certa atque vim argumentorum vere habent, ut adeo orator in re vel laudanda vel vituperanda ad dicta biblica recte provocet: modo haec recte explicentur et ostendatur, quibus in verbis dicti insit testimonium illud, ad quod provocas: nam interdum id latet in paucis dicti verbis, ut adeo, si totum dictum recites nec verba ipsa,

quae

quae proprie teſtimonium ſuppeditent, memores et explices, auditor nondum vim teſtimonii perſpiciat et ſentiat.

SECT. VIIII

4) *De adjectione conditionis.*

Quartus fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *adjectio conditionis:* quae addi ſemper debet, ſi de re ſermo eſt, quae non niſi ſub certa conditione facta eſt fierive ſolet ac poteſt, aut certa, utilis, noxia eſt etc. Pertinet hoc ad diligentiam ſ. ſubtilitatem dicendi, nihil omittentem, quod lector vel auditor exſpectare poſſit, et veram matrem perſpicuitatis. Ac cum pleraeque res humanae non niſi ſub certa conditione fiant, aut certae, utiles, noxiae, praeclarae ſint etc.: adparet innumerabilibus in locis notionem conditionis addendam eſſe. Cicero etiam hic nobis exemplar eſſe poteſt. Nunquam is fere ſimpliciter aliquid confirmat, pollicetur, rogat etc., ſed fere ſemper adjecta conditione, utens particulis, *ſi*, *niſi*, *quoad* ſ. *quod* i. e. *quoad, quantum* etc.

V. c. Agr. II, 6 in. legem Rulli agrariam diſſuaſurus ita loquitur: *Omni hoc vobis ratione confirmare poſſum, Quirites, hoc animo me ad legendam legem cognoſcendamque veniſſe, ut, ſi eam vobis accommodatam atque utilem eſſe intelligerem, auctor ejus atque adjutor eſſem.* Recte. An vero aliter loqui poterat? Tolle verba: *ſi eam vobis — intelligerem*, et videbis, quam imprudenter ſtulteque dictum ſit. — Ad Diverſ. XIII ep. 28 in. ſcribit Servio, ſe quidem libenter ab eo petere, ſed multo libentius gratias agere; id quod haud dubie eſt ſignum animi generoſi. Ita ergo loquitur: *Etſi libenter petere a te ſoleo, ſi quid opus eſt meorum cuipiam, tamen multo libentius gratias tibi ago, cum feciſti aliquid commendatione mea* etc. Tollas verba *ſi quid opus eſt meorum cuipiam* et ſenties, Ciceronem locutum eſſe more plebis, quae ob humilitatem et levitatem animi ubique et a quolibet petit, ſi quid beneficii accipere poteſt, non habita ratione conditionis alicujus juſtae. — Ad Div. XV ep. 11 extr.

extr. Marcello scribens, se propediem Romae fore, ita loquitur: *Ego, si me navigatio non morabitur, quae incurrebat in ipsos etesias, propediem te, ut spero, videbo.* Sic omnes prudentes loqui debent: neque enim navigatio est in hominis potestate. Cicero, si conditionem *si me navigatio non morabitur* omisisset, falso locutus esset. — Ad Div. XIII ep. 17 §. 6 Curium Servio commendans ita loquitur: *Spondebo enim tibi, vel potius spondeo in meque recipio, eos esse M. Curii mores, eamque tum probitatem tum etiam humanitatem, ut eum et amicitia tua et tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis habiturus.* Quotus quisque recentiorum hanc conditionem *si tibi sit cognitus* addidisset? Sed inest ei magna humanitas et modestia: quae vult, ut non simpliciter ab amico postulemus, ut aliquem sua amicitia propter nostram commendationem solam dignum judicet, sed hactenus, si ipse illum cognoverit. — Ibid. ep. 23 §. 4, ubi Anchialum Servio commendat: *Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis, atque eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, juveris.* Egregie h. e. accurate et humanissime dictum. Non vult, ut Servius Anchialum in universum et in omnibus rebus juvet, sed tantum, *si qua in re opus ei fuerit:* Non vult, ut Servius nulli labori molestiaeve in juvando Anchialo parcat, sed addit, *quod sine molestia tua fiat; quod* est *quoad, quantum, quatenus, in so fern.* Duplex igitur est conditio. — Ibid. ep. 26 §. 6, ubi Mescinii Rufi negotia Servio commendat: *Sic enim praescripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur.* Verba *quod commodo tuo fieri posset* h. e. *quoad* s. *quatenus sine molestia tua fieri posset* sunt conditio eaque humanitatis plena, sub qua Cicero illud fieri velit. — Et §. 7 *Illud praeterea, si non alienum tua* (i. e. *a tua*) *dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici nolint, si eos, quum cum senatore res est, Romam rejeceris.* Conditio *si non alienum a tua dignitate putabis esse* addita est ob humanitatem. Altera conditio *si qui difficiliores erunt* etc. a re ipsa postulabatur. — Ibid. ep. 37 extr., ubi Hippias Acilio commendatur: *Quoquo modo autem se res habet, peto a te, ut honoris mei causa eum expedias, tantumque ei commodes* (i. e. gratificeris) *et in hac re et in ceteris, quantum tua fides dignitasque patietur.* Quanta humanitas! Non vult, ut Acilius omnia omnino faciat, sed fidei suae et dignitatis rationem habeat. Ac propterea haec

conditio, quae tecta quodam modo eſt, in petendo a nemine, niſi inhumano, omitti poteſt. Ac ſic millies conditionem adjectam in Cicerone reperies. — Hanc rationem ſedulo imitari debemus, v. c. pro *Liberi debent parentes amare* poteſt dici: *Liberi, ſi grati eſſe volunt, debent parentes amare.* Pro *Deus hominibus interdum bona interdum mala tribuit* poſſit ita dici: *Deus, quatenus ſapientiae ipſius conſentaneum eſt, hominibus modo bona modo mala tribuit;* vel *Deus modo bona, ſi ea noſtris rebus utilia eſſe videt, nobis tribuit, modo mala, ſi ea nobis magis profutura intelligit, nobis immittit* etc.

SECT. X

5) *De adjectione modi.*

Quintus fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *adjectio modi*, quo res facta, vel credibilis, certa ſit etc. Pertinet hoc ad ſubtilitatem, matrem perſpicuitatis. Homines enim non contenti ſunt audire, aliquid factum eſſe, ſed quaerunt etiam, quomodo factum ſit etc. Iam ſupra P. I p. 404 f. hac de re, in cap. de *copia dicendi*, dictum eſt.

Hic tantum haec tria monebimus:

1) Si res fit vel facta eſt *caſu* aut *neceſſario*, recte additur *accidit*, *contingit*, *contigit*, *neceſſe eſt*, *forte*, *neceſſario* etc. V. c. pro *In itinere cum eſſem, reperi hominem, qui* etc. dicitur: *In itinere cum eſſem, accidit, contigit, ut reperirem hominem* etc. Pro *Cum pater mihi ereptus eſſet puero, non potui recte erudiri* dici poſſit: *Cum accidiſſet, ut pater mihi puero eriperetur, factum eſt, ut non poſſem recte erudiri.* Pro *Qui deditus eſt luxuriae, pauper tandem fiet* dici poſſit: *Qui luxuriae deditus eſt, pauper fiat* vel *egeſtate tandem prematur neceſſe eſt.* Pro *Qui in diſcendis literis non magnam induſtriam adhibet, non valde doctus fiet* dici poteſt: *Non* vel *nullo modo fieri poteſt, ut, qui in literis diſcendis non magnam adhibeat induſtriam, magnam doctrinam conſequatur;* vel etiam *Non credibile eſt hominem, qui non — adhibeat, valde doctum fieri.* Sic et per ablativos: v. c. *Cum in agro eſſem, vidi forte* ſ. *caſu hominem aliquem* etc. *Homo neceſſario* ſ. *neceſſitate naturae moritur.* — Not. Quamquam lector vel auditor plerumque in his locutionibus e ſequen-

quentibus eque contextu ſentit, rem factam eſſe vel caſu vel neceſſario: tamen humanius eſt ejus intelligentiae, ut ita loquar, obviam ire atque ita efficere, ut citius ſciat.

2) Si quid ab aliquo *bene* aut *male* actum dictumve eſt, hoc, licet e contextu perſpici poſſit, tamen addere ſaepe convenit. Fit hoc maxime per adverbia, v. c. *bene, egregie, male, ſtulte* etc. v. c. Pro *Pompejus, qui rebus multis geſtis cognomen Magni acceperat, tandem in Aegypto periit* dici poteſt: *Pompejus, qui rebus multis bene geſtis cognomen Magni jure acceperat, tandem in Aegypto miſere periit.* Hic addita ſunt *bene, jure* et *miſere*, ſed ita, ut conveniant remque recte explicent. Sic ſi quem locum Ciceronis, Virgilii etc., quo praeclara ſententia continetur, adferre volo, poſſum ita incipere: *Hanc rem Cicero his verbis egregie confirmat*, vel *de hac re Cicero praeclare* vel *bene ait:* et tum ſequitur ipſa ſententia. Verum quidem eſt, lectorem vel auditorem ſua ſponte, quando ſententiam videt auditve, judicare poſſe, *bene* illa verba dici: at quid obſtat, quo minus ante eum moneamus ipſiusque animum ad excipiendam egregiam ſententiam, tanquam hoſpitam, praeparemus et excitemus? Ac ſic in pluribus eſt agendum, omninoque uſus adverbiorum commendandus.

3) Si quid narramus et tradimus, hoc vel certo ſcimus vel opinamur, conjicimus, audivimus, arbitramur etc. Hinc notiones, modum hunc definientes, quo ſcimus aliquid, addendae crebro ſunt, ut lector vel auditor ſciat, quid et quantum de illa re credere, utrum eam pro certiſſima, an pro incerta ac mera opinione habere debeat. Ancillae et homines earum ſimiles ſolent, quidquid narrant, ita tradere, quaſi certiſſimum ſit. Non ſic Cicero: qui ubique fere addit *certum, manifeſtum, indubitatum eſt* etc. ſi de re certiſſima ſermo, it. *conſtat, perſpicio, intelligo, video, adparet, ſcio, non neſcio* etc., contra de minus certa *arbitror, puto, exiſtimo, credo, videtur mihi* etc., de incertiſſima *opinor, conjicio, dicunt, ajunt, audivimus, rumor eſt* etc. Cujusmodi additamenta, quae nondum in vernaculam ſatis venerunt, quantopere perſpicuitatem adjuvent in Ciceronis libris, illorum pleniſſimis, vix dici poteſt. Paucula exempla dabimus: v. c. pro *deus eſt* dicitur *deum eſſe manifeſtum, certum, indubitatum eſt, aperte videmus* ſ. *intelligimus, nemo neſcit, nemo ignorat, quis eſt qui neſciat* ſ. *qui non videat?* — Cic. Manil. 7 *nam tum, cum in Aſia res magnas multi amiſerant, ſcimus Romae ſolutione impedita fidem concidiſſe.* Addit *ſcimus*, ut declaret, ſe de re omnibus nota loqui. Si omiſſo τῷ

scimus dixisset *Romae solutione impedita fides concidit*, poterant nonnulli auditores, quibus ista res haud nota erat vel non satis nota, opinari, eum tantum ita credere, nec de manifesta re loqui. — Cicero ad Div. IIII ep. 14 §. 8 scribit Plancio exsulanti, quem consolari volebat: *Si enim status erit aliquis civitatis, quicunque erit, te omnium periculorum video expertem fore. Nam alteros* (Caesarianos) *tibi jam placatos esse intelligo, alteros* (Pompejanos) *nunquam iratos fuisse.* Addit *video* et *intelligo*, tanquam de re paulo certiori loquens, ut animum Plancii confirmet. — Sic *perspicio* addit ad Div. II, 18 §. 4 *Nocere tibi iratum neminem posse perspicio* etc., ut ostendat, se de re minus dubia loqui. — Alibi addit *audivimus, accepimus* etc., *puto, arbitror, videtur* etc., si non audet pro certa rem habere; v. c. Manil. 9 *Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum adflictae fortunae facile multorum opes adliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno.* — Cic. ad Div. V ep. 21 §. 10 *Est enim res jam in eum locum deducta, ut, quamquam multum interfit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter victorias non multum interfuturum putem.* Recte addit *putem*, quia nesciebat, an multum inter victorias ambarum partium interfuturum esset: quod si dixisset *interfuturum sit*, visus esset certo scire. — Cic. ad Div. VI ep. 4 §. 18 *Ego, quae te velle quaeque ad te et ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo.* Recte addit *arbitrabor*, quia nescit ea omnia, quae ad Torquatum ejusque domum pertineant h. e. utilia esse possint; nescit, quae Torquatus velit. Si omisisset *arbitrabor* ac dixisset *quae tu vis, quaeque ad te et ad tuos pertinent*, falso ac simul inhumanius dixisset. — Ibid. ep. 23 §. 5 *Ego, quid possim, nescio vel potius me parum posse sentio. Illud tamen tibi polliceor, me, quaecunque saluti dignitatique tuae conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum* etc. Recte et modeste dictum. Homo homini non potest polliceri, se facturum omnia, quae illius saluti dignitatique conducant vere, sed tantum, quae *arbitratur* conducere. — Hinc et millies *videri* addit, v. c. ad Div. V ep. 21 §. 8 *Neque me tamen ulla res alia Romae tenet, nisi exspectatio rerum Africanarum* (belli Africani). *Videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen.* Recte *videtur mihi adducta*, non *adducta est*: nec enim certo sciebat. — Ibid. §. 15 *Ego, si videbitur recte fieri posse, ad te veniam brevi* pro *si recte fieri poterit;* at rectius et accuratius additur *videbitur* h. e. *si credidero:* proficiscimur enim, non quia *recte* h. e. tuto proficisci possumus: quis enim mortalium

talium hoc certo ſcit? ſed quia credimus, nos poſſe. — Hinc Cicero ſaepe claudit periodos per *videatur*, quod non plane otioſum eſt, ſed indicat, eum tantum *putare*, hoc vel illud ita eſſe; eſtque ſaepe modeſtius dictum: ſaepe tamen *videatur* eſt quoque idem quod *intelligatur man ſieht.* Sed et de aliis hominibus Cicero, accurate loquens, ita loquitur, v. c. Cluent. 64, ubi ſermo eſt de ſingulari furto Stratonis ſervi, qui fundum armarii exſecuerat atque ita pecuniam inde abſtulerat: *Quidam ex amicis Saſſiae recordatus eſt, ſe nuper in auctione quadam vidiſſe in rebus minutis aduncam ex omni parte dentium et tortuoſam venire ſerrulam, qua illud* (armarium) *potuiſſe ita circumſecari videretur:* pro *qua illud potuiſſet ita circumſecari;* at recte additur *videretur*, quia mera tamen erat opinio et conjectura. — Hanc igitur rationem in primis imitemur, et v. c. pro *ego iſto homine, quia probus et integer eſt, utar* dicamus *quia probus et integer videtur* vel, ſi paulo certius, *quia eum probum et integrum eſſe judico, video, perſpicio:* ſic, ſi librum praeclarum eſſe audivi et eum emere volo, non dicere poſſum: *Ego librum illum, quia praeclarus eſt, emam*, ſed *Ego librum, quem* (vel *quia eum*) *praeclarum eſſe audivi, emam*, et ſic in ceteris.

SECT. XI

6) *De adjectione inſtrumenti* ſ. *rerum, per quas res efficitur.*

Sextus fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *adjectio inſtrumenti* h. e. rerum earum, per quas aliquid fit, fiet vel effectum eſt. Pertinet hoc quoque ad ſubtilitatem explicationis. Lector vel auditor non modo vult ſcire, rem factam eſſe, cur et quomodo facta ſit etc., ſed etiam quibus rebus et quibus auxiliis. Hoc nunquam omittendum eſt, niſi *ſtatim ſua ſponte a quolibet* intelligatur. Stultum enim foret ubique dicere *oculis adſpicere, pedibus ire, calamo ſcribere* etc. Ergo judicio quoque opus. Exempla pauca adferam. Quando dico: *Pompejus effecit, ut nomen Magni conſequeretur*, ſentio deeſſe *id, per quod* illud effecerit: accuratius ergo dico *Pompejus multis rebus praeclare ac feliciſſime geſtis effecit, ut nomen Magni conſequeretur.* Sic pro

Ciceroni contigit, ut, licet ignobilis esset, ad summos honores perveniret dici potest: *Ciceroni eloquentiae magnitudine contigit, ut* etc. Sic pro *Frater tuus eo felicitatis progressus est, ut ab omnibus omnino laudaretur* accuratius dicitur *Frater tuus insigni humanitate, modestia,* vel etiam *summo virtutum studio* etc. *eo felicitatis progressus est, ut* etc. Nonne ita res fit magis perspicua? Sic Cicero fere ubique.

V. c. Marcell. 2 in laudanda magnitudine et celeritate rerum gestarum Caesaris ait: *nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam curribus sed victoriis lustratae sunt* (Ed. Ern. *sint*). Rectius et accuratius, quam si dixisset: *nec vero disjunctissimas terras citius a quoquam potuisse peragrari, quam a te lustratae* (aliae edd. *illustratae*) *sunt.* Pro *a quoquam* non opus erat dici *passibus cujusquam:* at pro *a te* opus erat dici *curribus*, imo *victoriis tuis*, vel *tuis non dicam curribus sed victoriis:* at, quia hoc ponere volebat, mutabat quoque ob numerum s. concinnitatem membrorum *a quoquam* in *cujusquam passibus.* — Agrar. II, 3 med. *Neque enim ullo modo facere possum, ut, cum me intelligam non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi romani judicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe praeponerer, non et in hoc magistratu et in omni vita sim* (sic leg. et sic Edit. Ernest., non *essem*, ut ceterae Editt. habent) *popularis.* Tolle verba *non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi romani judicio*, et omnis sententia periit. — Ibid. in fine narrans, quam misero statu rempublicam initio consulatus sui acceperit, ait inter alia miseriae illius signa; *sublata erat de foro fides*, et hic poterat desinere, sed addit: *non ictu aliquo novae calamitatis, sed suspicione ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum.* Recte: ita enim intelligitur, quibus rebus fides sublata sit. — Orat. I, 9, ubi Scaevola Crassum, qui dixerat ab oratoribus civitates initio esse constitutas, refutans dicit: *Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac sylvis dissipatum non prudentium consiliis compulsum potius quam disertorum oratione delinitum se oppidis moenibusque sepsisse?* Recte additur *non prudentium consiliis compulsum potius quam disertorum* etc. — Ibid. c. 61 de Demosthene: *cumque ita balbus esset, ut ejus*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0050
DFG

ejus ipſius artis, cui ſtuderet, primam literam non poſſet dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. Recte addit *meditando* h. e. *exercitatione.* — Ibid. c. 8 de praeſtantia eloquentiae: *Quid enim eſt tam admirabile — aut tam potens tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, ſenatus gravitatem unius oratione converti?* Praeclare additum eſt *unius oratione.* Eadem haec ſententia eſt fere Muren. 11 in. *Gravis etiam illa eſt et plena dignitatis dicendi facultas, quae ſaepe valuit in conſule deligendo, poſſe conſilio atque oratione et ſenatus et populi et eorum, qui res judicant, mentes permovere.* — Cicero ad Div. VIIII ep. 14 §. 14 Dolabellae, quem laudare vult, dicit: *Hoc ſi tibi fortuna quadam contigiſſet, gratularer felicitati tuae: ſed contigit magnitudine tum animi tum etiam ingenii atque conſilii.*

SECT. XII

7) *De adjicienda notione temporis.*

Septimus perſpicuitatis fons propior eſt *adjectio temporis:* cujus notionem ad definite loquendum ac primariam notionem ſ. theſin plenius effingendam et explicandam pertinere, quis non videt? Volumus enim etiam ſcire, *quando res* facta ſit, *quamdiu* duraverit etc. Addere igitur illam eſt ſcriptoris et oratoris. Accuratius is v. c. loquitur, qui dicit: *heri frater tuus apud me fuit, et tres tantum horas mecum manſit*, quam qui dicit: *frater tuus apud me fuit, et non diu mecum manſit.* Nonne vero etiam ille magis perſpicue quam hic loquitur? Sic, qui dicit: *amabo te, quoad vivam; beneficium tuum nunquam obliviſcar*, accuratius magisque perſpicue loquitur, quam dicens: *amabo te, beneficium tuum non obliviſcar.* Cicero hanc diligentiam in addenda temporis notione ubique fere obſervat h. e. ubicunque poteſt et opus eſt.

V. c. Manil. 3 in. hortans Romanos, ut maculam in bello ſuperiori Mithridatico conceptam deleant, ita loquitur: *Et quoniam ſemper adpetentes gloriae praeter ceteras gentes atque avidi laudis fuiſtis, delenda vobis eſt macula Mithridatico bello ſuperiore ſuscepta* etc. Non dicit *macula ante ſuscepta,*

ſed *macula Mithridatico bello ſuperiore ſuscepta*, ut tempus magis definiatur: et ſtatim explicat, qua re maculam illam conceperint, ac pergit: *quod is, qui uno die, tota Aſia, tot in civitatibus uno nuntio atque una literarum ſignificatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo poenam nullam ſuscepit* etc. Intelligit Mithidatem: poterat verba *uno nuntio atque una literarum ſignificatione* omittere: at tum non tota notio facti illius Mithridatici patuiſſet. — Ad Div. I ep. 1 in. *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquam ſatisfacio.* Poterat dicere *mihi ipſi non ſatisfacio:* at quanto accuratius ac ſimul humanius dicit *nunquam*, tanquam credat, ſe nunquam ſatis poſſe pietatis officiique Lentulo pro hujus opera in Cicerone revocando praeſtare. — Ad Div. XIII ep. 17 in. Curii, quem commendat Servio, amicitiam laudans ait: *Nam et amicitia pervetus mihi cum eo eſt, ut primum in forum venit, inſtituta* (i. e. coepta), *et Patris* (urbe Achajae) *cum aliquoties antea tum proxime hoc miſerrimo bello domus ejus tota mihi patuit.* Adtendas, quaeſo, diligentiam Ciceronis! Poterat dicere: *Nam et amicitia pervetus mihi cum eo eſt dudum inſtituta et Patris cum aliquoties antea tum nuper domus ejus tota mihi patuit:* ſed pro *dudum* maluit dicere *ut primum in forum venit* h. e. *togam virilem accepit*, et pro *nuper* maluit dicere *proxime hoc miſerrimo bello.* — Add. Sulpicii Epiſt. ad Cic. in Epp. Cic. ad Div. IIII ep. 12 §. 4 caedem Marcelli narrans: *Poſtridie ejus diei, cum ab Athenis proficiſci in animo haberem, circiter hora decima noctis Poſtumius, familiaris ejus, ad me venit et mihi nuntiavit, M. Marcellum, collegam noſtrum, poſt coenae tempus a P. Magio Cilone, familiare ejus, pugione percuſſum eſſe et duo vulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem* etc. Quam diligenter! *poſtridie ejus diei, circiter hora decima noctis, poſt coenae tempus.*

SECT. XIII

8) *De addenda idea loci.*

Octavus fons perſpicuitatis propior eſt *adjectio loci*. Cupimus enim quoque ſcire, ubi res geſta ſit, acciderit, ubi aliquis nunc ſit etc., in quem locum profectus ſit, unde venerit etc. Et placet is ſcriptor et orator, qui noſtrae cupiditati ſatisfacit et ſua ſponte it ob-

it obviam, quia videtur nihil reticere velle, quod ad totam rem perspiciendam pertineat; cum contra is displiceat ac perspicuitati rei officiat, qui notionem loci omittat. Cicero quidem hac in re quoque ubivis fere est diligens: interdum loci ideam universam tradens per *omni loco*, *ubique*, *nusquam* etc.; interdum ipsum locum accurate memorans:

V. c. Rosc. Am. 24 in. de Furiis loquens parricidas persequentibus: *Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi causa supplicium de matre sumsisse. — ut eos agitent Furiae neque consistere usquam patiantur* etc. Abesse poterat *usquam*, at rectius adest. — Manil. 3 de caede civium romanorum jussu Mithridatis facta loquens: *quod is, qui uno die* (en notionem temporis!), *tota Asia, tot in civitatibus uno nuntio atque una literarum significatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit.* Addidit verba *tota Asia, tot in civitatibus*, ut totius facti crudelis ratio appareret. — Add. epistola Sulpicii modo laudata ad Div. IIII ep. 12 §. 4 de caede Marcelli: *pugione percussum esse et duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem:* et paulo ante §. 2 *cum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem* etc. §. 4 *ut ab Athenis in Boeotiam irem* etc.

SECT. XIIII

9) *De adjectione effectus* s. *consequentiae.*

Nonus fons perspicuitatis propior est *adjectio effectus* rei et eorum, quae inde secuta sunt vel sequi solent vel tantum concludi possunt. Adjuvat et hoc perspicuitatem rei. Non enim lector vel auditor semper ipse vult aut potest e dictis id colligere, quod ex iis consequatur. Cicero nec hanc rationem facile negligit, imo in ea est longe diligentissimus:

V. c. ad Div. V ep. 12 §. 16 *Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi evelli jubet spiculum, postquam ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum.* Hic poterat definere, sed addit: *ut etiam in vulneris dolore aequo*

animo cum laude moreretur. — Manil. 1 extr. *Dicendum est enim de Cn. Pompeji singulari eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilius est exitum quam principium invenire. Ita mihi non tam copia quam modus in dicendo quaerendus est.* Additur *ita mihi non tam copia* etc., quae verba per se poterant abesse, quia eorum sententia e praecedentibus quodam modo intelligi potest: sed addita augent perspicuitatem efficiuntque, ut magnitudo Pompeji melius perspiciatur. — Ibid. c. 6, ubi docet Asiam provinciam propter vectigalia non modo a calamitate sed etiam metu calamitatis defendendam: *Nam*, pergit, *ceteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus non solum adventus mali sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam cum hostium copiae non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit.* Hic desinere poterat, sed addit: *Ita neque ex portu neque ex decumis neque ex scriptura vectigal conservari potest.* Hoc e prioribus per se sequitur: nam, si pecora relinquuntur, perit scriptura; si agricultura deseritur, pereunt decumae; si navigatio mercatorum conquiescit, perit portorium. — Ibid. c. 9 narrans Mithridatem regum auxiliis adjuvari ait: *Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum adflictae fortunae facile multorum opes adliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt aut vivunt in regno, ut regale his nomen magnum et sanctum esse videatur.* Hic poterat desinere, sed addit, quid inde secutum sit: *Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam est ausus optare: nam cum se* etc. — Ibid. c. 13 med., postquam de avaritia imperatorum in provinciis dixerat, addit: *Itaque propter hanc avaritiam imperatorum quantas calamitates, quocunque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat?* — Agr. II, 4, postquam dixerat, se, quia ab universo populo factus sit consul, etiam popularem esse debere, pergit: *Quare qui possum non esse popularis* etc. — Potest quoque *effectus* recte adjici, de qua re supra in capite de *copia dicendi* p. 434 dictum est: v. c. pro *deus est longe potentissimus* potest dici: *deus est tam potens, ut nihil sit, quod non possit efficere:* pro *homo est valde indoctus, imperitus*, dicitur: *homo est tam imperitus, ut ne minimas quidem res intelligat*, vel *ut ne legere quidem sciat.* Sic pro *hic homo est amantissimus veritatis* dicitur: *hic homo est tam amans veritatis, ut mendacium ne audire quidem, nedum dicere possit.* Sic pro *Res, quam narras, est falsissima* dicitur *Res, quam narras, est tam falsa, ut vel puer fidem tibi denegat* etc.

Quis-

Quisque videt hanc adjectionem effectus perſpicuitati rei, quae traditur, majori prodeſſe. — Interdum etiam *effectus* et *conſecutionis notio* uno vocabulo comprehendi poteſt, v. c. *victor discessit* pro *fuit: omnia proſtrata jacent* pro *sunt:* in primis apud Poetas: Phaedr. I, 20, 6 *canes rupti prius periere* pro *rupti prius sunt.* — Ovid. Met. I, 119, 120 *Tum primum siccis aer fervoribus ustus Canduit, et ventis glacies conſtricta pependit* pro *ustus est, conſtricta est:* at praeclare additur *Canduit, pependit:* ibid. v. 124 *preſſique jugo gemuere juvenci* pro *preſſi sunt,* at *gemuere* perficit, ut ita loquar, *notionem.* Pertinet haec res in primis ad gravitatem dicendi, de qua infra.

SECT. XV

10) *De periphraſi.*

Decimus fons perſpicuitatis propior in explicatione rerum eſt *periphraſis* ſ. *circumſcriptio rei* per plura verba, Facile intelligitur, per plura vocabula poſſe rem magis perſpicue tradi quam per unum. Nam unum vocabulum celeriter praetervolat aures auditoris et oculos lectoris, atque ita idea in eo latens negligitur vel parum animadvertitur. — At notandum eſt, duplicem eſſe periphraſin. — Una eſt, quando notio una reducitur ad genus ſuum h. e. exprimitur verbis generalibus: haec ſervit tegendae et occultandae notioni, ſi talis eſt, ut tegi occultarique paululum mereatur. Hanc huc non pertinere per ſe clarum eſt: nam, ſi tegit notionem, non perſpicuam reddere poteſt. Talis eſt v. c. periphraſis illa ap. Ciceronem Milon. 10 extr., ubi Cicero narrans Milonis ſervos cum Clodii ſervis pugnaſſe, et ſimul tecte h. e. ita, ut vix ab auditoribus ſentiatur, memorare cupiens, in ea pugna Clodium occiſum eſſe, utitur hac generali periphraſi: *fecerunt id ſervi Milonis, quod ſuos quisque ſervos in tali re facere voluiſſet* pro *ulti ſunt dominum ſuum, quem caeſum eſſe putabant, atque ita occiderunt Clodium.* — Alterum genus periphraſeos, huc pertinens,

nens, eſt id, quando notio ſ. res diſſolvitur in ſuas partes et attributa ſua vel omnia vel ſaltem aliquot: quo pertinent omnes definitiones et deſcriptiones.

V. c. pro *quis deum non amet* dicitur *quis eum non amet, a quo creatus eſt atque quotidie innumerabilibus beneficiis adficitur?* Sic pro *mirum eſt Chriſtianos non legere libros ſacros* dici poteſt: *Quis non miretur, libros ſacros non legi ab iis, qui illorum auctoritate niti dicunt ſuam religionem?* — Sic ap. Cic. Roſc. Am. 22 *parentes occidere* ita circumſcribitur: *eos, per quos quis lucem ſuaviſſimam adſpexit, luce privare:* verba ſunt ibi *qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut, propter* (i. e. *per*) *quos hanc ſuaviſſimam lucem adſpexerit, eos indigniſſime luce privarit:* quanto magis perſpicue dixit, quam ſi dixiſſet: *qui tantum immanitate beſtias vicerit, ut parentes ſuos occiderit?* — Manil. 3 Mithridates circumſcribitur per ſingulare factum, quod cives multos occidi juſſit. Verba ſunt: *delenda vobis eſt illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuscepta, quae penitus jam inſedit atque inveteravit in populi romani nomine; quod is, qui uno die, tota Aſia, tot in civitatibus uno nuntio atque una literarum ſignificatione cives romanos necandos trucidandosque denotavit, non modo adhuc poenam nullam ſuo dignam ſcelere ſuscepit* etc. Hic *is, qui uno die — trucidandosque denotavit* eſt *Mithridates.* Iam ſi Cicero dixiſſet: *delenda eſt vobis macula Mithridatico bello ſuperiore ſuscepta, quae penitus jam inſedit atque inveteravit in populi romani nomine, quod Mithridates non modo adhuc poenam nullam ſuo dignam ſcelere ſuscepit* etc. an auditores perſpexiſſent, cur macula delenda eſſet, et qua in re conſiſteret ſcelus Mithridatis, pro quo nondum poenam ſuscepiſſet? ac num Romani ad bellum cum Mithridate denuo gerendum atque ita ad imperium Pompejo in illo committendum incitati fuiſſent? Nullo modo. At in illa periphraſi latet explicatio maculae ac ſimul cauſae, cur bellum gerendum ſit: ut adeo tales periphraſes quodam modo magis ad brevitatem quam ad copiam dicendi referendae videantur. — Ibid. c. 17 in. Pompejum circumſcribens ita ait: *aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cetera ſumma cum ſalute reipublicae commiſſa ſunt, hoc quoque bellum regium committimus?* pro *aut cur non ducibus diis immortalibus Pompejo hoc quoque bellum regium committimus?* Sed quis non ſentit illa periphraſi ſimul incluſum eſſe argumentum, propter quod Pompejo hoc bellum regium committi debeat, quia

quia ſcil. ei jam cetera ſumma cum ſalute reipublicae commiſſa ſint; atque illam periphraſin magis perſpicue Romanos docuiſſe, cur Pompejo illud imperium permittendum eſſet, quam ſolum nomen Pompeji? Cf. plura exempla circumſcriptionis ſupra p. 419 ff. in capite de *copia dicendi.*

SECT. XVI

11) *De diſſolutione Totius in partes et Generis in ſpecies et individua.*

Undecimus fons perſpicuitatis propior in explicandis rebus eſt *diſſolutio Totius in ſuas partes, Generis in ſuas ſpecies atque individua*, ſi fieri poteſt. Poſſit haec ratio quodam modo ad periphraſin referri. Omne *Totum* et *Genus* uno vocabulo expreſſum cito praetervolat auditoris aures et lectoris oculos atque ſimul mentem: at in partes et ſpecies diſſolutum diutius verſatur ante aures auditoris et oculos lectoris, atque ita facilius et planius perſpicitur. — Deinde res eo celerius et facilius intelligitur, quo propius admovetur ſenſibus. *Genus* et interdum *Totum* maxime remota ſunt ab illis: at *partes* et *ſpecies* ſunt iis propiores: proxima ſunt *individua*, quippe quae in rerum natura reperiuntur, atque ita noſtris ſenſibus nota ſunt, cum *Genus* et interdum *Totum* nonniſi cogitatione ſciamus. Hinc et exempla ſingulorum hominum tantopere proſunt perſpicuitati. Et quid aliud eſt exemplum adferre, quam Totum in partes vel Genus ſpeciemve in individua diſſolvere, ſi quidem accurate perpendas? — Dupliciter iſta diſſolutio Totius in ſuas partes et Generis in ſuas ſpecies vel individua inſtitui poteſt. 1) *Primum*, ut praedicatum, quod ante diſſolutionem iſtam Toti et Generi conveniebat, partibus deinde ac ſpeciebus vel individuis tribuatur. V. c. pro *Mors inſtat omnibus hominibus* dici poteſt *Mors pauperi et diviti, nobili et humili, docto et indocto inſtat:* hic *Homines* in partes vel ſpecies diſſolvuntur, in pauperes, divites,

vites, nobiles etc. et praedicatum *inſtat* manet. 2) *Deinde* poſſunt quoque ſingulis iſtis partibus vel ſpeciebus ſingula praedicata tribui: quae ratio perſpicuitati ac deinde etiam gravitati dicendi maxime eſt conſentanea: v. c. *Mors inſtat pauperi et diviti: minatur nobili et humili: invadit domos doctorum et indoctorum*, vel auctis praedicatis potius ita: *Mors inſtat pauperi, minatur diviti: adeſt humili, non parcit nobili: intrat domos indoctorum, nec timet domicilia doctorum.* Poteſt etiam praeponi *Totum* vel *Genus* atque ita dici: *Quis eſt mortalium, qui a mortis periculo liber eſſe poſſit? Inſtat illa pauperi, minatur diviti: adeſt humili, non parcit nobili: intrat domos indoctorum, nec timet domicilia* (vel *ſeriam frontem*) *doctorum et ſapientum.* Et ſic alia ratione facile variari poteſt. Ciceronis libri ſunt talium exemplorum pleniſſimi: neque enim ipſe in ulla parte perſpicuitatis tam regnat, quam in hac.

Prioris generis exemplum eſt Sext. 46 *Etenim in tanto civium numero magna multitudo eſt eorum, qui aut propter metum poenae, peccatorum ſuorum conſcii, novos motus converſionesque reipublicae quaerant, aut qui propter inſitum quendam animi furorem discordiis civium ac ſeditione paſcantur, aut qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malint quam ſuo deflagrare:* pro *Etenim in tanto numero civium magna multitudo eſt civium malorum:* at vides, quam apte *cives malos* diviſerit in ſuas partes vel ſpecies; quamque perſpicue ita locutus ſit, quia hac diviſione quisque auditorum poterat cives malos agnoſcere. — Arch. 7 extr. laudans artes humanitatis prae aliis artibus dicere poterat: *Nam ceterae* (artes) *neque temporum ſunt neque aetatum omnium neque locorum. Haec vero ſtudia* (humanitatis) *proſunt omnibus temporibus, omnibus aetatibus et locis.* At quanto copioſius h. e. accuratius et diſtinctius pro eo dicit: *Nam ceterae neque temporum ſunt neque aetatum omnium neque locorum. Haec ſtudia adoleſcentiam alunt* (ſic leg. puto), *ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.* — Poſterioris generis exemplum eſt Milon. 8 in. dicere volebat, ironice

nice quidem: *Omnes omnino lugent Clodium;* ſed maluit ita loqui: *Luget ſenatus, moeret equeſter ordo, tota civitas confecta ſenio eſt, ſqualent municipia, adflictantur coloniae, agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant.* Plura exempla ſupra p. 425 et 430 in capite de *copia dicendi* dedi, ubi de periphraſi agitur.

SECT. XVII

12) *De comparatione ac ſimilitudine addenda.*

Duodecimus fons perſpicuitatis dicendi propior in re explicanda eſt *adjectio comparationis* ſ. *ſimilitudinis.* Nihil magis rem perſpicuam reddit, quam *comparatio.* Haec eſt menſura, definiens rei magnitudinem, vilitatem, omnemque qualitatem. De nullarum rerum multitudine, paucitate, magnitudine, altitudine, pulchritudine aliave qualitate definite et ſubtiliter judicare poſſumus, niſi eas cum aliqua eaque ſatis nota re comparamus. Magnus acervus frumenti e comparatione demum cum modio aliove menſurae aptae genere intelligitur. Si quis ſe multum frumenti habere dicit, nemo ſcit, an vere multum ſit, quia alii aliquid vocant multum, quod aliis videtur non multum: nemo enim ſcit, quantum habeat. At, ſi modio menſus eſt, et dicere poteſt, ſe v. c. mille modios habere, tum demum de multitudine frumenti judicari poteſt. Sic vini oleique multitudo non niſi e comparatione ejus cum ſextariis, amphoris, aliisque generibus metiendi liquida, ſic panni longitudo et latitudo non niſi e comparatione cum ulna intelligitur. Sic et res omnes, quae mente, non oculis, comprehenduntur, metiri ſolemus comparandis iis cum alia re jam nota. V. c. *Helena* notae pulchritudinis fuit: it. *Venus* pro *pulcherrima* habetur vulgo: *Apelles* et *Zeuxis* ſunt noti *pictores* iique magni: Cicero et Demoſthenes ſunt noti ob *eloquentiam* ſummam: Homerus eſt notus *poeta* isque magnus: Roſcius clariſſimus *hiſtrio:* Alexander, Hanni-

Hannibal, Scipio, Caeſar, Eugenius noti ſunt ob *res multas bello bene geſtas:* Trajanus et Marcus Aurelius ob *bonitatem.* Sic nota eſt venti *celeritas* et *magnitudo* amoris parentum. Sic nix nota eſt ob *candorem* et *facilitatem liqueſcendi.* Sol notus eſt ob *ſplendorem* et *principatum* inter ſidera etc. Cum ejusmodi igitur rebus et hominibus comparamus res et homines, ſi opus erit: v. c. Cum dico *valde te amo, impenſe te amo,* non tam perſpicue loquor, quam ubi meum amorem cum amore magno aliorum eoque noto comparo, v. c. parentum erga liberos, vel liberorum erga parentes, et v. c. dico: *Amo te ita, ut pater filium* vel *filius patrem amat,* vel *ut pater filium non magis amare poſſit;* vel *Qualis amor parentum erga liberos eſſe ſolet, talis eſt meus erga te.*

Comparatio poteſt eſſe latior, brevior, et breviſſima. — *Latior,* quando rem, cum qua aliquid comparo, ante explico, argumentis confirmo et illuſtro. V. c. Comparationem amoris mei erga aliquem cum amore paterno ita latiorem reddere poſſum: *Magnus eſſe ſolet amor parentum erga liberos, nec quidquam fere eſt, quod ad ejus ſimilitudinem accedat. Nihil enim eſt, quod illi horum utilitati, commoditati. et felicitati non tribuant. Imo parentes ſaepe ſuae commoditati et utilitati commoditatem et utilitatem liberorum anteponunt. Sed, quamquam iſte amor eximius et ſingularis eſſe ſolet, tamen dubito, an amor, quo ego in te incenſus ſum, illi amori cedat* etc. Poteſt etiam res, quacum rem comparo, praeterea comparatione cum alia re magna ante illuſtrari. Sic Cicero pro Marcell. 2 comparans clementiam Caeſaris Marcello praeſtitam cum ejus rebus geſtis, has ante docet eſſe maximas, et, ut hoc doceat, comparat eas cum aliorum rebus geſtis et confirmat has longe ab illis ſuperari. Poſtquam itaque planum fecit, res Caeſaris geſtas eſſe ſummas et ſingulares, tum docet, iis ſuperiorem tamen eſſe iſtam clementiam,

tiam, idque argumentis confirmat. Totus locus, qui est paulo longior, est legendus. — *Brevior* est comparatio, v. c. quando res, cum qua aliquid comparatur, non explicatur necargumentis confirmatur nec per aliam similitudinem illustratur, sed pro nota sumitur: v. c. *Magnus esse solet amor parentum erga liberos: quis hoc negat? Attamen meus erga te amor ab illo minime superatur.* — *Brevissima* est, si paucis vocabulis constat, v. c. *amo te, ut patrem:* vel *Qualis liberorum amor erga patrem, talis meus est erga te.* Potest etiam interdum particula comparandi *ut* etc. omitti, v. c. *Tu pater mihi es: in te patrem veneror* etc. Haec est origo metaphorae: nam in ea particula similitudinis modo omittitur, atque ita tota similitudo uno vocabulo exprimitur, ut in loco de metaphora p. 107 ff. dictum est.

Debet vero omnis comparatio esse *apta.* Hinc 1) res, quacum comparare aliquid cupis, debet esse *vera.* Unde res fictae omittendae sunt omnes, v. c. *Phoenix,* avis quaedam a priscis nominata, *cantus cygnorum tempore mortis, Elysium, amor Pelecani erga pullos* etc. Cum talibus rebus nulla debet comparatio institui: nam si res ipsa non est nec fuit, multo minus similitudo inesse apta potest. 2) in rebus veris videndum, ut similitudo, quam quaeris, vere insit: hinc homines cum hominibus, res cum rebus, nec homines facile cum rebus vel res cum hominibus compares. Peccarunt hic interdum prisci: v. c. Caesar comparavit multitudinem interfectorum cum longitudine temporis B. Gall. II, 11 extr. ita loquens: *Ita sine ullo periculo tantam eorum multitudinem nostri interfecerunt, quantum fuit diei spatium,* dicere debebat: *quantum licebat per diei spatium.* Liv. V, 23 *dictatorem aequiparari Iovis equis:* Liv. VIIII, 10 *Postumium devotioni Decii aequabant;* dicere debebat *factum Postumii:* Cic. Or. I, 4 extr. *Ingenia vero — nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt,* ubi dicere debebat *ingeniis ceterorum homi-*

hominum pro *ceteris hominibus*. Talia peccata non ſunt imitanda. 3) debet etiam in comparandis hominibus eorum dignitatis et ordinis ratio haberi, ut v. c. regem cum rege, vel ſaltem non multo inferiore, ducem belli cum duce belli comparemus, nec v. c. militem quemvis cum rege, licet utriusque factum ſimillimum ſibi ſit, v. c. uterque mortem aequiſſimo animo contemſerit. Sic hominem fortiſſimum in bello, at ſimul propter alias virtutes notum, non comparare debemus cum homine, licet fortiſſimo, at propter malefacta noto. Sic neminem, quem ob laboris patientiam laudare velim, comparem cum Catilina, quia hic ſceleribus et flagitiis ſimul innotuit. Omninoque in comparatione rei cum re vel hominis cum homine videndum, ne ideae ſecundariae tales in animo lectoris vel auditoris excitentur, quae toti rei officere poſſint. Sic inſtitutionem magiſtri nolim comparare cum fimo, licet res utraque inter ſe hactenus conveniat, quia, ut fimus agrum mollit et fertilitatem adjuvat, ſic inſtitutio bona mentem animumque emollit fertilemque reddit. Injucunda enim ſimul excitetur idea.

Porro comparatio poteſt quadrupliciter inſtitui, ut vel par cum pari, vel majus cum minori, vel minus cum majori, vel contrarium cum contrario comparemus. Quadruplex hic uſus ſaepius occurrit apud Ciceronem:

1) *Par* vel *res* vel *homo* confertur cum *pari*: v. c. victoria cum victoria, orator cum oratore, poeta cum poeta: ubi fere ſic concluditur, quod alteri conveniat, id etiam alteri convenire debere. Sic Cicero Arch. 6 comparat ſuum ſtudium artium humaniorum cum aliorum ſtudio v. c. voluptatum etc. et ait: *Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero?* — Ibid. c. 8 compa-

comparantur Homerus et Archias, ac docetur, multas civitates certasse de Homeri patria, voluisseque eum civem habere; hinc colligit Cicero: *Ergo illi alienum* (Homerum), *quia poeta fuit, post mortem etiam expetunt: nos hunc* (Archiam) *vivum, qui et voluntate et legibus noster est, repudiamus?* Nonne in priori loco per comparationem fit perspicuum, quam aequum sit, Ciceroni studia literarum non invidere, et in posteriori loco, aequum esse Archiae civitatem non eripi? — Ibid. c. 9 extr. et 10 in. comparatur Archias cum Ennio: docet Cicero, quam carus fuerit Ennius Romanis, ac concludit: *Ergo illum, qui haec fecerat, Rudium hominem, majores nostri in civitatem receperunt, nos hunc Heracleensem* (Archiam) *multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate ejiciemus?* Nonne ita magis intelligitur, indignum esse, civitatem adimi Archiae, cum Ennio tributa sit? Ac sic saepissime.

2) *Minor* vel *res* vel *homo* cum *majori* comparatur, hactenus, ut adpareat, si res major non magnam vim habuerit, si homo major non multum effecerit, non mirum esse debere, si res vel homo minor multo minus efficere possit etc. Hoc valet ad hominem et rem excusandam eique adeo aliquid laudis conciliandum.

3) In primis notanda est comparatio *majoris rei* cum *minori*, qua nihil ad persuadendum et ad rem illustrandam accommodatius est. Instituitur ea sic, ut primum res minor ita explicetur et illustretur, ut etiam maximam esse adpareat, deinde addatur, eam tamen parvam esse prae illa re, quam cum illa comparamus, v. c. si comparamus virtutem cum doctrina illamque hac praestantiorem esse declarare volumus, dicimus v. c. *Doctrina est haud dubie res praeclara et ab omnibus adpetenda: mentem enim illustrat* etc. *At quanto praeclarior est virtus? Nam* etc. addendae enim sunt causae, cur virtus praeclarior sit. Nihil frequentius apud Ciceronem. Pertinet huc in primis locus supra laudatus Marcell. 2, in quo comparatio latissime tractata est: Docere omnino vult, clementiam Caesaris erga Marcellum praestitam esse omnium rerum summam. Comparat ergo eam cum rebus bellicis a Caesare praeclare gestis. Has primum valde extollit: *Nullius*, inquiens, *tantum est flumen ingenii, nulli dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quae non dicam exornare sed enarrare, C. Caesar, res tuas gestas possit Sed adfirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es.* Deinde latius instituit comparationem rerum gestarum Caesaris cum rebus

gestis aliorum imperatorum, valdeque illas laudat et concludit: *Quae quidem ego nisi tam magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim.* Postcaquam has bellicas laudes summopere extulit, tum incipit sensim has extenuare, ut clementia major videatur, id quod argumentis confirmare studet. — Sunt et breviores comparationes, v. c. Cic. Arch. 8 comparatur Archias cum Roscio histrione: *Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur* (i. e. doleret)? *qui cum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus celeritatemque ingeniorum negligemus?* Cicero hac comparatione hoc studet efficere, ut adpareat, si Roscius propter artem corporis tantopere amatus fuerit, multo magis decere amari Archiam propter artem ingenii, ut sic loquar, h. e. poesin. — Ibid. c. 10 comparat Archiam cum poeta quodam malo, cui Sulla praemium dederat hac conditione, ut nihil postea scriberet: unde Cicero colligit et verisimile reddit, Sullam multo magis Archiam expetiturum et civitate romana donaturum fuisse. Manil. 5 in. Cicero studet Romanos ad bellum cum Mithridate redintegrandum incitare; quod ut efficiat, docet, quanto minoribus saepe de rebus majores bella gesserint; ut hinc adpareat, eo magis nunc ob ignominiam magnam a Mithridate acceptam bellum cum hoc rege gerendum. Dicit: *Majores vestri saepe mercatoribus ac navicullariis injuriosius tractatis bella gesserunt: vos tot civium romanorum millibus uno nuntio atque uno tempore* (ab Mithridate) *necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant adpellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, exstinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum populi romani, consularem, vinculis ac verberibus atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Ius legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum populi omni supplicio interfectum inultum relinquetis?* Quis non hinc videt, Mithridatem bello esse persequendum? — Add. Arch. 12, ubi Cicero de gloriae cupiditate loquitur: *An, cum statuas et imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerunt, consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?* Studet planum facere, quam carus sit habendus Archias, cum ejus

ejus poesis serviat celebrandis nominibus claris: nam per *summa ingenia* intelligit poetas, quorum versibus facta clarorum virorum celebrari solebant et adhuc solent.

4) Etiam *contrarium* cum *contrario* comparatur, ut illius vera ratio melius adpareat, e vulgari regula: *oppositа juxta se posita magis elucent.* Sic Cicero *vitam urbanam* cum *vita rustica* comparat in Orat. pro Rosc. Am. 27; *frugalitatem* cum *luxuria* Tusc. V, 33 seq.; *Verrem* cum *Pisone Frugi* Verr. IIII, 25, ubi docet, hunc nimis diligentem fuisse in provincia, ita, ut, cum annulum sibi faciendum curaret, hunc in foro coram omnibus fieri juberet, et aurum palam adpenderet artifici, Verrem contra parum diligentem in vasis aureis multis faciendis: *Verrem* cum *Marcello* Verr. IIII, 54, ubi docet, hunc in bello magis peperciſſe Syracusanis, quam illum in otio, et claudit: *Conferte Verrem, non ut hominem cum homine comparetis, ne qua tali viro mortuo fiat injuria, sed ut pacem cum bello, leges cum vi, forum et jurisdictionem cum ferro et armis, adventum et comitatum cum exercitu et victoria conferatis.* Sic comparat *Dionysium tyrannum* cum *Archimede* Tusc. V, 20 — 23.

SECT. XVIII

13) *De repetitione idearum.*

Tertius decimus fons propior perspicuitatis in explicandis illustrandisque notionibus est *crebra repetitio rerum* s. *notionum:* qua nihil ad perspicuitatem ac gravitatem dicendi magis accommodatum et necessarium esse potest. Ea nituntur multae figurae rhetoricae, ut anaphora, epiphora etc., quae nihil aliud sunt quam repetitiones notionum. Notiones, non omnes, sed eae, ad quas lector auditorve praecipue adtendere debet et quas ejus interest in primis tenere, quia illis superstructa est tota orationis compages et consilium totum dicentis et scribentis, v. c. thesis, argumenta horumque argumenta etc., saepissime atque omni occasione data repetendae sunt, ut memoriae lectoris vel auditoris firmiter inhaereant, ex eaque ne elabantur: his enim elapsis ceterae notiones corruunt ac frustra prolatae sunt. Se-

mel enim dicta facile oblivioni traduntur, et vel adtentissimus quisque non potest facere, ut non interdum hanc vel illam notionem, propter multitudinem aliarum notionum, amittat. Repetitionem igitur necessariam esse patet: quaeritur tantum, quomodo sit instituenda. Fieri hoc debet plerumque tecte h. e. ita, ut lector vel auditor vix sentiat, se eandem notionem iterum vel aliquoties audire aut legere. Quatuor modis hoc fieri potest ac debet et continuo et interjectis verbis:

1) *Continuo* una res s. notio bis, ter, ac saepius repeti potest, sed aliis verbis, modo adfirmative modo negative, modo tropice modo proprie, aliave ratione. V. c. *liberalitas* et *beneficentia*, *factum* et *consilium*, *pugnare* et *eniti* (Cic. ad Div. III, 10 §. 11), *frangere* et *debilitare*, *peccatum* et *error*, *aversari* et *exsecrari*, *praeclarum nec ubivis obvium* etc. Haec de singulis notionibus; de quibus supra p. 397 ff. dixi in cap. de *copia dicendi*, ubi monui, posse duo ac plura verba (ad exprimendam unam notionem) jungi, 1) quorum unum causam, alterum effectum, notet, 2) quorum unum exprimat notionem antecedentem, alterum consequentem indicet, 3) quorum unum rem totam vel genus, alterum (vel cetera) partes vel species, designet, 4) quorum alterum sit tropicum, alterum proprium, vel quorum unum ex hoc, alterum ex illo, tropo ductum, 5) quorum alterum fortius sit altero, 6) quorum alterum positive, alterum negative, sit dictum, omninoque 7) quorum alterum ab altero saltem paulum differat. — Eodem modo in junctis notionibus vel enuntiationibus (Sätzen) agendum est: v. c. Si thema sit: *mors non est extimescenda*, et causa, *quia omnibus instat*, possim hanc causam fortasse ita exprimere varie ac repetere: *Mors enim instat omnibus hominibus: nemo ab ejus periculo liber esse potest: quisque, sive sit dives sive pauper* etc., *mortalem se esse fateatur necesse est:* possis longius progredi, si velis: *Haec est communis sors, quam frustra tentamus effugere: Nullae lacrymae, nullae preces, nullae divitiae, nullae opes liberare hinc possunt: Omnes exspectat idem fatum* etc.

2) Maxime vero notiones et enuntiationes praecipuae, ut thesis, argumenta eorumque argumenta, et quidquid orator et scriptor pro re notabili habet, id post interjecta plura verba repeti debet. Hic eadem variatione, de qua paulo ante dixi, utendum est, ut repetitio ejusdem notionis et enuntiationis

tiationis non facile a lectore et auditore ſentiatur. Aegre enim ferret lector vel auditor, ſi eandem rem iisdem verbis ſaepe repeti videret audiretve, quia crederet, ſe pro puero haberi, cui eadem res ſaepius repetenda eſſet. Nemo enim eſt, qui non credat, ſe rem aliquam memoria facile tenere poſſe. At, ſi lector vel auditor eandem rem alia verborum forma et veſte videt et animadvertit, opinatur, ſe aliud quid videre et animadvertere: manetque in hoc errore, niſi in arte dicendi ipſe valde exercitatus ſit: ſed vel exercitato placet iſta variatio. Cicero hac in ratione excellit, ut adpareat, quam parum valeat eloquentia ſine iſta repetitione. In Agr. II, 1 ſeq. hanc notionem: *Ego homo novus factus ſum conſul meo anno*, ſaepe repetit: dicit primum: *Me primum hominem novum conſulem feciſtis:* deinde: *eum locum, quem nobilitas praeſidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce reſcidiſtis* etc. porro: *neque me tantummodo conſulem — ſed ita feciſtis, quomodo pauci nobiles conſules facti ſunt, novus ante me nemo:* deinde: *reperietis, me eſſe unum ex omnibus novis hominibus — qui conſulatum petierim, cum primum licitum ſit; conſul factus ſim, cum primum petierim* etc. Poſtea: *Eſt illud ampliſſimum, quod hoc honore ex novis hominibus primum me multis poſt annis adfeciſtis; quod prima petitione, quod anno meo:* deinde: *me non extrema tribus — ſed una voce univerſus populus romanus conſulem declaravit:* et c. 3 *Cum me intelligam — univerſi populi romani judicio conſulem ita factum, ut nobiliſſimis hominibus longe praeponerer* etc. — Ibid. quater promittit ſe fore popularem conſulem v. c. cap. 3 ait: *non ſolum hoc in loco dicam, ſed et in ſenatu dixi, popularem me futurum eſſe conſulem:* et paulo poſt: *Neque enim ullo modo facere poſſum, ut — non et in hoc magiſtratu et in omni vita ſim* (ſic leg. pro *eſſem*) *popularis.* Cap. 4 *Quae cum cernerem — dixi in ſenatu, me popularem conſulem futurum.* Et paulo poſt: *Quare qui poſſum non eſſe popularis* etc. In vocabulo *popularis* non poterat uti variatione ſed id ſervare cogebatur, quia tum ſolenne erat, et Cicero mentem ſuam conſiliumque ambiguo hoc vocabulo tegere volebat. — Sic idem Cicero in Manilliana quoties repetit, vectigalia eſſe in periculo, Pompejum eſſe virum magnum omnibusque virtutibus imperatoris ornatum, et digniſſimum, qui mittatur adverſus Mithridatem! — Unum exemplum illuſtrationis cauſa addam hoc: Si thema ſit: *mors non eſt extimeſcenda nimis hominibus*, ejusque primum argumentum ſit hoc: *quia omnibus inſtat:* hoc argumentum ſ. notio haec: *mors inſtat cuique*, ſaepiſſime ac ſaltem toties,

quoties hoc argumentum novo argumento confirmatur, repeti debet. Possit ergo fortasse ita dici: *Prima causa, cur mortem non nimis extimescere debeamus, est, quia omnibus instat, atque adeo frustra eam effugere tentamus. Hoc primum docet experientia quotidiana: Non fere est dies, qui istam vim mortis non declaret. Quotidie videmus vel audimus homines omnis generis ad locum sepulturae efferri. Nec mors tantummodo pauperes, debiles, humiles et contemtos vocat, sed et divites, robusti, principes et honorati triste ejus imperium experiuntur. Quis itaque id, quod effugere nequeat, nimi opere extimescat? Quis est tam infirmo animo, ut, quod omnibus commune est, quod certo scit ad se venturum, hoc ipsi angorem vel horrorem incutiat?* etc. *Corporis deinde* (alterum argumentum primi argumenti) *nostri structura ipsa nos docet, nos non immortales natos esse. Tam fragile enim est atque caducum, ut facile praevideamus, fore, ut aliquando corruat. Quod si ita se res habet, quis tam stultus esse potest tamque parum sui memor, ut, quod fore aliquando certo praevideat, id adeo horreat, si quando fiat; et ut hospitem illam, cujus adventum certissimum esse dudum norit, summo horrore et tremore exspectet. Non sapientis est, id anxie horrere, quod mutari evitarique nequeat* etc. Poterant ac debebant haec longe latius explicari, illustrari etc., si necesse esse hoc loco putassemus.

3) Figurae illae rhetoricae, *anaphora*, *epiphora*, *symploce* et *epizeuxis*, huc pertinent: repetunt enim hae eandem notionem efficiuntque, ut ea menti lectoris et auditoris saepius obversetur; qua re ut perspicuitatem ita deinde simul gravitatem adjuvari quis non videt? *Anaphora* repetit notionem eandem in principio enuntiationum connexarum, v. c. *Deus nobis vitam dedit, Deus nos sanitate donavit, Deus nos mente instruxit* etc. *Epiphora* repetit notionem in fine enuntiationum, v. c. *Doletis tres exercitus populi romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis adflicta est? adflixit Antonius. Symploce* est conjunctio anaphorae et epiphorae, v. c. Cic. Agr. II, 9 *Quis legem tulit? Rullus. Quis partem populi privavit suffragiis? Rullus. Quis comitiis prohibuit? Rullus. Quis tribus, quas voluit, vocavit, multo custode sortitus? Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus. Quem principem renuntiavit? Rullum.* Quis inde non perspicere poterat, quam periculosa Rulli lex foret? *Epizeuxis* repetit eandem notionem continuo iisdem verbis, v. c. *Deus, deus hoc fecit:* sic Cic. Catil.

Catil. I, 1 *nos, nos, dico aperte, consules desumus* h. e. nos consules soli sustinemus causam, cur nondum Catilina supplicio adfectus sit. Cic. Font. 7 in. *Fuit, fuit illis judicibus divinum ac singulare consilium* etc.

4) Tandem in fine orationis, qui epilogus vulgo vocatur, solent argumenta eorumque argumenta, sed haec breviſſime, una cum thesi repeti, ut lector vel auditor denuo summam dictorum colligere et argumenta cum thesi comparare atque ita sibi de thesi persuadere possit. Hac de re nihil dicere hic adtinet. Quis enim hoc non observet?

SECT. XVIIII

14) *De pictura rei addenda.*

Quartus decimus fons propior perspicuitatis in explicandis illustrandisque rebus s. notionibus est *pictura rei* s. *descriptio rei vivida*, quam vulgo *diatyposin* et *hypotyposin*, nomine graeco eoque notiori, adpellant. Cernitur illa in eo, si res aliqua ita narratur vel potius depingitur, ut ei interesse et oculis ipsam fere cernere videamur. Id quod fit, si quaedam ejus partes seu circumstantiae, sensibus subjectae, in primis eae, quae oculis percipiuntur, recensentur. Qua re quin perspicuitas rei valde adjuvetur, quis dubitat? Sic Livius praelia saepe ita depingit, ut iis interesse et pugnantes videre videamur. Sic Cicero, Antonii compotationem describens, Phil. II, 41 hanc ita auditoribus perspicuam reddit, ut auribus et oculis fere subjiciat: Ait: *personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes* etc.: sic Cic. Ligar. 3 extr. *Quid enim, Tubero, destrictus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat?* etc. — At cavendum est, ne particulas rei seu circumstantias eas, quae nauseam creare possint, memoremus. Peccavit hic Cicero Phil. II, 25 extr. *In coetu vero populi romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal implevit.* Quis

verba haec ſine nauſea legere poteſt? Cicero ergo peccavit, odio graviſſimo in Antonium incenſus, quem omni occaſione data Romanorum contemtui exponere et omnibus deridendum propinare ſtudebat. Hoc odium illum abripuit eo, ut pudorem adeo offenderet.

SECT. XX

15) *Additamentum ad fontes perſpicuitatis rerum.*

Hi erant fontes perſpicuitatis rerum praecipui. Plures haud dubie detegi poterunt, ſi quidem in legendis magnis oratoribus ſingula accurate contemplemur, et, unde ducta ſint, inquiramus. Nam ipſi oratores ſaepe neſciunt, unde ſingula, quae protulerint, hauſta ſint: unde errant, ſi qui opinantur, e Ciceronis libris rhetoricis omnia praecepta perſpicuitatis atque etiam eloquentiae diſci poſſe. Poſſunt v. c. ad perſpicuitatis fontes in rebus explicandis referri

1) *Brevitas:* Saepe enim brevitas magis prodeſt perſpicuitati quam copia. Interdum intereſt lectoris et auditoris notiones quasdam ſtatim et ſimul cognoſcere, ut adeo peccet orator et ſcriptor, ſi divellat et ſingulas late explicet. In narrando in primis ſaepe decet nonnullas res, quam celerrime et arctiſſime fieri poteſt, jungi. Cf. ſupra p. 506 ff. caput de *brevitate* dicendi.

2) *Ordo idearum.* Ideae debent conjungi, prout earum natura poſtulat: de qua re ſupra in Parte priori p. 218 ff. late dictum eſt. Non facile alienae ideae debent immiſceri, ſaltem non multae: vocatur haec verborum interpoſitio *parentheſis.* Hinc longas *parentheſes* easque crebras, quantum quidem fieri poteſt, vitare debemus: ſaltem, ſi parentheſi paulo longiori ſupersedere non poſſumus, debemus poſt illam repetere aliquot notiones priores, ſaltem notionem primariam, ut contextus interruptus quodam modo reſtituatur. Solent etiam nonnullae particulae, ut *ergo, igitur* etc. it. *inquam* perſpicuitatis cauſa adhiberi, de qua re infra dicetur ſect. 23 n. XII.

3) Modeſtia in acumine adhibendo. Qui acute loqui nimis cupit, ſaepe incidit in obſcuritatem.

4) Sub-

4) Subtilitas in omni re adtendenda, v. c. ut videamus, utrum praedicatum toti ſubjecto an ejus parti rectius conveniat: v. c. *offendere alicujus animum* pro *offendere aliquem*: *vulnerare alicujus corpus* pro *vulnerare aliquem*: ſic *puppim advertere litori* vel *ripae* pro *navem advertere* etc. Huc pertinet ſubtilitas in jungendis duabus ideis, ut v. c. praedicata conveniant ſubjectis, v. c. ut dicamus *gradus altus*, non *gradus magnus* etc. Referuntur talia vulgo ad vocabula: hinc et ibi de iſta re dicemus.

SECT. XXI

B) *De fontibus perſpicuitatis propioribus in uſu vocabulorum.*

Sequitur *alterum genus fontium perſpicuitatis propiorum* pertinens ad *verba* eorumque uſum. Magna, imo interdum omnis, perſpicuitas in eo nititur. Nam, niſi verba talia ſunt, ut per ea res vere exprimatur; niſi illa ſingulis notionibus accurate reſpondent; niſi recte juncta et collocata ſunt; niſi, quidquid dilucide cogitavimus, id aeque dilucide oculis lectorum et auribus auditorum exponere poſſumus: nunquam dicemur perſpicue dicere vel ſcribere. Iam de recto verborum uſu etſi ſupra in Parte hujus libelli priore c. 2 multa diximus, tamen et hic nonnulla monere non inutile erit. Perſpicuitas dicendi, quod ad verba adtinet, quatuor in rebus conſiſtit: 1) vocabulorum ſingulorum delectu 2) compoſitione 3) ordine 4) connexione. De his igitur pauca dicentur, ſed ita, ut lectores cum his ea, quae Parte priore dicta ſunt, conjungere velim, quia ſine ſupra dictis haec, quae nunc dicentur, nec ſatis intelligi nec ſatis prodeſſe poſſunt.

SECT. XXII

1) *De delectu vocabulorum ſingulorum.*

Primus fons propior perſpicuitatis in vocabulorum uſu eſt *delectus* isque rectus *vocabulorum ſingulorum*.

Hic

Hic notanda ſunt haec:

1) *Primum debent eligi vocabula vera*, h. e. ea, quae vere apud priſcos Latinos occurrunt, atque ita vere latina ſunt. Nam, ſi non leguntur apud priſcos Latinos, non credibile eſt ea ab auditoribus et lectoribus intelligi. Omittenda igitur ſunt

1) *Graeca vocabula* omnia, ſi quidem fieri poteſt h. e. ſi latine exprimi poſſunt. Peccant hic multi, qui libenter, et id plerumque praeter neceſſitatem, immiſcent graeca latinis, v. c. ubique dicunt κατ' ἐξοχήν, ὡς ἐν παρόδῳ, ὁ πάνυ *Caſaubonus* h. e. *celeberrimus* etc. Nam non omnes lectores et auditores intelligunt graeca, qui latine ſciunt. — Excipiuntur tamen graeca vocabula a Latinis jam dudum recepta et latina veſte donata, atque in priſcis ſaepe occurrentia, v. c. *muſeum*, *tropaeum* etc. Tolerari haec poſſunt, quia jam ſatis nota ſunt et intelliguntur. Tolerari etiam poteſt, ſi quis quid graeco vocabulo exprimit, quia latino non poteſt: at hoc raro fieri ſolet, modo latine loqui velis. Pertinent huc figurae rhetoricae, quae forſitan omnes latine verti vel ſaltem veſte latina indui poſſint: ſed illud longe melius foret ac perſpicuitati convenientius. Nihil magis perſpicuitati nocet, et ambiguitati magis prodeſt, quam vocabula peregrina in eam linguam, qua in ſcribendo et dicendo uteris, recipere. Si omnes et dicentes et ſcribentes inde ab omni tempore hoc vitaſſent, et omnia vocabulis linguae ſuae, iisque popularibus, expreſſiſſent, multae diſſenſiones et ſectae non exſtitiſſent. — Verba peregrina in linguam aliam invecta amittunt ſenſim aliquid notionis vel aliquid adſciſcunt: donec tandem vera notio vel pereat vel valde obſcura et ambigua fiat. Docent hoc vocabula *Logice*, *Philoſophia*, *Philologia*, *Evangelium Matthaei*, et ſexcenta alia. Quis haec nomina intelligit ſine explicatione et definitione? At, ſi cui nomini demum explicatio ſeu definitio addenda eſt, nonne hoc indicat, illud eſſe per ſe obſcurum vel ambiguum? Huc pertinent ea, quae ad verbum ſunt translata, v. c. *regeneratio*, *fides in Chriſtum*, *conſummatio ſaeculi* etc. Iam, ſi vocabula peregrina ſunt praeterea tropica, difficultas eorum et obſcuritas magis augetur.

2) Omittenda ſunt vocabula recens inventa, et in Theologorum, Iureconſultorum, Medicorum, Philoſophorum, aliorumque libris et orationibus interdum obvia: quia non ſunt vocabula vere latina. Tolerari tamen debent, ſi ſunt per neceſſitatem inventa, v. c. *infuſum*, ut a *decocto* discernas etc.

etc. Sed unde diſcimus, quae vocabula ſint priſcorum, et quae ſint recens inventa? Maxime e lectione priſcorum: haec eſt certiſſima magiſtra: at, quia ea ab omnibus poſtulari non poteſt, prodeſt lectio librorum, in quibus vocabula recens facta collecta ſunt, quales ſunt *Cellarii Antibarbarus* et *Curae poſteriores*, *Vorſtii libellus de latinitate merito ſuſpecta*, *Ienſii Collectanea purae et impurae latinitatis* etc., it. uſus Lexici boni. Attamen non credendum eſt in his libris omnia ſero facta et ſcriptoribus optimis ut Ciceroni, Caeſari etc. ignota contineri. Quis enim mortalium omnia iſta colligere poſſit? Talia vocabula ſunt v. c. *abbreviatura*, *aequipollentia*, *aptitudo*, *coacte*, *concivis*, *confrater*, *condeſcendere*, *controvertitur*, *correcte*, *extemporaneus*, *filialis*, *grātitudo*, *impraegnare* etc.

3) Omittenda ſunt vocabula dubiae auctoritatis, h. e. quae quidem adhuc in ſcriptoribus priſcis, ſaltem in multis eorum editionibus, leguntur, ſed quae Critici vel ejecerunt, vel ejicienda adhuc cenſent, quia non videntur a ſcriptore profecta, vel quae aliis de cauſis incerta ſunt. Talia ſunt *accerſo* pro *arceſſo*, *divertere einkehren* pro *devertere*, *multare* pro *mulcare* i. e. *verberare* ſ. *percutere*, *periculum* ap. Nepot. in Epam., *vendico* pro *vindico* etc. Sed unde haec et ſimilia diſcas? E lectione priſcorum, ſi quidem uteris editionibus Criticorum, v. c. Gronoviorum, Graevii, Burmanni, Geſneri, Erneſtii etc.: in primis ſi ipſe es Criticus eque contextu et ope Codicum manu ſcriptorum atque ingenio lectione priſcorum ſubacto judicare potes, quid priſci ſcripſerint, quid non. Ac dolendum eſt, in ſcholis tractari vulgo ab adoleſcentibus, imo ſaepe ab ipſis magiſtris, editiones vulgares et ab imperito homine profectas: unde falſa vocabula inde a prima aetate diſcuntur. Quid juvat opera Criticorum hanc in rem adhibita, ſi eam ignoramus, nec uti poſſumus aut volumus? Sed hinc adparet etiam utilitas et neceſſitas artis criticae in explicandis priſcis, et quam perperam agant ii, qui ad aetatem adoleſcentium in ſcholis non accommodatam eſſe dicant: Imo nullam ſententiam in ullo priſco ſcriptore ac ne vocabulum quidem explicare tuto poſſum, niſi ſcio hoc eſſe a ſcriptore profectum. Alioquin vitia explico et diſcenda tironibus trado.

Ceterum, etſi vocabula diximus vere latina eſſe debere, tamen id hactenus volumus intelligi, quatenus haec ſufficiunt ad explicandas noſtras notiones. Hinc toleranda ſunt multa recentiora, v. e. *Archidux*, *Abbas*, *Vaſallus*, *angelus*, *infu-*

ſum

ſum etc., ut infra dicetur. Nam non habemus vocabula vere latina, quae iis ſalvo ſenſu apte ſubſtituantur.

II) *Deinde* in exprimendis ideis *eligi debent vocabula nota*, ut lectores et auditores intelligant, quid dicamus. Difficile eſt dictu, quid cuique notum ſit. Nam aliis ea ſunt nota, quae aliis ignota ſunt. Per *nota vocabula* intelligo ea, quae credere poſſumus ab omnibus, qui linguam latinam quodam modo callent, intellectum iri. Hinc uſurpanda ſunt non niſi ea, quae a) in aetate aurea, quae vocatur, uſitata fuere: nam libri hujus aetatis omnium maxime leguntur; hinc vocabula in illis obvia lectoribus et auditoribus nota eſſe credibile eſt ac notiora, quam quae ſunt aliarum aetatum, in primis vocabula Ciceronis: hujus enim libri praecipue leguntur, ut propterea vocabula in illis occurrentia ſint notiora quam alibi obvia. b) Deinde in his *uſitatis* vocabulis eligenda ſunt *maxime uſitata* h. e. ea, quae in ſcriptoribus aureae aetatis, in primis in Cicerone, creberrime occurrunt. Nam, talia notiora eſſe omni lectori et auditori debere quam raro occurrentia, per ſe intelligitur. Hinc ſequitur, ut, quantum res patiatur, omittantur

1) Vocabula ea, quae non in aurea aetate occurrant. Sed unde ea novimus? E lectione maxime ipſa illorum ſcriptorum, et e bono Lexico. Recenſebo magnam partem eorum, quae nunc quidem, quantum ſcio, in libris priſcorum aureae aetatis non leguntur ac partim in nullo priſcorum ſcriptorum fortaſſe reperiuntur: annon vero aliquando ab editoribus inſeri poſſint nonnulla illorum, non confirmare poſſum: *Abbas* et *Abbatiſſa*, *abbreviatura*, *abbreviare*, *abominabilis* et *abominatio*, *acquiſitio*, *additicius*, *adoptatio*, *aequanimiter*, *aequanimis*, *aequipollentia*, *aequipolleo*, *adfectuoſus*, *adfirmativus*, *adfirmative*, *agonizare*, *albedo*, *aliqualiter*, *aliquanti* i. e. *aliquot*, *aliquatenus*, *amanuenſis*, *amicabilis* et *amicabiliter*, *anathema*, *angelus*, *anguſtiare*, *animalculum*, *animitus*, *annihilare* et *annullare*, *annuatim*, *apoſtata*, *adpropriare*, *aptitudo*, *Archidux* etc., *archivum*, *armiſtitium*, *adſiſtentia*, *adſuefactio*, *augmentare*, *balbuties*, *baptiſmus*, *baptizare*, *benefactor*, *beneplacitum*, *beſtialis*, *blaſphemia*, *bibliothecarius*, *bibo* ſubſt., *boatus*, *bovinus*, *breviarium*, *caeſpitare* ſ. *ceſpitare*, *cambium*, *calculare*, *canonizare*, *captivare*, *carentia*, *carminice*, *carnalis*, *carnaliter*, *caſualis*, *caſualiter*, *certitudo*, *coacte*, *coadjutor*, *coaequalis*, *coaetaneus*, *coaevus*, *coelitus* ſ. *caelitus*, *coincido*, *combinare*, *Comitiſſa*, *commendatorius*,

datorius, commenſalis, compater, compatior, complacentia, complex, computus, concernit (i. e. adtinet ad) *concivis, concordantia, concupiſcentia, condeſcendere, condolentia, confiſcare, confoederare, confoederatio, confortare, confrater, congrue, connumerare, conſiſtorium, conſortium, conſtellatio, contrariari, contradictorius, contradictorie, contribulis, controvertitur, converſari* i. e. *umgehen, ſich aufhalten, coordinare, cordialis, cordialiter, cordicitus, corporalis, corporaliter, correcte, correſpondere, crapulari, creatura, crucifigere, cuprum, curſorius, curſorie, dapifer, decollare* i. e. *köpfen, decrementum, deitas, depraedari, deriſio, deſertum, deſolatio, deteriorare, deviare, diescit, dietim* i. e. quotidie, *dignanter, diſtrictus* ſubſt., *diverſicolor, diverſimode, diviſim, dolorificus, doloroſus, dubietas, Duciſſa, econtra, edecumatus, efficaciter, effigiare, efformare, eleemoſyna, eluceſcit es erhellt, epitomare, epitomator, eremita, ethnicus, excommunicare, exhibitor, exinanitio, exorbitare* cum derivatis, *extemporaneus, extraordinarie, extrinſece, facilitare, famigeratus, favorabiliter, fictitius, fidejuſſor, figmentum, filialis, filialiter, finalis, finaliter, flavedo, fluxus* ſubſtant., *fornicari* i. e. *huren, forpex, fortificare, frontiſpicium, fructificare, fruſtraneus, fundamentalis, fundamentaliter, gehenna, glorificare, gratanter, gratitudo, habitaculum, hebdomadatim, hereditare, hiſtoriographus, homagium, hortulanus, humiditas, humiliare, hypocrita, idololatria, jejunare, ignominioſe, ignoranter, illatio, illativus, illegitimus, immediatus, immediate, immoriger* et *immorigerus, impertinens, impoenitens, impoenitentia, importantia, impoſſibilis, impoſſibilitas, impraegnare, inadvertentia, incapax, incertitudo, iuceſſabilis, inceſſabiliter, inceſſanter, incidenter, incolatus, incongruus, inconſideranter, inconſideratio, incoram, incorporalis, incorporaliter, incorrigibilis, incorrigibiliter, incredulitas, incunctanter, incurabilis, incurabiliter, indefinenter, indiſciplinatus, infernalis, infinities, influxus, ingratitudo, inobediens, inſimul, inſipidus, inſolite, inſufficiens, entia, enter, intelligibilis, intimare, intimior, intrinſece, invariabilis, invaſor, inverecunde, inverecundia, irrationalis, irrationaliter, irrationabilis, irrationabiliter, irreconciliabilis, irregularis, irregulariter, irremiſſibilis, irreverenter, tia, inviſibilis, inviſibilitas, inviſibiliter, itinerarium, juramentum, juſtificare, labilis, licite, liga, longanimus, longanimitas, lubricitas, lucta, maledictus, manuductio, martyr, martyrium, matricula, medie, mediate, mediator, meliorare, menſurare, meridionalis, minorare, miraculoſus, modernus, moleſtare, momentaneus, momentaliter, mona-*

monachus, monialis, monoculus, mortificare, multoties, neceſſitare, negativus, negative, neotericus, neutralis, nigredo, nimietas, notorius, notorie, nullatenus, obtenebrare, obviare, occidentalis, octodecim, ocularis, ocularitер, orthodoxus, orthodoxe, ordinarie, oscitantia, pacifice, paenultimus, parochia, partialis, paſſio, peccamen, peccaminoſus, peccator, peccatrix, perlator, perpendiculariter, pientiſſimus, pinnaculum, plauſibiliter, pompoſe, populoſus, poſſibilis, poſſibilitas, praenominatus i. e. praedictus, *praeprimis, praeſentaneus, praeſentare, praeſervare, praeſupponere, primicerius, primordialis, primogenitus, prioritas, profunditas, proficuus, prolongare, promanare, promtitudo, propalare, prophetare, proportionaliter, protectio, protector, protoplaſti, purificare, puritas, puſillanimis, puſillanimitas, qualisqualis, quantocius, ratificare, realis, realiter, recenter, recommendare, recompenſare, rectitudo, redargutio, reahoſtimentum, refrigerium, reiteratio, repedare, reſpective, reſtaurare, reſurrectio, reverenter, reverendiſſimus, reviſio, rigoroſus, ſalvator, ſalvificare, ſanctificare, ſanctificatio, ſapidus, ſcandalum, ſcandaloſus, ſcholaris, ſcibile, ſcortatio, ſcrutinium, ſeorſim* pro *ſeorſum, ſeptimana, ſeptimanatim, ſignanter, ſituari, ſituatio, ſolummodo, ſomnolentus, ſomnolentia, ſordities. ſpecialis, ſpecialiter, ſpondaicus, ſpontaneus, ſtannum, ſternutare* et *ſternutatio, ſubalternus, ſubalternare, ſubalternatio, ſubaudire, ſubintelligere, ſubjugare, ſubſiſtentia, ſubſtantia, ſubſtantivum, ſucceſſivus, ſucceſſive, ſufficientia, ſufficienter, ſummitas, ſuperciliоſus, ſuperfluus, ſuperioritas, ſupernaturalis, ſuppedaneum, ſupremitas, ſuſtentaculum, tortura, totalis, totaliter, transmutatio, transſubſtantiatio, triumphator, vacantia, vane, variabilis, vaſallus, vaticinium, vegetativus, verificare, vice verſa, viror, viſibilis, viſibilitas, viſibiliter, ullibi, ultime, ultimo* et *ultimato, unanimiter, uniformis, unigenitus, voluptuoſus, voracitas, uxoratus*, et ſexcenta alia: cf. Lexic.: quis enim hic cuncta commemorare vel tantummodo ſcire queat? Haec igitur vocabula omittenda ſunt, ſi fieri poteſt h. e. ſi iis carere poſſumus. Multis enim horum vocabulorum poſſumus carere, iisque alia ſubſtituere, v. c. pro *adoptatio* dici poteſt *adoptio*, ſic *aequanimiter* mutari poteſt in *aequo animo*, *adfirmativus* in *affirmans, ajens*, v. c. *enuntiationes ajentes*: *armiſtitium* in *induciae*, *archivum* in *tabularium*, *adſiſtentia* in *auxilium*, *adſuefactio* in *conſuetudo*, *boatus* in *mugitus*, *coaequalis, coaetaneus, coaevus* in *aequalis*, *concivis* in *civis*, *cordicitus* in *ex animo*, *correcte* in *emendate*, *multoties* in *ſaepe*, *nigredo* in *nigror*, *octodecim* in *duodeviginti*, *proficuus* in *utilis*,

utilis, *profunditas* in *altitudo*, *reſtaurare* in *inſtaurare*, *ſalvator* in *ſervator* (i. e. *Erretter*), *ſalvificare* in *ſervare*, *ſolummodo* in *tantummodo*, *ullibi* in *usquam*: et ſic in aliis agi poteſt: interdum et circumſcribere licet. Sunt vero etiam non pauca, quae non bene commutari poſſint, niſi ubique lata circumſcriptione uti velis, quae tandem taedio eſt, praeſertim ſi nota jam ſunt vocabula: v. c. *Abbas*, *Abbatiſſa*, *Archidux*, *Archi-Mareſchallus* etc., *angelus*, *diabolus*, *bibliothecarius*, *canonizare*, *Comitiſſa*, *Monachus*, *Monialis*, *Paſtor* v. c. eccleſiae alicujus, *Diaconus*, *Archidiaconus*, *Papa*, *Vaſallus*, *paenultimus*, *occidentale imperium*, *ſubſtantivum*, *ſpondaicus*, et alia multa nomina ordinis, dignitatis, et honorum, v. c. *Miniſter* regis etc., it. adjectiva honores deſignantia, *reverendiſſimus*, *praenobiliſſimus* etc., quae ejicere durum foret atque inhumanum. Sunt nota, et, quidquid vocabuli Ciceroniani iis ſubſtituas, nunquam id exprimit, quod vocabulum barbarum, more receptum, exprimit vel exprimere videtur. Sic et in rebus philoſophicis, rhetoricis, theologicis etc., agendum, ubi nonnullis vocabulis, ut *adfirmative*, *negative*, *angelus* et aliis vix abstinere licet, niſi forte velis lata circumſcriptione lectori taedio fieri.

2) Sequitur deinde, ut omnia raro apud ſcriptores aureae aetatis et Ciceronem occurrentia vocabula omittamus, ſi quidem fieri poteſt, quia credibile eſt ea non cuivis lectori et auditori nota eſſe; ut taceam, talia vocabula his ſcriptoribus excidiſſe videri, atque ipſos non ea pro bonis habuiſſe, quia alioquin crebrius iis uſi eſſent. Talia ſunt v. c. *cauſari*, *infideliter*, *nullibi*, *vituperium*, *ſervitudo* etc. Conſuli hic debet Lexicon bonum.

3) Etiam vitanda ſunt *poetica* h. e. quibus tantum poetae delectantur; ea ſunt paulo duriora et communi dicendi uſui plerumque ignota. Nam non omnia, quibus poetae utuntur, ſunt *poetica* vocanda, ſed quibus illi ſoli: quo fortaſſe pertinet *imputare*, *aequor* de mari etc. At de his non judicare poteſt, niſi qui lectioni priſcorum jam adſuetus eſt. In primis huc pertinent epitheta, v. c. *altiſonus*, *horriſonus*, *velivolus*, *flammiger* etc., quae nota eſſe debent ei, qui vitare vult. Etiam hic tironibus conſulendum eſt Lexicon.

4) Graeca, ut ſupra n. 1 dictum, omittenda, quantum fieri poteſt, quia non omnibus lectoribus et auditoribus ſunt nota.

5) Omnia recentiora, ſi iis carere poſſumus, vitanda, quia non auditoribus et lectoribus omnibus nota. Etiam hic Lexicon conſuli debet.

6) Etiam in uſu vocabulorum e mythologia et antiquitatibus ductorum cautio magna eſt adhibenda. Non ſemper ſcimus, an auditores illa omnia intelligant: non omnes mythologiam et antiquitates eadem opera diſcunt: imo ſaepe ne lectores quidem ſemper intelligunt, licet his tempus ſuppetat ad conſulendos libros: ut taceam humanitatis eſſe, lectores, quantum poteſt fieri, hac moleſtia evolvendi libros liberare, ac propterea potius vocabula popularia ſumere. Et quo quis peritior eſt linguae latinae, eo minus ſolet de rebus ad remp. Romanam non pertinentibus vel ſcribens vel dicens vocabula ex antiquitatibus romanis petere: praeſertim cum, ut infra dicetur, raro in noſtra tempora recte transferri poſſint.

III) *Vocabula debent ſumi ſignificatione nota.* Significatio nota eſt ea, quam ſaepiſſime apud priſcos, in primis Ciceronem, occurrere certum eſt: nam tales ſignificationes etiam iis notae ſunt vel notae eſſe credendae ſunt, qui non ſubtiliſſima linguae cognitione inſtructi ſunt. Habent enim vocabula, per ſe bona et optima, interdum

1) *ſignificationes variores*, quae paucis notae ſunt, quia non omnes linguam diligentiſſime diſcunt, v. c. *notatio* occurrit pro *etymologia* ap. Ciceronem; ſic *gaudeo* interdum pro *habeo; utor* pro *indigeo; evadere* pro *fieri; ſupplicium* pro *ſupplicatio; ex tempore* pro *ſtatim, ſubito*, dixit Cicero Arch. 8 et Or. III. 50 *quaſi* additum numeris pro *fere, circiter* Cic. Verr. Act. I, 8 Terent. Heavt. I, 1, 39 etc.; his abſtinendum cenſeo.

2) habent nonnulla vocabula ſignificationes dubias, de quibus adhuc lis eſt inter doctos vel quae nondum ſatis confirmatae ſunt, v. c. *periculum* apud Nepotem in Epamin. 8, quod alii explicant per *columnam*, alii per *tabulas publicas, das Protocoll*, provocantque ad Ciceron. Verr. III, 7, ubi *ſcribis tabulae publicae periculaque magiſtratuum committi* dicuntur: ſed nondum clarum eſt, Ciceronem per *pericula magiſtratuum* intellexiſſe *tabulas publicas*, praeſertim cum hae ipſae jam nominentur, ut taceam Ciceronem dixiſſe *pericula magiſtratuum*, quod ſecus eſt in Nepote, ubi Epaminondas petit a judicibus, ut ſuo periculo certa verba inſcribant: alii *periculum* tolli et cum alio vocabulo commutari volunt. — Sic *denique* Graevius explicat *ut paucis dicam, me expediam, kurz zu ſagen:* at poteſt hoc vocabulum plerumque per *tandem, poſtremo*, vel etiam per *adeo ſogar* explicari, ut adeo iſta Graeviana ſignificatio inter fictas referri poſſe videatur.

tur. — Sic *humare* h. e. *humo tegere* explicant nonnulli per *cremare*, laudantque Ciceron. Leg. II, 22, ubi dicit, *sepultos* dici sua aetate quoque *humatos*; et Nepot. Eum. 13 extr., qui ait: *hi — humaverunt, ossaque ejus ad matrem — deportanda curarunt.* Quomodo potuerunt Eumenem *humare* i. e. *humo tegere* et deinde *ossa ejus ad matrem deportanda curare?* hinc colligunt *humare* esse *cremare*. At a) Ciceronis locus non docet *humari* esse *cremari*. Cicero dicit tantum, sua aetate omnes sepultos i. e. *crematos* dici *humatos*. Recte: omnes sepulti i. e. cremati possunt *dici* humati, quia omnes homines, ubi combusti erant, humabantur h. e. humo tegebantur, ossa scilicet eorum: hinc per metonymiam *crematum* vocare possum *humatum*: at propterea *humari* non est plane *cremari*: ut nos quoque hominem *sepultum* pro *mortuo* dicimus: at propterea *mori* et *sepeliri* non eadem sunt. b) locus Nepotis forsitan corrigendus est, et leg. *cremaverunt* pro *humaverunt*, ut jam Lambinus, praeclarus judex bonae latinitatis, vidit, nisi dicere malis, propinquos solum Eumenis cineres humasse atque ossa in Cappadociam misisse. Rectius ergo ubique *humare* explicamus *humo tegere*. Ab ejusmodi igitur significationibus, nisi plane fictis, at dubiis saltem, abstinere debemus. Possint huc multa adhuc referri vocabula; itemque multae phrases, v. c. *ad scenam ire* ap. Nepot., quod nondum clarum est esse idem quod *in scenam prodire* etc.

3) habent et multa vocabula adeo fictas significationes, aut priscis aureae aetatis ignotas, quae tamen a recentioribus interdum vocabulis nonnullis tribui perperam solent: v. c. *advocare* pro *causas agere* s. *patronum causarum esse; ambitio* pro *superbia* et *ambitiosus* pro *superbia inflatus*, cum priscis sit *studium aliis valde placendi* etc.; *angustia die Angst; apparere* pro *videri*, cum sit *manifestum esse; avarus* pro *nimis parco et tenace*, cum sit *pecuniae nimis cupidus; bona opera* de *beneficentia* erga *egenos, miseros* etc.; *brachium saeculare* de *magistratibus; calumnia* pro *criminatione* alicujus coram aliis quacunque in primis privata et tecta, *Verläumdung; calamitas* pro *omni malo* s. *fortuna adversa Unglück*, cum sit *jactura rei gravior* vel *malum gravius; clemens* pro *benefico, benigno*, cum sit tantum *facilis in venia alicui danda; communiter* pro *vulgo, plerumque*, cum sit i. q. *sine partitione, gemeinschaftlich*, v. c. Cicero ad Div. XIII ep. 12 in. opponit *communiter* et *separatim; compilare* pro *colligere* in universum, cum sit modo *spoliare; confundi* pro *pudore adfici* ap. scriptores eccles. ex hebraico; *consulere alicui* pro *suadere*, cum sit *prospicere; convincere* pro *persuadere*, cum sit nihil

aliud, quam ostendere aliquem aliquid (mali) feciſſe vel rem (malam) ita ſe habere, licet aliquis neget; atque ita tantum in mala re occurrat; *copia* pro *exemplo*, *die Copie; cordatus* pro *animoſus; crux* pro *malis* ſ. *rebus adverſis* apud Theologos; *damnati* pro *iis, qui in orco ſunt* vel *ſupplicüs aeternis adficiuntur; deputare* pro *deſtinare*, hinc *deputatum*, cum ſit priſcis *amputare; deſtitui* pro *carere* in univerſum, cum ſit *deſeri; devotio* pro *ſumma ardentique pietate erga deum; diligens* de *valde et libenter occupato*, cum ſit *accuratus, providens, ad ſingula adtentus*, ſic *diligentia* male ponitur pro *induſtria, der Fleiß, Geſchäftigkeit, Betriebſamkeit; discurro* pro *loquor, discurſus* pro *ſermo; discretus* pro *humanus, modeſtus; exceſſus, ein Exceß* ſ. *grave peccatum; feſtivitas* de *die ſolenni; fides* v. c. in Chriſtum ap. Theologos, *der Glaube*, ſic et *fideles die Gläubigen; fornicatio* de *ſcortando; gentilis ein Heide; hactenus* de *tempore bis itzt* (ſaltem a multis haec notio dubitatur); *humilis* ſenſu bono et *humilitas* de virtute certa, *Demuth*, cum priſcis ſit *niedrig, Niedrigkeit*, v. c. *virgultum humile*, ac per contemtum dicatur, v. c. *animus humilis ein niedriges, niederträchtiges, Gemüth; impingere* neutraliter pro *offendere anſtoßen*, cum ſit priſcis activum; *infernus die Hölle; infideles die Ungläubigen; infidelitas der Unglaube* ap. Theologos; *infucatus* pro *non fucatus*, cum priſcis ſit idem quod *fucatus; inquam*, ſi eſt revocantis ſe in verbis perperam dictis *ich wollte ſagen;* priſci utuntur eo in repetitione verborum poſt parentheſin, at, ubi perperam dicta corrigere volunt, dicunt, *volui dicere*, non *inquam; intercedere* pro *rogare alicujus cauſa; iterum* pro *rurſus* in univerſum, priſcis eſt pro *ſecundo, wiederum* i. e. *zum zweyten Male; juxta* pro *ſecundum, ex*, v. c. *juxta Platonem hoc verum eſt*, priſcis aureae aetatis eſt idem quod *prope; laqueus* pro *fune omni*, priſcis pro *fune*, cui nodus ineſt, et reſpondet plerumque noſtro *Schlinge, Fallſtrick; levis* pro *facilis*, priſcis pro eo, quod caret pondere, deinde pro *vano, contemnendo, vulgari; linea* pro *verſu eine Zeile; magiſtratus* pro toto *ſenatu; maxima* pro *regula* vel *principium*, quod ſequimur in agendo; *medium* pro *re, qua aliquid efficitur*, *das Mittel; miniſterium* de *ordine ſacerdotum; momentum* pro *pretio*, v. c. *res magni momenti* dicunt pro *re magni pretii*, cum ſit *res magni ponderis* ad aliquid bene peragendum, *momentum* enim eſt *pondus, Gewicht* vel *Einfluß; mundus* pro *hominibus*, in primis pro *malis; multare* pro *verberare*, hic debet uſurpari *mulcare; omnino* in adfirmante reſponſione; *opinio* de omni ſententia, etiam certa, cum ſit plerumque noſtrum *Meinung*,

Meinung, Vermuthung, Wahn; ſic et *opinari; paganus ein Heide; perſecutio* de malis illis, quae Chriſtiani paſſi ſunt ſub Imperatoribus primis; *poenitentia die Buße; praeciſe* pro *accurate*, cum ſit *breviter; praeſumo* pro *audeo*, priſcis aureae aetatis eſt *ante ſumo; pro tempore* pro *nunc; prolixus* de verbis, v. c. epiſtola prolixa; *promovere* v. c. rem pro *adjuvare befördern; proximus* de *homine* in univerſum; *publicus* pro *manifeſtus*, cum ſit priſcis aureae aetatis fere id, quod nomine populi fit, ad eum vel ejus commodum pertinet etc. ſic et *publice* (locus Cic. Brut. 62 dubius creditur ab Erneſtio), v. c. *publice miſſus eſt ad hoc bellum; quoad* cum accuſat. pro *quod adtinet ad* etc. (locus Liv. XLII, 6 fortaſſe dubius eſt); *reſurgere* pro *ab inferis aliquando redire; remedium* pro re, qua aliquid efficitur, *Mittel zu etwas*, priſcis dicitur de re, qua aliquid avertitur; *ſcientia* pro *diſciplina* in libris tradita, v. c. Philoſophia, Theologia, priſcis eſt *id, quod ſcimus*, ſeu idem quod *notitia, cognitio; ſaecularis weltlich; ſeducere* pro *decipere* (locus Caeſ. B. C. I, 7 Ed. Oudendorp. nihil conficit); *ſuſpenſus ab honoribus* vel *munere; teneor* pro *debeo* ſeq. infinitivo; *vergo gereichen*, v. c. *in honorem; verba facere* pro *loqui* in univerſum; *vice* conjunctum cum nomine numerali, v. c. *prima vice, ſecunda vice* etc.; *unio* pro *conjunctione; vocatio* de munere alicui committendo; *votum* pro *ſuffragio das Votum* etc. His igitur ſignificationibus abſtinendum: cum vero plura vocabula hujus generis ſint, iſta res non niſi e lectione priſcorum tuto diſci poteſt. Nonnullae etiam ſignificationes in aurea aetate non videntur in uſu fuiſſe; hinc multi iis abſtinent; huc pertinet *privilegium* bono ſenſu; *quandoque* pro *interdum* etc.

4) ſunt et ſignificationes vocabulorum poetis fortaſſe propriae; v. c. *ſalutor* pro *adpellor*, ſic et *audio* pro *vocor*, *eſt* ſeq. infin. pro *licet*, v. c. *hinc videre eſt, hieraus kann man ſehen.* At non omnes lectores et auditores ita legerunt poetas, ut ſignificationes ibi ſolum obvias tenerent.

IIII) *Vocabula debent quoque eſſe apta* h. e. *notioni, quam mente tenes, accurate reſpondere eamque plane exprimere*, atque ita neque nimis multum neque nimis parum dicere. Haec eſt certiſſima ad perſpicuitatem via. Tripliciter igitur hic peccari poteſt:

1) *primum*, quando orator vel ſcriptor cum vocabulo aliquo *aliam* ideam conjungit, quam illud habet h. e. quam priſci aureae aetatis cum eo olim conjunxerunt, v. c. quando

conſulere alicui uſurpat pro *ſuadere* ſ. *conſilium dare*, ut vulgo faciunt, *diligentia* pro *induſtria Fleiß, Betriebſamkeit; omnino* in reſponſione adfirmante, *quandoque* pro *interdum*, *ſcientia* pro *arte* vel *diſciplina* in libris tradita etc. add. vocabula paulo ante memorata.

2) *deinde*, quando loquens vel ſcribens majorem ideam cum vocabulo conjungit, quam hoc habet, v. c. quando uſurpat *opinio* ſimpliciter pro *certa ſententia; opinari* pro *judicare* ſ. *ſibi perſuadere*, vel etiam *arbitrari* ob argumenta, eſt enim tantum fere *credere ſine cauſa, vermuthen; parum doctus* pro *paulum docto*, cum ſit fere i. q. *indoctus*, *parum* enim per contemtum dicitur, eſt noſtrum *wenig* (non *ein wenig*) et ſaepe vix differt a *non;* ſic et *vix* ſaepe parum abeſt a *non*, v. c. *vix credi poteſt* et *non credi poteſt* fere eadem ſunt, et apud priſcos inter ſe crebro commutantur. Qui itaque alicujus laudandi cauſa dicit, eum *parum doctum eſſe, ingenio parum felici praeditum eſſe*, is illum non laudat, et errat, cum putat ſe vernaculum *ein wenig* (latinis *paulum* ſ. *paululum*), quod fere convenit cum *ziemlich* et medium eſt inter *viel* et *nichts*, expreſſiſſe. Sic *mediocris*, *mediocriter*, non ſemper cum laude dicitur; v. c. *eruditio mediocris* eſt tum *mittelmäßige*, i. e. *ziemliche*, tum *mittelmäßige* i. e. *ſchlechte Gelehrſamkeit*. Sic *mediocriter doctus*.

3) *tandem* peccatur, quando in loquendo vel ſcribendo *minorem* ideam cum vocabulis conjungimus, quam ea vere continent, v. c. quando dicitur *ira inflammatus* pro *iratus*, cum illud *graviter iratum*, hoc ſimpliciter *iratum* indicet; *perſuadere ſibi* pro *putare, credere*, cum illud ſit *certo credere, pro certo habere; honoratiſſimus* in titulis *hochgeehrteſter*, cum apud priſcos de vero *honore* vel de *munere honorifico* tantum dicatur etc.

Iam quid agendum eſt, ut vocabula ubique ideis recte reſpondeant? Debemus et rem, quam exprimere verbis ſtudemus, et vocabula ipſa, quibus exprimenda ſit, accurate intelligere. Quod utrumque ſi obſervamus, nunquam peccabimus. Nam tum videbimus multas ideas ſ. res, Romanis olim notas, nobis hodie ignotas eſſe et contra multas res nobis hodie cognitas illis ignotas fuiſſe: unde patebit, non omnia priſca vocabula hodie uſurpari amplius poſſe, quia non ſingulis ideis recentioribus reſpondent. Huc pertinent v. c. *legio*, *cohors*, *tribunus*, *haſtati*, *triarii*, *ſeſtertius*, *denarius*, *municipium* etc.: *legio* vix reſpondet ei multitudini militum, quae vocatur hodie *ein Regiment:* et, cum *cohors* fuerit priſcis *decima pars legionis*, quaeritur, an reſpondeat ei numero,

qui

qui vocatur *Bataillon: municipium* hodie plane non exſtat amplius, eſt enim *oppidum ſuis legibus ſe regens ſuisque magiſtratibus ac ſimul jure civitatis romanae utens,* ubi eſt tale oppidum? Et ſexcenta talia ad antiquitates pertinentia non ſatis conveniunt noſtris temporibus, ac ne *ſervus* quidem fere, it. *toga, tunica* etc. Noſtri *ſervi* ſunt liberi; ac, quod nobis vocatur *Rock, Weſte*, diverſum eſt a *toga, tunica.* Quid igitur agemus? Sumamus, fateor, neceſſe eſt vocabula priſca, quae habemus, et ignoſci nobis ſaepe debet, quia melioribus caremus. Hinc in rebus, quae recens inventae ſunt et priſcis plane ignotae fuere, non vitio verti debet iis, qui recentiora vocabula uſurpant, v. c. *bombarda, pulvis pyrius, Archidux, Confeſſionarius, Miniſter regis* pro *amico* etc. An etiam *Regimentum, Batalio* etc. dicamus? Equidem putaverim. Sunt, qui circumſcribere malint tales res: id quod non omnibus placet, qui brevitatis ſunt ſtudioſiores. Hic omnia iſta vertuntur in conſenſu eruditorum: ab his pendet *uſus* atque ita lex et norma loquendi. Pertinent huc etiam multa Theologica, Iuridica, Medica. Theologo v. c. non vitio verto, quando de *angelis, diabolo, Meſſia, epiſcopo, diacono, ſpiritu* etc. loquitur, quia haec vocabula omnibus nota ſunt. Sic Iureconſulto facile ignoſco loquenti de *feudis, Allodiis, Vaſallo, Gerada, jure patronatus, praeſcriptione longi temporis* etc.; itemque Medico, quando de *pilulis, infuſo, decocto, extravaſatione, electuariis* etc. loquitur et ſcribit. Si quis tamen velit ac poſſit apte i. e. ſalva perſpicuitate circumſcribere, ei non invidebo. — Philoſophi non tanta fere neceſſitate premuntur, quia Cicero jam philoſophiam latine tractavit: at Theologiae noſtrae, Iurisprudentiae, et Arti medendi illud non contingere potuit. Ac docuit Erneſti Initiis philoſophicis, poſſe nos de philoſophia, dummodo velimus, bene latine ſcribere. Ceterum cogitemus, in verbis non ineſſe pulchritudinem ſed in ideis latentibus in illis et in conjunctione vocabulorum. Hinc, qui barbara (ut vulgo vocantur h. e. non occurrentia apud bonos ſcriptores priſcos, praeſertim aureae vel etiam argenteae aetatis) vocabula uſurpat, at praeclare in iis cogitat, et ea praeclare et ad perſpicuitatem accommodate conjungit, is, de mea quidem ſententia, pulchrius ſcribit et magis placet, quam qui vocabula non niſi e Cicerone hauſta adhibet, ſed in iis non praeclare cogitat, et ea imperite obſcureque conjungit.

V) *Debent* tandem *vocabula omni ambiguitate* carere h. e. vel per ſe deſmitam certamque vim habere vel haec vis

per contextum aut etiam aliunde est certo definienda. Hinc 1) vel eligenda sunt vocabula, quae sunt unius ejusque certae significationis, v. c. *homo, sum, scando* etc.: id quod in primis agendum, si contextus ea non explicat; 2) vel, si vocabulum homonymum h. e. duarum aut plurium significationum sumitur, id quod propterea, quia illorum numerus est major ac praeterea res saepe tale verbum postulat, fieri saepissime necesse est, debet a) aut contextus talis esse, ut, quam vim cum illo vocabulo conjungamus, statim adpareat, h. e. vel verba statim addita vel antecedentia vel saltem consequentia debent manifesto declarare, quae vis sit illius vocabuli; b) aut saltem res illo vocabulo homonymo h. e. ambiguo expressa debet tam nota esse, ut lectori et auditori statim in mentem veniat, quid vocabulum istud indicet. Exemplis hoc illustremus. *Consilium, consuetudo, uti* sunt vocabula homonyma. Si quis dicit mihi: *audistine aliquid de consilio patris?* nec quidquam aliud addit, ego non intelligo, quid *consilium* hic notet: potest enim *Rath, Entschluß, Klugheit, List* etc. esse. At, si quis dicit: *Pater mihi suasit, ut ita rem instituerem. Quomodo placet tibi hoc consilium?* hic aperte video, *consilium esse der Rath:* atque ille locutus est perspicue. Si quis dicit: *Marcelli consilium multi vituperarunt,* nemo hoc intelligit; at, si dicit: *Marcelli consilium, qui in patriam redire nolebat, multi vituperarunt* vel *cum Marcellus in patriam reverti nollet, multi hoc consilium vituperarunt,* perspicue loquitur: nam manifestum est, *consilium* hic esse *der Entschluß.* Sic dicens: *Cicero Catilinae furorem non vi et armis sed consilio et calliditate oppressit,* perspicue loquitur, quia contextus docet, *consilio* esse *durch Klugheit.* Qui dicit: *consuetudine hoc didici* pro *familiaritate* etc., is obscure loquitur, at, si dicit: *Ab hominibus, quibus utimur, multa disci possunt; ego ipse consuetudine hominum multa didici,* perspicue loquitur: nam vocabulum *hominum* declarat, quid *consuetudo* hic sit: et praecedentia multo magis. Sic *usus sum multis hominibus* pro *usus sum opera multorum ich habe mich vieler Menschen bedient,* v. c. ad aliquid efficiendum, ambigue dictum est, quia et notare potest *vixi cum multis ich bin mit vielen Menschen umgegangen:* hinc rectius est addere *opera:* v. c. *Ad istam rem efficiendam multorum opera usus sum.* Et hinc dicit Cicero, nisi fallor, semper *uti aliquo mit einem umgehen* interdum etiam *haben,* sed *uti alicujus opera sich jemandes bedienen:* nec unquam, puto, dixit *uti homine* pro *gebrauchen:* et sic omnis ambiguitas vitatur. Huc pertinent multa vocabula, v. c. *imperium, oratio, persona, dignitas,*

tas, auctoritas etc., in quorum usu semper vel contextus vel historiae ratio habenda: v. c. *imperium Sullae, Scipionis* etc., quisque intelligit esse *das Commando*, quia hi viri sunt noti; sic *auctoritate senatus Caesar ignovit Marcello* per se ambigue dictum est, at historia docet, *auctoritatem* esse hic *das Zureden, Vorstellung*. At, si de re ignota loquens uterer *auctoritate* isto sensu, nemo me intelligeret, quia *auctoritate* posset esse quoque *imperio auf Befehl* vel *consilio* etc. Sic Cicero saepe in epistolis, praesertim ubi jocatur, utitur vocabulis ambiguis, quorum sententia, quia contextus nil explicat, nobis obscura est; sed quae is, ad quem scripsit, praeclare intellexit, quia rem, ad quam Cicero respiciebat, norat, ut ideo Cicero non illi sed nobis tantum obscure scripserit, neque ita obscuritatis nomine accusandus sit. Ceterum in delectu verborum singulorum recte servando omnia vertuntur in eo, ut ea recte intelligamus, in primisque eorum vim propriam et primam teneamus, de qua re supra p. 88 ff.

SECT. XXIII

2) *De perspicuitate in conjungendis vocabulis.*

Alter fons propior perspicuitatis in vocabulorum usu est *eorum conjunctio recta*. Et haec est res princeps: nam, qui vocabula latina bene deligit et male conjungit, is semper male scribit.

Tenenda hic sunt maxime haec:

1) *Nominibus substantivis addi debent verba, proprie dicta, quae illis conveniant*, v. c. vocabulo *viae*, quando pro *ratione*, qua quid consequimur vel consequi studemus, ponitur, *das Mittel*, non convenit *eripere, dare*, quia proprie *via der Weg*, non potest *eripi*. Male ergo loquamur: *Omnes viae mihi sunt ereptae, mir sind alle Mittel benommen*, imo *occlusae, obseptae, interseptae* etc. Nec fortasse dixerim: *dedit mihi viam ad illud consequendum*, imo: *patefecit mihi viam, aperuit, munivit* etc. Attamen *tradere vias* optimarum artium est Cic. Leg. I, 6. Nec dici potest *arripere viam, das Mittel ergreifen*, sed *viam inire, via uti* etc. Non dici potest *honoris gradum accipere, eine Ehrenstelle bekommen*, sed *adscendere*, s. *ad honoris gradum pervenire*. Sic non dici potest *poenas accipere*, sed *poenas dare, pendere, dependere, persolvere*. Sic prisci: unde patere puto *poenam*

non proprie eſſe *die Strafe* ſed *die Rache;* hinc, qui punitur, *dat alii quaſi ultionem ſui* ſ. facit, ut alius ſe ulciſcatur vel ultus ſit. Non dici debet *naufragium pati Schiffbruch leiden* i. e. *das Unglück haben, daß das Schiff ſcheitert*, licet Seneca Here. Oet. 118 ita loquatur, ſed *facere*, cum Cic. ad Div. XVI, 9; quia illud poſſet et verti *Schiffbruch erdulden, ſich gefallen laſſen.* Sic *damnum facere* vel *accipere Schaden leiden* i. e. *bekommen* rectius dicitur, quam *damnum pati*, quia hoc quoque foret *damnum aequo animo ferre:* nam *pati* pro *aequo animo pati erdulden, ſich gefallen laſſen, nicht dawider murren*, ſaepe a priſcis dicitur. Non recte dicitur *peccata remittere*, nam non poſſunt *peccata remitti erlaſſen werden*, at *poenam remittere die Strafe erlaſſen* recte dicitur: nam haec poteſt alicui remitti. Non dixerim, ſi de Romanis ſermo ſit, *rogare munus, honores, magiſtratum, um ein Amt anhalten*, ſed *petere*, quia priſci ita loquuntur, non *rogare*, quod ſciam: ac Cicero diſtinxit *rogare* et *petere* Planc. 10 in. Phil. II, 30 extr.; *rogare* eſt *bitten, betteln* ſcil. *um das Amt*, ſed *petere förmlich darum anhalten.* Et ſic in aliis multis. Sed hic omnia vertuntur non modo in lectione priſcorum, ſed in primis in cognitione primae notionis vocabulorum: quam qui tenet, ſemper ſcit, qualia verba iis addi poſſint. Qui eam neſcit, ſemper dubius haeret, nec ullum vocabulum ante cum alio vocabulo conjungit, quam ſciat, priſcos eodem modo ea conjunxiſſe. Sic, ubi de rebus romanis loquimur, ſervanda ſunt *Verba*, ſubſtantivis convenientia, v. c. conſulem, praetorem, *creare*, ſaltem ſic creberrime dicitur, quamquam et *facere*, rectum eſt: dictatorem *dicere*, quia unus v. c. conſul eum *dicit;* quamquam et *creare*, *facere*, occurrit: ſenatorem *legere*, quia delectus habebatur; legem *ferre* (proprie *tragen* vel *ſagen*) de magiſtratu, qui eam ad populum fert (i. e. *an das Volk hinträgt, vor das Volk bringt* vel *vorträgt, bekannt macht*), h. e. ei proponit et recitat; legem *jubere, ſciſcere*, de populo illam jubente ratam eſſe, quia populus ſolus, h. e. univerſi Romani, poterat jubere legem ratam eſſe; Veſtalem *legere* vel *capere;* Flaminem et Interregem *prodere.* Sic *petere conſulatum, praeturam* etc. de quo modo dictum eſt. Sic *ſenatum habere, concionem habere* etc.

II) *Verbis*, proprie dictis, addi debent adverbia illis convenientia: v. c. *enixe rogare*, non *obnixe; facile pati ſich etwas gern gefallen laſſen*, non *libenter pati:* ſic priſci ſemper, nec aliter res dici patitur: nam *libenter* eſt *cum voluptate mit Vergnügen*, et *pati* eſt *tolerare erdulden:* quis dicat *mit Vergnügen erdulden?* Et, qui apud nos dicunt: *ſich etwas*

was gern gefallen lassen, ii non cogitant in his verbis illud: *etwas mit Vergnügen erdulden*, sed hoc: *nicht dawider murren, damit zufrieden seyn:* ut vel hinc pateat, perperam dici *libenter pati*. At, si quis in perferenda re adversa voluptatis aliquid perciperet (quales homines vix reperiri putaverim), tum posset iste homo dici *libenter pati*. Sic non dici potest: *hic cibus sapit pulchre*, ut nostri interdum loquuntur, *schmeckt schön;* nec *hic flos olet pulchre*, *riecht schön;* nam *pulchritudo* omnis inest in *externa specie*, non in *natura* et *interna conditione rei:* rectius ergo dicitur *bene sapit*, *olet* etc. Ceterum et hic omnia pendent a recta notitia vocabulorum maximeque primae eorum significationis.

III) *Nominibus substantivis addi debent adjectiva* tum *convenientia* tum *sufficientia* s. satis multa.

1) *Convenientia* h. e. quae a priscis addi solent, et quorum ideae conveniunt ideis substantivorum: v. c. recte dicitur *consilium bonum ac fidele; bonum*, si cum *prudentia* datur; *fidele*, si cum *fide:* qui enim consilium nobis dat, is debet hoc primum *posse*, deinde etiam *velle*: *posse* pertinet ad scientiam ejus, et tum consilium est *bonum; velle* pertinet ad fidem et voluntatem ejus, ut ea loquatur, quae sentiat; tum consilium est *fidele*. Non recte proprie dicitur *consilium prudens*, *sapiens;* homines sunt *sapientes*, *prudentes*, non consilia eorum: hinc nec satis accurate dici potest *res prudens*, *sapiens;* nec *hoc est prudens das ist klug*, sed *hoc est prudentis:* v. c. *es ist klug oder einfältig*, *wenn man so handelt*, *est prudentis vel stulti ita agere*. Nec tamen dissimulandum, priscos τὸ *prudens* et *sapiens* dixisse de rebus, v. c. *prudentissimum consilium* Nep. Eum. 3: *Sapiens excusatio* Cic. Att. VIII, 12: *sapiens contentio*, Cic. Balb. 27: *sapiens vita* Nep. Timoth. 4: *sapiens consilium*, Ovid. Met. XIII, 433 et saepius; ut hic usus damnari prorsus nequeat. *Pulcher* dicitur de *externa specie:* ergo recte dixeris *horti pulchri*, *vestis pulchra*, si ad externam speciem respicis: at non *ager pulcher* de fertilitate, sed *bonus:* sic Graecis καλὸς est *pulcher*, ἀγαθὸς *bonus*, unde patet καρπὸς καλὸς in N. Testam. de bonitate fructus non recte dici. *Homo senex* recte de *annis* et *homo antiquus* de *moribus* dicitur. *Homo magnus*, *vir magnus*, de ejus *statura* s. *corporis longitudine* non accurate dicitur, sed dici debet *longus;* nam *magnus* de hominibus dictum pertinet rectius ad eorum virtutes et res gestas: v. c. *Pompejus fuit vir magnus*, hinc *Alexander magnus* etc. *Conditio amoena ein angenehmer Zustand*, *res amoena angenehme Sache*, *fortuna amoena*

amoena ein angenehmes Schickſal, angenehmer Zufall non accurate dicitur: nam *amoenus* tantum de ſuavitate, quae ope ſenſuum, inprimis oculorum, percipitur, v. c. regionis dicitur, v. c. *regio amoena, praedium amoenum* h. e. *ein angenehm gelegenes Landgut* ſ. *welches in einer angenehmen Gegend iſt.* Rectius itaque dicitur *conditio, fortuna, res laeta* etc. *Manus propria* pro *mea, tua, ſua* cet. ſtulte dicitur, quia *proprius* eſt tantummodo *eigenthümlich, eigen, andern nicht auch gehörig noch ihnen gemein*, et opponitur *communi*, v. c. *rei vis propria die Kraft, die der Sache eigen iſt und die andere Sachen nicht haben: domus propria* eſt, quae non eſt communis cum aliis: v. c. *aedes* non domus eſt propria ſingulis hominibus, ſed omnibus communis. Hinc *manus propria hominis* eſt *manus*, quam non is habet communem cum aliis; nonne hoc per ſe intelligitur, manum cujusvis hominis eſſe ei propriam? Cur igitur addimus? Ergo *manu propria ſcripſi* foret *ich habe es mit der Hand geſchrieben, die mir eigenthümlich zugehört:* nonne hoc dictum eſſet, quaſi haberem ſimul aliam quandam manum cum aliis hominibus communem. Nonne igitur ridiculum eſt dicere *manu propria?* At, qui ſic loquuntur, cogitant vernaculum *mit meiner eigenen Hand:* ſed hoc eſt *manu mea.* Intelligunt ergo lectores, *manu propria* non per ſe ſed tantum propterea perperam dictum eſſe, quia *propria* jam per ſe intelligitur, atque ita hoc epitheton ſupervacaneum eſt. Si quis vero jocoſe dicat: *dieſe Hand iſt mir eigenthümlich*, vel ſi quis habeat unam manum ligneam pro naturali, quae v. c. abſciſa ſit vel alio modo perierit, ac de altera manu, ſalva adhuc, loquatur, *dieſe Hand iſt mir eigenthümlich*, tum debet hoc verti *haec manus eſt mihi propria*, i. e. *ſie gehört mir allein zu* etc. *Gradus honoris* (Ehrenſtelle) non bene poteſt dici *magnus, praeclarus, egregius, pulcher* etc., ſed *altus, excelſus*, quia in *gradu* proprie ſumto *die Stufe* non magnitudinis, excellentiae, pulchritudinis ſed altitudinis ratio habetur. *Veſtigia* v. c. hominis poſſunt dici *perſpicua, expreſſa*, at non *magna, pulchra* etc., quia in veſtigiis hominis, quae ſequi iubemus, non ratio habetur, quam vel magna vel pulchra ſint, ſed quam expreſſa, ut ea videamus. Qui itaque de principe aliquo dicit, eum *veſtigia magna patris ſui magni ſequi*, is peccat, ut taceam magna veſtigia hominis fere declarare *magnum pedem* vel *laxos calceos*, ut eo minus hoc poſſit laudi duci. *Finis*, pro *conſilio Abſicht* ſumtus, non poteſt apte dici *bonus, praeſtans, pulcher, egregius, excelſus, laudabilis, humilis* etc. *eine ſchöne, vortreffliche, erhabene, löbliche, niedrige Abſicht,*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0088
DFG

ſicht, ſed *certus, definitus:* nam *finis* proprie eſt *id, ad quod tendimus et in quo conſiſtimus, das Ende;* et, quia *conſilium* eſt id, quo tendimus atque ubi conſiſtimus, ſi eo pervenimus, hinc recte *finis* pro *conſilio* dici poteſt. Quia vero in *fine* proprie ſumto non conſideramus nec conſiderare ſolemus, an ſit *bonus, pulcher;* multo minus, an ſit *humilis, excelſus* (haec ne cogitari quidem poſſunt in *fine*), et in omni translatione vocabulorum ad propriam eorum vim, ope phantaſiae noſtrae, reſpicimus, hinc patet nec poſſe illa adjectiva *fini* tropice ſumto convenire. Sic nec *finis prudens, ſapiens, callidus* etc., tum propter modo dictam cauſam, tum propter ſupra adlatam; quia non niſi homines ſunt proprie *prudentes* (i. e. *providentes vorſichtig* proprie), *ſapientes, callidi* etc. At decipit tirones interdum linguae vernaculae uſus. Sic *lingua vernacula* dicendum, non *materna, die Mutterſprache:* non enim tantum mater ea utitur ſed et pater, fratres et omnes in terra eadem nobiscum viventes. Sic nec facile dixerim *bona* vel *mala conſcientia, das gute oder böſe Gewiſſen;* ſed *conſcientia recte* vel *male actorum*, ſeu *conſcientia rectorum* vel *malorum conſiliorum:* nam *conſcientia* eſt *das Bewußtſeyn einer Sache, die man gethan, ſcientia eorum, quae egeris:* haec nec bona nec mala eſſe poteſt; at ea, quorum nobis conſcii ſumus, poſſunt eſſe vel bona vel mala, et in idea *Gewiſſen* nos ad ea ſemper reſpicimus, quae egimus. Equidem ſcio, Ciceronem dixiſſe *praeclara conſcientia*, at ſemel ita locutus eſt tantum ad Attic. X. ep. 4 poſt init. *Praeclara igitur conſcientia ſuſtentor, cum cogito, me de re publica aut meruiſſe optime, cum potuerim, aut certe nunquam niſi divine cogitaſſe* etc.: occurrit etiam apud eundem ſemel *recta conſcientia* ad Attic. XIII ep. 20 *in omni vita ſua quemque a recta conſcientia traverſum unguem non oportet discedere;* quae verba ne videntur quidem ipſius eſſe, ſed ſententia potius e libro aliquo philoſophico ſumta. Apud Salluſt. Iugurth. 62 §. 8 legitur quoque: *coepit flectere animum et ex mala conſcientia digna timere:* at ſemel hic dicitur *mala conſcientia das böſe Gewiſſen*, et Cortius ait: „pro *mala* aliud primum fuit perſcriptum in Guelf. 12. Forte nudum dederat Criſpus *ex conſcientia*, ut ſupra.“ Reſpicit Cortius ad Salluſt. Iug. 32 §. 5, ubi legitur: *ei timido et ex conſcientia diffidenti rebus ſuis* etc. Quamquam igitur Cicero dixit *praeclara conſcientia, recta conſcientia*, tamen hoc non facile imitandum putaverim. Nec facile dixerim *conſcientia bona* vel *mala*. Locuti ſic ſunt ſcriptores poſteriores, Quintilianus, Plinius, Tacitus, Seneca etc. Quos imitetur, qui volet. Ac, cum Cicero

cero longe saepius dixerit *conscientia* cum genitivo, v. c. *pulcherrimi facti, scelerum* etc., cur non hoc potius imiter, ac dicam *conscientia recte* aut *male factorum*, praesertim cum et per se rectius sit dictum? — Huc retulerim quoque nonnulla participia, quae pro substantivis usurpantur: at, quia participia proprie sunt, non possunt adjectiva juxta se ferre, sed pro iis adverbia postulant, quia sunt particulae verborum proprie dictorum, et adverbia solent addi verbis: v. c. *dictum, factum, doctus, sapiens* etc. Non dici potest *verus doctus ein wahrer Gelehrter*, nec *magnus doctus ein großer Gelehrter* etc., sed *vere doctus, valde doctus*, dicendum est: sic non *verus sapiens*, sed *vere sapiens ein wahrer Weiser*. Eodem modo non videatur posse dici *praeclarum, acutum, venustum, facetum dictum*, sed *praeclare, acute, venuste, facete dictum:* hinc saepe occurrunt *acute, facete, dicta bons mots:* nec *rectum, bonum, malum, sapiens, stultum factum eine rechtschaffene, gute, böse, weise That*, sed *recte factum, bene factum, male factum* etc. Quamquam non negandum, priscos saepe τοῖς *factum* et *dictum* substantive uti, atque iis adjectivum addere, v. c. *factum laudabile*, Cic. Dom. 36: *factum praeclarum atque divinum*, Cic. Phil. II, 44 et *pulcherrimum factum*, Ibid.: *facta illustria*, Cic. Fin. I, 11: *ecquod ejus factum*, Cic. Sull. 26: *factum illustre* Nep. Arist. 2 et saepius: *Nullum meum minimum dictum*, Cic. ad Div. I, 9: *Mutua dicta*, Ovid. Met. VIII, 717: *Bona dicta*, Cic. Or. II, 54: *Dictis meis*, Plaut. Pseud. I, 3, 125 et saepius; ut adeo ei, qui vocabulo *factum* velit jungere adjectiva, facile ignosci possit.

2) *Sufficientia* adjectiva addi debent substantivis, h. e. tot, quot sufficiant ad subjectum aliquod pro ratione contextus rite describendum. Adjectiva exprimunt adtributa subjecti: videndum igitur, quae et quot adtributa res quaeque postulet, si definite loqui velimus. V. c. in *consilio* (*Rath*) requirimus duo adtributa, ut primum sit *bonum*, deinde *fidele:* recte ergo dixeris *consilium bonum ac fidele*. In beneficiis spectatur hoc, ut sint *multa* et *magna*. Qui itaque loquitur: *Deo ob magna ejus beneficia amorem debemus*, vel sic: *Deo ob multa ipsius beneficia amorem debemus*, non tam recte ac perspicue loquitur, quam qui dicit: *Deo ob ejus et multa et magna beneficia amorem debemus*. Accuratius vero loquitur, qui ita dicit: *Deo ob ejus et multa et magna beneficia amorem magnum ac perpetuum debemus;* nam sic et adjectiva sufficientia addidit substantivo *amorem*. Accuratissime omnium et maxime perspicue loquitur dicens: *Deo benignissimo*

simo et liberalissimo ob ejus et multa et magna beneficia magnum perpetuumque amorem debemus. Sic enim substantivo *Deo* addidit quoque adjectiva, illud ac simul totam sententiam illustrantia. Qui hominem doctum ac simul modestum ita laudat, ut dicat, eum esse *doctum*, non tam perspicue loquitur, quam qui addit *modestum*. Et sic in ceteris. Cic. Verr. I, 1 med. ait: *Nam si iste* (Verres) *id fecisset, quod primo statuerat, ut non adesset, minus aliquanto, quam mihi opus esset, cognosceretur, quid ego in hac accusatione comparanda constituendaque elaborassem; vestra vero laus tenuis plane atque obscura, judices, esset.* Recte dicit, laudem judicum *tenuem* et *obscuram* fore. Non sufficiebat *tenuis* h. e. *parva*: nam laus potest esse tenuis, at nota: hinc addit *obscura* h. e. *ignota*, vel *non satis nota, non omnibus nota*. Cic. Fontej. 16 in. *nos vero, judices, non et multis et firmis praesidiis, vobis adjutoribus, isti immani atque intolerandae barbariae resistere?* Recte. Non sufficiebat *multis*, addi debebat *firmis*: praesidia enim possunt esse *multa*, sed non *firma*, et contra; utrumque jungi debet. Nec *immani barbariae* sufficiebat; addebat *intolerandae*. — Sic Cic. Manil. 2 *pro qua* (salute sociorum) *multa majores vestri magna et gravia bella gesserunt*; et statim: *aguntur certissima populi romani vectigalia et maxima*: nec *certissima* nec *maxima* omittere poterat, si quidem recte ac perspicue volebat loqui; possunt enim vectigalia esse *certa*, at non *magna*, itemque *magna*, at non *certa*. — Ibid. c. 9 *fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum exercitum esse ductum: fanum* est *locupletissimum*, si divitiis et ornamentis abundat, *religiosissimum*, si summa religione colitur ab hominibus: neutrum itaque abesse potest, praesertim cum in utroque sit causa, cur nationes timuerint, ne fanum illud diriperetur.

Sed quaeritur hic, an etiam duo adjectiva sine copula *et* possint uni substantivo addi. — Possunt utique, at non nisi tum, cum unum adjectivum una cum substantivo cogitari potest tanquam unum subjectum, v. c. *Codex Lipsiensis primus*, ubi *Codex Lipsiensis* jam pro noto subjecto habetur. Sic *meus magnus amor, tuum longum iter; multi magni morbi curantur abstinentia et quiete;* ubi *magnus amor, longum iter, magni morbi* pro singulis subjectis habentur: sic Cic. Manil. 9 *magnis adventiciis auxiliis regum:* Cic. Phil. I, 14 *acerbissimum ejus diem supremum:* Cic. Phil. V, 15 *periculosissimum civile bellum;* et ibid. *bellum acerbissimum civile:* Cic. Tusc. II, 11 *ad malam domesticam disciplinam*. In quibus *auxiliis adventiciis, diem supremum, bellum civile* et *domesticam*

mestlicam disciplinam tanquam unum subjectum cogitatur. — Imo tres adjectiva jungi possunt, si duo una cum substantivo, tanquam unum subjectum, cogitari possunt, v. c. *carissimus tuus parvulus filius*, Cic. Phil. I, 13: *etiam externos multos claros viros nominarem* Cic. ad Div. VI, 6 §. 24: in quibus *tuus parvulus filius* et *externos claros viros* jam ante conjunctim cogitata sunt, quam *carissimus* et *multos* accederet. — In primis duo adjectiva sine τῷ *et* recte jungi possunt substantivo, si alterum indicat *qualitatem*, v. c. *magnus, brevis, ruber, niger, clarus* cet., alterum vel exprimit *numerum, multitudinem, paucitatem* (v. c. *omnes, pauci, nullus, multi* cet.) vel indicat *locum*, aut *gentem, urbem, terram* cet. (v. c. Latinus, Romanus cet.) vel significat possessionem, quo pertinent pronomina *meus, tuus, suus, noster, vester;* itemque *hic, ille, qui* cet. v. c. *multi magni morbi: hi magni viri: nostra fortia facta:* sic *recenti adventu meo* Cic. ad Div. V, 17 §. 3: *vestri pulcherrimi facti*, Ibid. XII, 3 §. 2: *multa magna bella*, Cic. Manil. 2: Imo ista omnia jungi possunt, v. c. *externos multos claros viros*, Cic. Ibid. VI, 6, ubi notandum est, tria adjectiva addi: at non aliter dicere fere poterat: *externos claros viros* tanquam notum subjectum considerabat, et tum putabat addi posse *multos:* vel *externos* indicat terrram; *multos* numerum. Poterat tamen dicere: *multos externos, eosque claros, viros nominarem:* ac sic fortasse suavius dixisset. — Not. Apud Nepot. Eum. 13 extr. legitur: *hi militari honesto funere, comitante toto exercitu, humaverunt.* Hic aliter se res habet atque in supra memoratis locis Ciceronis. Hic et *honesto* et *militari* indicat qualitatem. Quaeritur, utrum *honesto funere*, an *militari funere*, pro subjecto uno habendum? Ordo quidem verborum suaderet, ut *honesto funere* jungeretur: at *militari* videtur esse adjectivum primarium atque ita *militari funere* jungendum: at tum *honesto* non quadrat: nam haec adjectio videatur indicare, militare funus esse duplex, alterum honestum, alterum inhonestum: quod Nepos dicere haud dubie noluit. Quare vel dicamus duram esse hanc conjunctionem adjectivorum ap. Nepotem, vel, si culpam magis librariis tribuere placet, cum Lambino bonae latinitatis praeclaro judice, sed a Criticis nonnullis, dura ac nova amantibus, qualis Cortius erat etc., inprimis a Gebhardo valde contemto, derisо et reprehenso, legamus: *militari honestoque funere*, ut *honestoque* sit explicatio τῶ *militari*, ut saepissime apud Ciceronem.

IIII) *Adjectiva* possunt ac debent saepe in *substantiva* mutari, si in iis inest notio primaria: et tum substantiva vel pro-

pronomina, quibuscum conjuncta erant, abeunt in genitivum. V. c. Cic. Rosc. Am. 17 extr. *si in calamitatem venit propter praediorum bonitatem et multitudinem* pro *propter praedia bona et multa:* at non *praedia* per se sed eorum *bonitas* et *multitudo* erant causa calamitatis illius, ergo *bonitas* et *multitudo* sunt hic ideae primariae. Sic Cic. ad Div. V ep. 2 §. 22 *Hujus ego temeritati si virtute atque animo non restitissem* etc. pro *Huic temerario homini si* etc. At *temeritas* est idea gravior; *temeritati* enim, non ipsi homini, resistendum putavit. Cic. ad Div. VI ep. 6 §. 19 *In quo admirari soleo gravitatem et justitiam et sapientiam Caesaris* pro *In quo admirari soleo Caesarem, quod tam gravis, justus, et sapiens est:* sed illud accuratius. Caes. B. G. IIII, 17 §. 2 *Itaque, etsi summa difficultas faciundi pontis proponebatur propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis* etc. pro *propter latum, rapidum,* et *altum flumen:* ubi notes eandem diligentiam, de qua paulo ante in usu adjectivorum diximus, servatam esse, h. e. nullum adtributum omissum esse, quod flumini, transitum difficilem reddenti, conveniret: poterat nec *latitudo* nec *rapiditas* nec *altitudo* omitti. Nam flumen potest esse *latum*, nec tamen *rapidum;* potest esse *rapidum,* nec tamen *altum* et *latum* etc. Plura dicta de hac re sunt supra p. 318 ff. in cap. de *variatione vocabulorum.*

V) *Uni substantivo* (quo pertinent pronomina) *aliud substantivum interdum additur,* per quod illud magis definiatur, sicque perspicuitas magis adjuvetur: atque ita prius substantivum (it. pronomen *hic, ille* cet.) abit in genitivum. Substantivum, quod additur, notat plerumque vel partem vel adtributum substantivi, cui additur, vel causam. Quod ut recte intelligatur, notandum est hoc. Vulgo h. e. sermone populari vel plebejo, qui non nimis subtilis accuratusque solet esse, tribuitur rei toti aliquid, cum tamen hoc ejus tantum parti vel adtributo latissime sumto conveniat h. e. dicitur de re aliqua (vel homine) ita, tanquam hoc, quod dicitur, ad illam totam pertineat, cum tamen hoc vere illius parti vel adtributo tantum tribui debeat. Porro dicitur saepe de re ita, ut causa omittatur. Haec igitur pars, hoc adtributum, haec causa ab iis, qui accuratius loquuntur, peculiari vocabulo exprimitur et illi rei additur. Sic intelligendum est illud, quod diximus de substantivo addendo alii substantivo: ne quis forte putet, ubique substantivum addi vel, ut nonnulli loquuntur, ex uno substantivo duo fieri posse. V. c. pro *vulnerare hominem* rectius dixeris *vulnerare hominis corpus;* quia *vulnerare*

non ad *totum hominem*, h. e. ad *animum* et *corpus*, ſed ad *corpus* ſolum pertinet. Sic *ſedere in puppi* rectius eſt, quam *ſedere in nave*, de gubernatore: nam is ſedet tantum in puppi. Quod qui non intellexerunt, putarunt hic partem pro toto poni: male. Sic *femina pulchrae formae* eſt accuratius dictum quam *femina pulchra*. Sic *offendere animum hominis jemand beleidigen* rectius dicitur quam *offendere hominem*: nam *offenſio* non ad totum hominem ſed ad ejus animum pertinet. Sic *ſpes, opinio, me fefellit* rectius quam *ego me fefelli in ſpe, opinione*, et priſci illud ſemper, ni fallor, hoc nunquam dicunt. — Apud priſcos nihil frequentius iſta ratione: hinc ex illis perſpicuitatem dicendi diſcere facillimum eſt. Cic. ad Div. V ep. 2 §. 14 *Si vero meam ſalutem contra illius impetum in me crudeliſſimum defenderim, ſatis habeas, nihil me etiam tecum de tui fratris injuria conqueri:* ubi notes *meam ſalutem* pro *me*, et *illius impetum* pro *illum*, poni: at, cum dixiſſet *impetum*, addere facile erat *crudeliſſimum;* deinde *de tui fratris injuria* dictum pro *de tuo fratre:* ſed quam praeclara h. e. ad perſpicuitatem accommodata eſt illa mutatio! — Ibid. §. 15 *Quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare* etc., ubi notes *tribunatus conatum* pro *tribunatum* dici: poſſit et huc referri *in meam perniciem* i. e. *in me, contra me.* — Ibid. §. 22 *Hujus ego temeritati ſi virtute atque animo non reſtitiſſem* etc., ubi notes *hujus temeritati* dictum eſſe pro *huic*. Paulo ante quidem diximus, *hujus temeritati* dictum eſſe pro *huic temerario homini;* et nunc dicimus poni pro *huic*. Nonne hoc eſt repugnantia loqui? Minime. Teneamus igitur, Ciceroni primum in mentem veniſſe haud dubie *huic ego ſi* etc., deinde cogitanti illi τὸ *huic* accuratius in mentem venit vel ſtatim *temeritati* addere et *huic* in *hujus* mutare vel *temerario* addere ac deinde τὰ *huic temerario* mutare in *hujus temeritati*. Quidquid eſt, nam certo dici nequit, quam viam cogitandi hac in ſententia formanda ingreſſus ſit, certe adparet, *hujus temeritati* tandem poſitum eſſe pro *huic:* et utile eſt mutationem ſententiae duobus modis indagare, ut deinde diſcamus vel adjectivum in ſubſtantivum novum mutare vel ſtatim ſubſtantivum ſubſtantivo addere. — Ibid. §. 28 *ego dolori tuo non ſolum ignoſco* pro *tibi;* et ſtatim: *meus enim me ſenſus, quanta vis fraterni ſit amoris, admonet* pro *quantus ſit fraternus amor.* — Ibid. ep. 12 §. 5 *Neque tamen, haec cum ſcribebam, eram neſcius, quantis oneribus premerere ſusceptarum rerum et jam inſtitutarum:* ubi *quantis oneribus rerum* pro *quantis* vel etiam *quot rebus* etc. — Ibid. §. 7 *Et ſimul ſi*

uno

uno in argumento unaque in persona mens tua tota versabitur etc., ubi *mens tua tota versabitur* dictum pro *tu totus versaberis:* at quanto accuratius illud! — Ibid. §. 8 *Neque tamen ignoro, quam impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam; potest enim mihi denegare occupatio tua* etc., ubi *potest enim mihi denegare occupatio tua* dictum est pro *potes enim mihi tu denegare:* postea Ciceroni in mentem veniebat causa, cur denegare posset, hocque denegari posse *propter illius occupationem*, hinc pro *tu enim potes mihi propter occupationem tuam denegare* ponebat *potest enim mihi denegare occupatio tua.* Quis non sentit ita magis perspicue Ciceronem sententiam expressisse? — Caes. B. G. II, 22 in. *Instructo exercitu, magis ut loci natura, dejectusque collis et necessitas temporis, quam ut rei militaris ratio atque ordo postulabat.* Quam accurate, quam perspicue dictum! pro *Instructo exercitu, magis ut locus, collisque et tempus, quam ut res militaris postulabat.* Nullum additorum substantivorum otiosum est, ut ii forsitan opinantur, qui libenter credunt, priscos pro *uno vocabulo* temere duo ponere. *Dejectus* vero esse substantivum i. e. *declivitas*, nec participium, e tota verborum compage adparet. Add. Cic. in epist. modo laudata §. 4 *sed etiam illa cupiditas, vel ut auctoritate testimonii tui, vel indicio benevolentiae, vel suavitate ingenii, vivi perfruamur,* ubi *auctoritate testimonii* dictum est pro *testimonio, indicio benevolentiae* pro *benevolentia,* et *suavitate ingenii* pro *ingenio.* Cupit Cicero res suas per Luccejum historicum celebrari: hoc ita circumscribit, *se cupere testimonio ejus, benevolentia,* et *ingenio frui,* quia laus Lucceji est *testimonium,* indicat *benevolentiam* scriptoris, nec sine *ingenio* res apte laudari potest. Iam pro *testimonio* dicit *testimonii auctoritate,* quia testimonium Lucceji multum valebit apud lectores; pro *benevolentia* ponit *benevolentiae indicio,* quia illud testimonium et illa laus indicat benevolentiam; pro *ingenio* dicit *suavitate ingenii,* quia ingenium scriptoris est legenti suave. — Sic Phaedr. I, 4 de cane carnem ferente per fluvium: *lympharum in speculo vidit simulacrum suum* pro *in lymphis vidit se;* at illud accuratius: addit *speculum,* ut adpareat, cur se potuerit videre; deinde *se* non proprie poterat videre sed tantum *simulacrum suum:* — Sic fab. 12 *Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit, et in liquore vidit imaginem suam. Ibi dum ramosa mirans laudat cornua, crurumque nimiam tenuitatem vituperat, venantum subito vocibus conterritus per campum fugere coepit* etc., ubi primum *imaginem suam* pro *se,* propter causam modo dictam; deinde *crurum tenuitatem nimiam*

pro *crura;* sed addere quoque volebat causam, cur cervus crura vituperaret, hinc ait *crura nimis tenuia* seu *crurum tenuitatem nimiam;* tandem *venantum vocibus conterritus* pro *per venantes* vel *a venantibus conterritus.* — Fab. 14 v. 10 *Timore mortis ille* (e sutore medicus factus) *tum confessus est, non artis ulla medicae se prudentia, verum stupore vulgi factum nobilem* pro *confessus est, se non per artem medicam, verum per vulgus, factum esse nobilem;* at illud accuratius: nam *ars medica* per se non adfert nobilitatem s. famam, sed, quoad ejus es peritus s. *peritia ejus;* hinc pro *per artem medicam* dicit *artis medicae prudentia;* deinde *vulgus* non per se adfert imperito homini nobilitatem seu famam, sed quoad est stultum, stupidum, s. *stupor vulgi:* hinc pro *per vulgus* dixit *vulgi stupore.* — Fab. 15 in. *In principatu commutando civium nil praeter domini nomen mutant pauperes.* Recte pro *praeter dominum* dixit *praeter domini nomen:* nam vere tantum mutant *nomen domini,* ut, si ante vocabatur Augustus, nunc vocetur Tiberius etc.: dominus semper manet, semper illi manent sub domino. Et statim: *Is hostium clamore subito territus* pro *ab hostibus, per hostes territus* s. *hostes timens:* at accuratius additur *clamore:* hic enim proprie terrebat; hostes nondum adparebant. Ex his exemplis facile intelligimus, quando deceat substantivo substantivum addere, et quomodo hoc excogitari possit. Addi possunt supra p. 406 ff. dicta in cap. de *copia verborum.*

VI) *Non peccari debet in casu, numero, genere substantivorum, in tempore, modo Verborum* etc., quia haec peccata perspicuitati officere interdum possunt; v. c.

1) Non debet peccari in *casu.* Non dici v. c. debet *condolere alicui, communicare alicui,* pro *cum aliquo:* quia prisci aureae aetatis non ita loquuntur, ac lector peritus possit incertus fieri, unde pendeat iste dativus. (Not. *quibus communicare de* etc. Caes. B. C. III, 18; sed viri docti legi volunt *quibuscum*). Sic non dicendum est*) *jubeo tibi, erubescere alicujus,* ob eandem causam. Sic non dicendum est *incumbere literis* pro *in* vel *ad literas. Incumbere* est proprie *niti*

sich

*) Not. jubeo cum dativo, v. c. militibus suis jussit, ne qui eorum violarentur, Caes. B. C. III, 98, ubi tamen Oudend. e codd. recepit *commendavit: hae mihi literae jubent reverti*, Cic. Att. VIIII, 13: *queis legati se sequi jusserunt*, Liv. XLII, 43: ac saepius ap. Liv. cf. Lexic. Sed haec paucula loca, si quidem omnia sunt sana, nos non debent impedire, quo minus accus. cum infin. ponamus.

sich auf etwas stemmen, auflegen; et tunc res, qua nitimur, ponitur recte in dativo, v. c. *baculo, mensae* etc. Ergo *incumbere literis* recte diceretur hoc sensu, ut significaret *niti literis* proprie, h. e. *sich auf die Buchstaben stemmen, auflegen,* non vero *Mühe auf das Studiren wenden, fleißig studiren:* hoc est *incumbere ad literas,* quod notat proprie *sich anstemmen* s. *anstrengen* h. e. *sich große Mühe geben wegen* s. *in Ansehung des Studirens* s. *der Gelehrsamkeit: ad* non pendet ab *incumbere,* sed est i. q. *ratione* vel *propter.* Hinc vero etiam intelligitur, *incumbere ad rem* gravius esse dictum quam *operam dare* s. *studere rei,* et, qui dicitur *incumbere ad literas,* eum dici majorem iis operam dare, quam qui dicitur *literis operam dare* s. *studere.* Interdum verbum dupliciter construitur; v. c. *ponere* (vel *collocare*) *in mensa* et *in mensam;* sic *ponere in gratia* Cic. Att. VI, 6 extr. et *in gratiam,* Ibid. V, 3: sic *latere* i. e. *ignotum esse* habet et *accusativum,* v. c. *quod latet nostrum sensum,* Varr. R. R. I, 40; cf. Ovid. Pont. IIII, 9, 126: Virg. Aen. I, 130 (134) *latuere doli fratrem:* sic *Eumenem,* Iustin. XIII, 8; ac saepius: et *dativum,* v. c. *quod mihi latere valeat,* Cic. Catil. I, 6: *cur nobis haec auctoritas tam diu latuit?* Cic. red. Sen. 6 post init. *mihi late,* Lucan. I, 418: *hosti Roma latet,* Sil. XII, 614: *quae oculis et auribus latere soleat,* Varr. L. L. VIII, 52.

2) Non debet peccari in *numero.* Decipit hic facile tirones lingua vernacula, quae interdum, etiam si de pluribus rebus loquitur, tamen singulari perperam utitur, v. c. *Vater und Mutter lebt noch, ist noch gesund, ist gestorben,* ubi falso dicitur *Pater et mater vivit adhuc, sanus est, mortuus est,* sed *vivunt, sani sunt, mortui sunt.* Sic vernacula dicit *viel, wenig* pro *viele, wenige Dinge:* v. c. *In dem Buche steht viel vom Kriege, ich habe viel gelesen, viel gehört, wenig gelernt* etc., quod male vertas: *In hoc libro multum de bello occurrit, multum legi, multum audivi, paucum didici:* debet dici *multa, pauca,* quia sermo est de *multis rebus* vel saltem *pluribus quam una:* praesertim cum *multum* sit quoque adverb. notans *saepe, valde,* ut adeo confusio oriri queat. Sic etiam *etwas weniges* verti debet *pauca:* potest tamen etiam *paulum* dici. In primis huc pertinent pronomina *dieses, jenes, dasselbe, welches,* quae, cum proprie unam rem notent sintque singularis numeri, vulgo usurpantur de multis rebus: hinc nonnulli eodem modo hodie *haec, illa, ea, quae* de *una re* usurpant, ut contra *hoc, illud, id, quod* de *pluribus,* quia opinantur non inesse discrimen. Male. Notandum igitur, de una re dici rectius *hoc, illud, id, quod,* de pluribus *haec,*

illa, ea, quae: v. c. *Pater meus mortuus est. Hoc scribere tibi volui.* Recte *hoc*, quia unam rem indicat, scilicet *patrem mortuum esse:* et male *haec* usurpetur. Sic *an tu id, illud, nescis, mihi bello omnia erepta esse?* Male ponatur *ea, illa* pro *id, illud*, quia de *una re* sermo scil. de eo, *quod mihi bello omnia erepta sint.* Contra, quando dicerem: *amisi parentes, amisi fratres, perdidi facultates meas, patria mihi erepta est: nonne hoc mihi dolorem injiciat necesse est* vel *nonne propter id doleam?* perperam loquerer: debet esse *nonne haec mihi dolorem injiciant necesse est* vel *nonne propter ea doleam?* nam praecedunt res plures a) *amisi parentes*, b) *amisi fratres*, c) *perdidi facultates*, d) *erepta mihi est patria.* Sic perperam loquitur dicens: *filius meus non est discendi cupidus, praeceptis meis adversatur, virtutemque odit: hoc aequo animo ferre non diutius possum;* nam praecedunt plura a) *non est discendi cupidus* b) *praeceptis meis adversatur* c) *virtutemque odit:* ad haec tria refertur *hoc* male: ergo debet esse *haec.* In nonnullis peccant ipsi prisci, v. c. *omne* pro *omnia* saepe dicunt, sic et *quidquid* pro *quaecunque* sexcenties occurrit: interdum etiam *hoc, quod* etc., licet ad plura referatur: at *haec, ea,* de una re praecedente non facile dicunt. Qui itaque *omne* pro *omnia* dicere vult, habet, quo se defendat; attamen fere semper *omnia* malim dicere quam *omne*, licet prisci ita locuti sint: *quidquid* pro *quaecunque* damnari nequit, quia quam saepissime occurrit: at *hoc, id* etc. pro *haec, ea,* et *haec, ea* etc. pro *hoc, id,* tolerari vix potest. Sed quaeritur, quomodo ista commutatio numeri vitiosa perspicuitati officere queat. Lector vel auditor linguae peritus, reperiens pluralem, cogitat pluralem h. e. plures res, et has non reperiens credit omissas esse aliquot: contra, ubi videt auditve singularem, cogitat quoque singularem h. e. unam rem, cum tamen orator vel scriptor istum singularem ad plures res referri velit: nonne igitur ita fit, ut lector vel auditor cum verbis scriptoris vel oratoris non possit easdem plane ideas conjungere, quas scriptor oratorve cum iis conjunxit?

3) Non debet peccari in *genere.* Hic duo notanda: a) ne usurpemus genus substantivorum rarius, v. c. *finis* interdum in genere feminino usurpatur, v. c. Cic. leg. II, 22 *quae finis:* sic saepius, v. c. Cic. ad Div. XII ep. 1 in. legitur defendentibus Criticis: *Finem nullam facio* etc., et in epistola Pollionis ad Cic. X ep. 32 §. 9, *quorum quis ullam finem* etc. Melius tamen esse putem *finem* in masculino semper ponere, quia sic usitatius. — Sic *deus* pro *dea* interdum apud poetas e graeca ratione reperiri eruditi dicunt; v. c. Virg. Aen. II,

632 *ducente deo;* VII, 497 *deus abfuit.* At licet credam in his locis *deum* proprie intelligi *(Gott)*, non *deam* certam, tamen conceſſerim, poetas ita poſſe dicere, quia rariorem dicendi rationem amant: non item proſaicos. Dicitur quidem in Clave Cic. Erneſtiana apud Ciceronem quoque *deus* pro *dea* dici, ibique duo loca memorantur; ſed ex his parum vel nihil pro illa re ſequi puto. Unus locus eſt Tuſc. I, 47, ubi Erneſti dicit de *Iunone* dici *deum.* Narratur ibi illa fabula de Cleobi et Bitone, qui, cum jumenta morarentur, ipſi ad jugum acceſſerunt et matrem ſacerdotem ad ſacrificium ſolenne vexerunt: nunc ſequuntur verba, ad quae Erneſti, ut puto, reſpexit: *Ita ſacerdos advecta in fanum, cum currus eſſet ductus a filiis, precata a dea* (i. e. Iunone) *dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari poſſet a deo:* quaeritur, an poſtrema verba *a deo* referantur ad Iunonem; quod ſi eſt, *deus* hic dicitur pro *dea:* at, ſi Cicero voluiſſet intelligere Iunonem his verbis, haud dubie dixiſſet *ab ea, ab illa:* ac ne *a dea* quidem apte dixiſſet, quia jam *dea* modo praeceſſit, nec repetitione opus erat. Haud dubie *a deo* Cicero intellexit *a deo aliquo von einem Gotte,* ſenſus eſt: *ſoll die Göttinn gebethen haben, ſie möchte ihnen doch für dieſe kindliche Liebe die gröſſte Belohnung geben, die nur einem Menſchen von einem Gotte gegeben werden könnte.* Latini carentes ſcilicet articulo non poſſunt *der Gott* et *ein Gott* discernere, niſi per contextum. *Deus* ergo hic eſt *genus* ſ. *deus* in univerſum, non *certus deus.* Sic et eſt in altero loco Invent. II, 31. Locum ipſum ponam: *Imprudentia eſt, cum ſciſſe aliquid is, qui arguitur, negatur: ut apud quosdam lex erat, Ne quis Dianae vitulum immolaret. Nautae quidam, cum adverſa tempeſtate in alto jactarentur, voverunt, ſi eo portu, quem conſpiciebant, potiti eſſent, ei deo, qui ibi eſſet, ſe vitulum immolaturos. Caſu erat in eo portu fanum Dianae ejus, cui vitulum immolari non licebat. Imprudentes legis, cum exiſſent, vitulum immolaverunt. Accuſantur. Intentio eſt, vitulum immolaſtis ei deo, cui non licebat.* Verba poſtrema, ad quae Cel. Erneſti reſpexiſſe videtur: *vitulum immolaſtis ei deo, cui non licebat,* ſunt nihil aliud, quam quaeſtio rhetorica univerſalis, et quamquam in adplicatione tandem ad Dianam reſpicitur, tamen hic vocabulum *dei* ut vocabulum generis conſideratur: *ihr habt dem Gotte ein Kalb geopfert, dem man keins opfern ſoll.* Nec forſitan alicui, niſi graecae linguae perito, in mentem veniſſet, verba *ei deo* non niſi de *Diana* illo loco intelligenda eſſe. Ergo et hoc uſu abſtinendum cenſeo. — Latini, perſpicuitatis cupidiſſimi a *filia, dea* etc., interdum

dum fecerunt *filiabus*, *deabus*, ut discernerent a *filiis*, *diis*, factis a *filius*, *deus*: licet scirent, *filia*, *dea*, et similia feminina habere aeque *is* in dativo et ablativo ac masculina illorum: sic Cicero dixit *diis deabusque* pro *diis diisque* Rabir. perd. 2. Cogebatur ita facere. At, ubi talis necessitas non urget, licet abstinere ista terminatione *abus* et v. c. *ambabus diis beyden Göttinnen* dicere pro *ambabus deabus*, quia jam ex *ambabus* adparet, *diis* esse a *dea*: sic, si de certamine illo inter Iunonem, Minervam et Venerem, de malo aureo loquerer, recte dicerem, postquam nominatae ipsae essent, *his tribus dïs* vel *his diis inter se dissentientibus*: quia sponte patet, tres deas, non tres deos, intelligi. Hinc Varro de re rust. III, 16 §. 7 de Musis locutus ait: *His diis* (i. e. Musis) *Heliconem adtribuerunt homines* pro *deabus*. Sic *duabus filiis* Hirt. Alex. 33. Liv. XXXVIII, 57. Hoc addendum putavi, ne crederet aliquis, ab *asina*, *dea*, *liberta*, *anima* etc. semper *asinabus*, *deabus* etc. formari ac sic dici necessario debere. Occurrit tamen etiam *duabus filiabus* pro *filiis*, Liv. XLIIII, 26 in. praeter necessitatem. b) deinde videndum, ne vocabula, quae, ut significatione, ita genere differunt, licet iisdem literis constent, confundamus, v. c. *malus* pro arbore in horto, est generis feminini, sed pro *arbore* in navi, ut sic loquar, *der Maſt* s. *Maſtbaum*, est masculinum: *calx* pro *postrema pedis parte*, *die Ferse*, est generis communis, saepius tamen feminini; pro *materia lapidis cocti*, *der Kalk*, generis feminini: occurrit tamen ap. Caton. R. R. XVIII, 7 *calce arenato* atque ita mascul.: sic *Adria* masc. est mare Adriaticum, *Adria* fem. est oppidum; *cupido* fem. est *cupiditas*, *Cupido* masc. est *deus ille amoris* etc.

4) Non debet peccari in *tempore*: quia talia peccata perspicuitatem offendunt facillime; v. c. qui vernacula verba: *ich weis nicht, wann der Vater ſchreiben, kommen, wird* verteret, *nescio, quando pater scripserit, venerit* pro *scripturus sit, venturus sit*, quia crederet, *scripsero, venero*, esse futurum conjunctivi, is non perspicue loqueretur: nemo eum intelligeret, sed quisque lectorum vel auditorum linguae peritorum crederet, *scripserit, venerit*, esse perfectum conjunctivi, atque ita verteret: *wann der Vater geſchrieben hat, gekommen iſt*. Sic, si quis futurum indicativi simplex pro futuro exacto usurpat, vernacula deceptus, v. c. *quando veniam, tibi dicam* pro *venero*, is aliud dicit, aliud cogitat; atque ita obscure loquitur. Sic aliud est dicere *fratris culpa factum est, ut miser sit*, aliud *ut miser esset*: prius indicat, eum adhuc miserum esse, posterius, eum fuisse quidem sed

non

non amplius eſſe miſerum. De vero uſu et coſecutione temporum ſupra p. 178 ff. in Parte priore late dixi, quo lectores rejicio.

5) Non peccari debet in *Verborum modis* v. c. *cum*, ſi cum indicativo ponitur, eſt particula temporis ac ſignificat *quando*, ſin cauſalis eſt, regit ſemper conjunctivum. Iam, ſi quis vernaculum *wenn ich kann* exprimit *cum poſſim*, perperam loquitur: lectores et auditores intelligunt *da ich kann*, idque recte, ut ideo ille mentem ſuam non perſpicue declaraverit. Sic *dum indem, während daß*, regit indicativum, *dum bis* indicativum et conjunctivum: qui haec confundit, is perſpicuitatem laedit. Sic, qui dicit alicui: *Etſi ſis doctiſſimus, tamen non omnia te ſcire fatebere* hoc ſenſu: *Ob du gleich ſehr gelehrt biſt* etc., is mentem ſuam non perſpicue exprimit: nam verba iſta notant haec: *Ob du gleich ſehr gelehrt ſeyn magſt* etc., atque ita ille de doctrina ejus, quem valde doctum adpellare fortaſſe cupit, dubitanter loquitur, idque imprudens. Debet igitur dicere: *etſi doctiſſimus es*, ſi perſpicue loqui cupit. Sic *ſi vides* eſt *wenn du ſiehſt*, *ſi vides wenn du ſehen ſollteſt*. In oratione tamen obliqua, quam adpellant, h. e. quando vel conjunctivus vel accuſativus cum infinitivo praeceſſit, *ſi videas* poteſt etiam eſſe *wenn du ſiehſt:* cauſa pendet ab illa oratione obliqua. Hac de re ſupra p. 161 ſatis multa diximus, quae hic repetere taedio foret.

6) *Nec peccari debet in terminatione Verbi perſonali*, quam vulgo *perſonam* adpellant; pertinet huc illa enuntiatio univerſalis, quae vernacule per *man* exprimitur, v. c. *man ſagt, man iſt, man glaubt* etc.: videndum hic eſt, utrum per tertiam ſingul. vel plural., an per primam pluralis, an per ſecundam ſingularis exprimi debeat: v. c. *Non omnia credenda ſunt, quae dicuntur, was man ſagt*, it. *non, quidquid dicitur, ſemper verum eſt, nicht alles, was man ſpricht, iſt allezeit wahr:* haec recte dicuntur: male loquaris: *Non omnia credenda ſunt, quae dicimus* vel *quae dicis: non, quidquid dicimus* vel *dicis, ſemper verum eſt.* Judicio hic opus eſt. Contra recte dicitur: *pulchrum eſt ea, quae ſcias* vel *ſciamus, quae didiceris, didicerimus, alios docere* h. e. *Es iſt ſchön, wenn man das, was man weis* vel *gelernt hat, andere lehrt.* Etiam hac de re ſupra p. 177 f. ſatis ſuperque dictum eſt. Videndum ſcilicet, an res ei perſonae proprie conveniat, quam eligas.

VII) Non debet peccari in uſu *participiorum*. Tirones plerumque participia diſcunt paulo ſerius, quia haec, neſcio

quomodo, inter difficillimas res numerantur, et vel putant vel audiunt ea esse singularia quaedam linguae latinae: hinc vulgo fit, ut in eorum usu singularem *pulchritudinem*, seu, ut ipsi vocant, *elegantiam* inesse credant, atque ita, quo crebrius illa usurpent, eo pulchrius sibi scribere videantur. Hoc non verum esse supra docui. Duo tantum monebo 1) participia debent ita usurpari, ut statim adpareat, an per *qui*, *postquam*, *quando* etc. explicari debeant. In duobus ablativis absolutis h. e. qui non ab aliquo verbo vel praepositione reguntur, et qui vulgo ablativi consequentiae (satis obscure, ut fere omnia in libris grammaticis) adpellantur, nulla est difficultas: hi enim per *cum*, *dum* vel *postquam*, explicantur. At in aliis major difficultas. In his igitur, qui perspicuitati studet, is v. c. vernaculum, *wenn (wann)* nonnisi tum, cum est particula temporis, in participium, si ita lubet, mutat; at, si τὸ *wenn* conditionem significat vel de re dubia loquitur ac τὸ *möchte*, *sollte*, *würde* secum habet, non illud cum participio facile commutat, v. c. hoc; *si patrem videam*, *dicam ei*, *wenn ich den Vater sehen sollte* etc., non potest satis apte mutari sic: *videns patrem dicam ei:* quia *videns* possit quoque explicari *cum video*, *wann ich sehe:* tolerabilius foret, si quidem participium fieri necesse est, dicere *visurus patrem* etc., at et hoc tantummodo est: *quando videbo*, *wann ich sehen werde*, loquiturque de *videndo* tanquam de re certa, cum *si videam* dubitanter illud exprimat. Tantae difficultatis est ita loqui, ut vel minima particula cogitationum nostrarum plane et statim intelligatur. 2) participia non debent nimis coacervari. In omni participio est quaedam brevitas dicendi: quae si continuatur, mens auditoris et lectoris, quae plura breviter et celeriter dicta latius cogitare cogitur, tandem defatigatur. Hinc lectio Livii magis defatigat mentem lectoris, praesertim non valde exercitatam, quam lectio Nepotis, Caesaris ac fere Ciceronis. Et in tanta coacervatione participiorum vix fieri potest, quin aliqua obscuritas in mente legentis et maxime audientis suboriatur. Inprimis cavenda sunt participia, si propter similem casum substantivi inde pendentem ambiguitas existere potest: v. c. non facile dixerim: *Tu uteris hominibus voluptatibus fruentibus* vel *hominibus fruentibus voluptatibus;* ut taceam injucundum esse: sed hoc pertinet ad suavitatem. De participiorum usu supra p. 171 ff. in Parte priore fuse diximus.

VIII) *Subjecti idea ab idea praedicati debet statim et facile discerni posse.* Peccari hic potest in omnibus fere casibus, maxime in his: 1) *in duobus nominativis:* qui v. c. argutiarum

tiarum amore ductus dicit: *tristitia laetitia est*, nec aliquid praeterea addit, quo illam sententiam explicet, is obscure loquitur; nam sensus potest esse quoque: *laetitia est tristitia;* nam subjectum non semper primum locum occupat: sic Cic. ad Div. III, 10 §. 9 *dubitare non possum, quin tibi amplitudo ista sollicitudo futura sit*, ubi *sollicitudo* est subjectum. Sic Terent. Hec. II, 1, 4 ambigue dixit: *Itaque adeo uno animo omnes socrus oderunt nurus:* quia per se dubium est, utrum *socrus oderint nurus*, an *nurus* oderint *illas:* at contextus ibi ambiguitati occurrit. 2) *in duobus dativis:* v. c. non facile dixerim *mihi est parcendum homini* pro *meum est parcere homini*, quia et explicari possit *hominis est mihi parcere;* nec *tibi persuadendum est patri* etc., ac ne haec quidem: *medico medendum est morbo, fratri opera danda est literis, tibi studendum est literis;* licet nulla ambiguitas inesse possit, et hactenus toleranda videantur. Attamen Cic. Or. I, 23 in. occurrit: *gerendus est tibi mos adolescentibus.* 3) in duobus accusativis: v. c. non facile dixerim *hominem amantem deum amo* vel *hominem deum amantem amo:* inest enim ambiguitas. Multo minus dixerim: *Miror homines videntes alios virtutes colentes nolle ipsos eas amare* vel *earum amantes esse.* Hoc foret profecto lectoris adtentionem et patientiam vexare, eique difficultates sine necessitate objicere, vel potius fluctus movere in simpulo, ut ajunt. Qui facilius loqui potest, cur is tam contorte loquatur? At amor participiorum et reverentia nimia facile ad tales argutias abripit. Inprimis huc pertinent duo accusativi substantivorum cum infinitivo juncti, qui nonnunquam ambiguitatem creant, praesertim si duos homines omninoque duo animalia indicant, v. c. *audio patrem filium non amare.* Uter eorum amat? pater an filius? Uterque intelligi potest. Notum est illud oraculi: *Ajo te, Aeacida, Romanos vincere posse.* Ambigue locutus est Plautus Merc. II, 4 in. *Pentheum diripuisse ajunt Bacchas:* ubi subjectum est *Bacchas*, quod nemo scire potest, nisi cui ista fabula nota est. Aeque ambigue locutus est Terent. Hec. V, 1, 6 *Credo edepol te nonnihil mirari, Bacchis, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi:* ubi per se non liquet, utrum Bacchis puerum an puer Bacchidem evocaverit, imo magis videatur Bacchis puerum evocasse, quia *te* praeponitur: at ex contextu intelligitur, puerum fuisse, qui evocaverit Bacchidem. Neque vero Cicero istis duobus accusativis abstinuit; v. c. ad Div. V ep. 20 §. 8 *Itaque huic loco primum respondeo, me, quamquam justis de causis rationes deferre properarim, tamen te exspectaturum fuisse, nisi in*

pro-

provincia relictas rationes pro latis haberem: ubi per ſe quidem ambiguum eſt, utrum *me* an *te* ſubjectum ſit: at contextus facile ibi docet, *me* eſſe. Et quomodo Cicero iſtud mutare potuiſſet? Evitari quidem iſta conjunctio duorum accuſativorum facile alioqui poteſt mutando activo in paſſivum, v. c. *Pentheum direptum eſſe a Bacchis: audio filium a patre non amari* pro *patrem filium non amare:* at in illo Ciceronis loco iſta mutatio non quadrat. Poterat tamen, ſi voluiſſet, ita dicere: *reſpondeo, me hoc facturum fuiſſe, ut te exſpectarem:* ſic nulla ambiguitas, nulla difficultas. Et hac ratione ejusmodi duo accuſativi facile evitari poterunt. Ac profecto eorum conjunctionem omni modo vitare eſt perſpicue loquentis: et, quo magis perſpicue loquimur, eo melius loquimur.

VIIII) *Nominativus princeps, Verbo legitime praecedens,* qui vulgo *nominativus* ſimpliciter vocatur, idque ſatis obſcure *), h. e. *ſubjectum* (ſic enim rectius nominatur), non facile omitti debet, niſi paulo ante praeceſſit, atque ita facile intelligi poteſt. Omittunt eum pueri libenter, credentes illum in verbo jam *latere (er ſtecke im Verbo;* quam obſcure dictum!) quia didicerunt *amat er liebt, legit er lieſt,* hinc τὸ *er* verti non opus eſſe putant. V. c. *Da ich mit deinem Vater geredet hatte, ſo ging er nach Hauſe; da ich deinen Bruder davon überzeugen wollte, ſo ſprach er,* vertendum: *Poſtquam cum patre tuo locutus eram, hic* vel *is domum abiit: Cum fratri tuo perſuadere de iſta re conarer, is* vel *ille mihi reſpondit:* Non ſatis accurate loquaris: *domum abiit; mihi reſpondit,* omiſſo pronomine *hic,* vel *is, ille:* nondum enim nominativus adfuit. Sic: *Nuper tuum fratrem vidi apud patrem meum: quaeſivit ex eo* etc. obſcure dictum eſt: quis enim quaeſivit? *pater* an *frater?* Dicendum potius, ſi *pater fratrem* interrogavit: *hic quaeſivit ex illo,* vel, ſi frater interrogavit patrem: *ille ex hoc quaeſivit:* ſic omnia plana. Etiam in vernacula falſo dictum eſt: *Neulich ſah ich deinen Bruder bey meinem Vater: da fragte er ihn,* quia aeque neſcio, ad utrum illorum τὸ *er* et ad utrum τὸ *ihn* pertineat. Sic ambigue loqui-

*) Male vulgo in ſcholis quaerunt ex pueris: *ubi eſt nominativus?* cum tamen duo vel plures adſint. Si igitur puer unum eorum ſumit prius, peccare dicitur, et tamen quaeſivit et invenit nominativum. V. c. *Egregius vir ſemper habitus eſt Epaminondas, dux Thebanus.* Hic et *vir* et *Epaminondas* et *dux* eſt nominativus. At. ſi quaerere juberetur ſubjectum, ac ſciret, quid ſubjectum eſſet, id quod puer facile diſcit, ſtatim diceret *Epaminondas* eſſe ſubjectum.

loquitur dicens: *Cajus et Titius de variis rebus disputarunt. Quaerenti, quid sentiret, respondit* etc. Dicendum, si Cajus quaesivit: *quaerenti illi — respondit hic*, vel *Cum ille quaesisset, respondit hic:* sin Titius quaesivit, dicendum: *Huic quaerenti*, vel *Cum hic quaesisset, respondit ille.* Prisci hoc plerumque observarunt; hinc τὸ *is* et in primis τὸ *qui*, quod salvo sensu saepe abesse poterat, tamen ab initio enuntiationis principalis post interpunctionem maximam saepissime ponunt. V. c. *Caesar in Galliam profectus est. Qui cum ibi reperisset* etc., ubi nulla ambiguitas foret, etiamsi *qui* abesset. — Cic. Rosc. Am. 25 *Quanto majores nostri sapientius? Qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum* etc., ubi, etiamsi *qui* abesset, tamen *majores* intelligerentur facile. — Cic. Divin. in Caecil. 1 de Siculis loquens ait: — *factum est, uti cum summum in veteribus patronis multis tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati cuncti ad me publice saepe venerunt* etc. *Qui* i. e. *Siculi:* sed quis hoc e contextu non intelligat? — Cic. Manil. 4 in. *Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli sed ad comparationem novi contulit. Qui posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes* etc. *Qui* i. e. *Mithridates:* hoc contextus docet: at facilius est lectori et maxime auditori, subjectum enuntiationis sequentis statim nosse. — Sic *is* et *id* ponitur, atque ita subjectum repetitur a Cicerone, ubi e contextu jam intelligi poterat, v. c. Verr. III, 50 in. *Numos dabat arator. Quomodo? aut unde? Qui, si largissimus esse vellet, cumulatiore mensura uteretur, ut antea solebant facere in decumis, cum aequa lege et conditione venibant. Is numum dabat. Unde? de frumento?* Et *qui* et *is* abesse poterat; quis enim alius quam *arator* intelligendus? — Cic. ad Div. I ep. 3 in. *Aulo Trebonio, qui in tua provincia magna negotia et ampla et expedita habet, multos annos utor valde familiariter. Is cum antea semper — gratissimus fuit* etc. — XIII ep. 49 in. *Q. Pompejus, Sexti filius, multis et veteribus causis necessitudinis mihi conjunctus est. Is cum antea — consueverit* etc. — Epist. 56 in. *Cluvius Puteolanus valde me observat, valdeque est mihi familiaris. Is ita sibi persuadet* etc. — Ibid. §. 3 *Dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut edicti Mylasii Romam mitterentur. Id factum non est, Es* (s. *Das*) *ist nicht geschehen.* — Ibid. epist. 58 in. *L. Custidius est tribulis et municeps et familiaris meus. Is causam habet* etc. — Ibid. epist. 64 §. 6 *Tantum a te petimus, ut agas eam rem, ne relinquas hominem innocentem ad alicujus tui dis-*

disſimilis quaeſtum. Id cum gratum mihi erit, tum etc. — Sic additur *hoc* Ibid. epiſt. 67 *Feceris igitur mihi gratiſſimum, ſi eum — adjuveris. Hoc mihi vehementer erit gratum* etc. Haec pronomina non omnes hodie ſcribentes forſitan addidiſſent: ſed non omnes hodie perſpicuitatis tam ſtudioſi ſunt, quam Cicero erat.

X) Praepoſitio *a*, quando initium temporis (vulgo terminum *a quo*) ſignificat, ante ſe libenter habere ſolet *inde*; v. c. *inde a primis annis; inde a principio hujus imperii; inde ab adoleſcentia ita factum.* Sic omnis ambiguitas tollitur; et lector ſtatim praevidet, *a* non *cauſam efficientem* ſed *tempus* indicaturum. *Ab adoleſcentia factum eſt* eſſe quoque per ſe poteſt *adoleſcentia fecit* i. e. *adoleſcentes fecere.*

XI) Parentheſes, niſi omnes, longae tamen et crebrae in eadem ſententia, quantum fieri poteſt, vitandae ſunt: interrumpunt enim contextum verborum antecedentium et conſequentium. Res per ſe loquitur.

XII) Poſt parentheſin paulo longiorem Cicero, ut contextum interruptum reſtituat atque ita perſpicuitatis cauſa, repetit unum vel etiam aliquot vocabula addito vel Verbo *inquam*, ut noſtri *ſage ich*, vel particulis *igitur, ergo, (noſtrum nun alſo)* interdum *ſed, veruntamen, ſed tamen:* v. c. Orat. III, 31 in. *Noſtra eſt enim (ſi modo nos oratores ſumus, ſi in civium disceptationibus, ſi in periculis, ſi in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes ſumus) noſtra eſt, inquam, omnis iſta prudentiae doctrinaeque poſſeſſio* etc. — ſic ad Attic. I ep. 16 med. *Idem ego ille (non enim mihi videor inſolenter gloriari, cum de me apud te loquor) idem, inquam, ego recreavi adflictos* etc. — *Igitur:* ad Div. I ep. 9 §. 67 *Scripſi etiam (nam ab orationibus dijungo me fere referoque ad manſuetiores muſas, quae me maxime, ſicut jam a prima adoleſcentia, delectarunt) ſcripſi igitur Ariſtoteleo more* etc. — ad Attic. XVI ep. 3 in. *Tu vero ſapienter (nunc demum enim reſcribo his literis, quas mihi miſiſti, convento Antonio Tiburi) ſapienter igitur, quod* etc. — Tuſc. IIII, 15 in. *Quando et aliis locis de virtute diximus et ſaepe dicendum erit (plerumque enim quaeſtiones, quae ad vitam moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur) quando igitur virtus eſt adfectio animi* etc. Notes hic aliam ſententiam ſequi. — Cic. Fin. IIII, 20 in. *Poſtea tuus ille Poenulus (ſcis enim Citiaeos, clientes tuos, e Phoenicia profectos) homo igitur acutus* etc., ubi alia vocabula repetuntur, ſcilicet *homo acutus* pro *ille Poenulus.* — Sic Cic. Fin. V, 32 *Laetor quidem, philoſophiam, cujus antea ſupellectilem pluris aeſtimabam, quam poſ-*

ſeſſiones

ſeſſiones reliquorum, ita mihi dives videbatur, ut ab ea petere poſſem, quidquid in ſtudiis noſtris concupiſſem, hanc igitur laetor etiam etc., ubi *hanc* pro *philoſophiam* ponitur. Omiſi hic ſemilunia ( ) ſigna nota parentheſeos, quia non exſtant in editionibus ac ſine iis parentheſis agnoſcitur. — *Ergo:* Cic. ad Div. XV ep. 10 in. *Quando id accidit, quod maxime mihi fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam (mirificus enim nominis ac generis veſtri fuit erga me ſemper animus), cum ergo ita accidit, ut* etc. — Cic. Tuſc. I, 7 *An tu dialecticis ne imbutus quidem es? in primis enim hoc traditur: omne pronuntiatum (ſic enim mihi in praeſentia occurrit, ut adpellarem ἀξίωμα: utar poſt alio, ſed, ſi invenero melius), id ergo eſt pronuntiatum, quod eſt verum aut falſum* etc. — *Sed:* v. c. Cic. ad Quint. frat. II ep. 3 non procul ab in. *Qui* (Pompejus) *ut peroravit: nam in eo ſane fortis fuit: non eſt perterritus: dixit omnia: atque interdum etiam ſilentio cum auctoritate peregerat: ſed, ut peroravit, ſurrexit Clodius:* Not. verba *nam in eo* usque ad *peregerat* ſunt parentheſis, licet ſignum ejus deſit; tum repetuntur *ſed ut peroravit.* — Cic. Offic. I, 30 *Quin etiam ſi quis eſt paulo ad voluptates propenſior, modo ne ſit ex pecudum genere (ſunt enim quidam homines non re ſed nomine), ſed ſi quis eſt paulo erectior* etc., ubi tamen alia ſententia infertur poſt *ſed:* ſic fere Cic. Orat. III, 12 in. *Equidem cum audio ſocrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam antiquitatem conſervant, quod multorum ſermonis expertes ea tenent ſemper, quae prima didicerunt,) ſed eam ſic audio, ut Plautum mihi — videar audire.* Not. in his praecedentibus exemplis *ſed* habet tantum vim connectendi aliquam. — *Sed tamen:* Cic. ad Div. VIIII ep. 16 §. 2 *quidquid arte fieri poterit (non enim jam ſatis eſt conſilio pugnare, artificium quoddam excogitandum eſt), ſed tamen quidquid elaborari aut effici potuerit ad iſtorum benevolentiam conciliandam* etc. reſpondet noſtro *unterdeſſen aber* i. e. *es ſey aber wie ihm wolle* etc. — Sic Cic. Orat. II, 90 non proc. ab in. *Saepe ego doctos homines, quid dico ſaepe? imo nonnunquam: ſaepe enim qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde unquam diutius quam quaeſtor abfuerim? ſed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis cum eſſem, doctiſſimos viros, et in Aſia* etc. — *Veruntamen:* Cic. ad Div. V ep. 21 §. 9 *Puto autem mea nonnihil intereſſe (quamquam id ipſum, quid interſit, non ſane intelligo), veruntamen, quidquid illinc nuntiatum ſit, non longe abeſſe velim* etc., ubi tamen non tam reſtituere contextum quam verbis parentheſeos ſigno incluſis reſpondere videtur,

ut

ut supra *sed tamen* h. e. *es sey wie ihm wolle, unterdessen aber* etc. Melius huc quadrat Cic. ad Attic. I ep. 10 in. *Cum essem in Tusculano (erit hoc tibi pro illo tuo Cum essem in Ceramico), veruntamen cum ibi essem* etc.

XIII) *Si quod vocabulum paulo obscurius esse credimus, eoque tamen uti cogimur, id explicare debemus* v. c. per *hoc est, sive, seu*, aliove modo. Exempla adferre non possum: quia aliud alii difficile et obscurum est: et hic ad lectorum et auditorum captum se quisque accommodare debet. Potest etiam interdum, si quidem lubet ac propter reverentiam erga auditores per *hoc est* explicare dubitas, explicatio recte instituitur; id quod fit 1) quando statim synonymum adjicis, v. c. *auctoritas et consilium: subtilitas et diligentia.* Cic. Divin. in Caecil. 7 *Da mihi hoc et concede.* Cic. Verr. III, 7 *Do hoc tibi et concedo.* De qua re supra p. 397 in Cap. de *Copia dic.* late dictum est. 2) quando rem eandem et negative et adfirmative effers: v. c. *in luce clarissima res versatur, nec ullo modo negari potest.* 3) repetitione ejusdem rei per aliud vocabulum vel per circumscriptionem. Sic Cicero millies. Cf. p. 402 ff. et 418 ff.

XIIII) *Repetitio ejusdem ideae, praesertim si ad eam in primis adtendere lectorem et auditorem volumus, valde necessaria est perspicue loqui cupienti,* ut supra p. 565 ff. in explicatione rerum s. idearum diximus. Lector vel auditor semel dicta obliviscitur vel non adtendit: at repetita non potest obliviscí, cogitur adtendere. Fit ista repetitio tum statim tum omni occasione per totam rei tractationem, placetque in primis, si ita fit, ut vix sentiatur a legente et audiente, nisi valde docto, repetitionem ejusdem ideae tam saepe factam esse. Si quaeris, quibus modis ea instituatur, tres hic proponam:

1) *Idem vocabulum repetitur:* v. c. Cic. Rosc. Am. 26 *Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruci, censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris?* ubi *maleficium* repetitur. — Cic. Verr. III, 6 *Perpaucae Siciliae civitates sunt bello a majoribus nostris subactae: quarum ager cum esset publicus populi romani factus, tamen illis est redditus. Is ager a censoribus locari solet:* poterat dicere *Is a censoribus* etc., at vocabulum *ager* simul repetere maluit ob perspicuitatem. — Cic. Manil. 12 extr. *Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme adparavit, in-*

eunte

eunte vere ſuscepit, media aeſtate confecit. Repetit ideam *belli*, ut appareat, quanta virtute ſit Pompejus, qui tantum bellum tam celeriter confecerit. — Cic. Cluent. 57 *A. Cluentius, eques romanus, cauſam dicit ea lege, qua lege ſenatores et ii, qui magiſtratum habuerunt, ſoli tenentur:* ubi *qua* ſufficiebat per ſe. — Cic. Mil. 20 in. *Ante fundum Clodii, in quo fundo propter inſanas illas ſubſtructiones facile mille hominum verſabatur valentium* etc.: abeſſe *fundo* poterat; ſed repetit, ut judices magis videant, quam incredibile ſit, Milonem talem locum ad pugnandum cum Clodio elegiſſe. — Pertinet huc illa *Anaphora*, quae nihil aliud eſt quam repetitio ejus vocabuli, ad quod adtendi volumus: v. c. Cic. Verr. III, 9 *Hunc in omnibus ſtupris, hunc in fanorum expilationibus, hunc in impuris conviviis principem adhibebat* ſc. Verres: ſermo eſt de Apronio. Huc pertinet *Epizeuxis* v. c. *dolebam, dolebam* etc. Cic. Phil. II, 15; it. *Epiphora*, clauſulam repetens.

2) *Vocabulo, cujus ideam repetere volumus, ſubſtituitur pronomen aliquod*, v. c. *is, ille, hic, qui*, v. c. Verr. II, 53 de Timarchide loquens Cicero ait: *Exquiſitis palam pretiis et licitationibus factis deſcribebat cenſores binos in ſingulas civitates Timarchides. Is ſuo labore — conſequebatur, ut ad iſtum* (Verrem) *ſine ulla ſollicitudine ſumma pecunia referretur:* ubi *is* eſt idem Timarchides; ac paulo poſt: *Sed ne miremini, qua ratione hic* (Timarchides) *tantum apud iſtum* (Verrem) *libertus potuerit* etc. Recte: nam Timarchides profecto erat homo notabilis. Add. dicta n. VIIII.

3) Vocabulo illi ſubſtituitur aliud ejusdem generis h. e. nomen nomini, Verbum Verbo, interdum etiam plura vocabula, atque ita eadem res aliis verbis diverſe exprimitur, v. c. Cic. Verr. I, 1 in. *Neminem veſtrum ignorare arbitror, judices, hunc per hosce dies ſermonem vulgi atque hanc opinionem populi romani fuiſſe, C. Verrem altera actione reſponſurum non eſſe neque ad judicium adfuturum. Quae fama non idcirco ſolum emanarat* etc. Hic *fama* nihil aliud eſt quam *ſermo vulgi*. Cic. Verr. III, 6 primum dicit: *Ita decumas lege Hieronica ſemper vendundas cenſuerunt* etc. deinde: *Hoc jure ante Verrem praetorem Siculi ſemper uſi ſunt:* ubi *hoc jure* eſt idem quod *lege Hieronica*. In primis notanda haec duo loca: Cic. Verr. I, 5 in. *Meditetur de ducibus hoſtium, quos accepta pecunia liberavit: videat, quid de illis reſpondeat, quos in eorum locum ſubditos domi ſuae reſervavit: quaerat non ſolum, quemadmodum* etc., ubi *meditetur, videat,*

deat, quaerat posuit, cum uno horum contentus per se esse potuisset. Sed omnis repetitio vocabulorum, modo sit apta, est repetitio idearum h. e. efficit, ut rem planius perspiciamus: hinc pertinet in primis ad gravitatem dicendi. Alter locus est Cic. Cluent. 2 in. *Dominetur* (falsa invidia opposita veritati) *in concionibus, jaceat* (i. e. nil valeat) *in judiciis: valeat in opinionibus ac sermonibus imperitorum, ab ingeniis prudentium repudietur: vehementes habeat repentinos impetus, spatio interposito et causa cognita consenescat.* Egregie dictum! *Dominetur, valeat, vehementes habeat impetus*, et *jaceat, repudietur, consenescat:* quae copia dicendi! Poterat *dominetur* vel *valeat* etc. ac *jaceat* vel *repudietur* sufficere. Cicero his omnibus vocabulis vult dicere, falsam invidiam (*die ungegründete üble Nachrede, Blame,*) apud judices nihil valere atque ita Cluentio nihil nocere debere.

XV) *Ut rara vocabula*, quia sunt paulo ignotiora, sic quoque *in primis raras constructiones, licet auctoritate priscorum se tueantur, fugere debemus:* v. c. *fruor* cum genitivo etc. Nam lector vel auditor, qui usitata tantum et nota meminit, non statim intelligit, unde iste genitivus pendeat, et opinatur, aliquid forsitan omissum esse, quo ille casus referatur. Sic non dixerim: *priscis ita dicitur* pro *a priscis:* nec *cunctis laudatur* pro *a cunctis*, licet iste dativus sic occurrat apud Ciceronem interdum post passiva: poetae ita solent saepe loqui. At post gerundium necessitatis, ut vulgo vocatur, et participia in *dus* recte dativus pro *a* cum ablat. ponitur: v. c. *mihi Deus est amandus* pro *a me: liberis parentes sunt colendi* pro *a liberis: libri nobis sunt legendi* pro *a nobis.* Imo in hac forma dativus est rectior, et tam usitatus apud priscos, ut altera forma per *a* fere pro vitio habenda videatur. Omnia enim hic nituntur usu dicendi. — Sic nolim dicere *in potestatem esse* pro *in potestate*, licet Cicero ita dixisse dicatur Manil. 12, ubi haec in nonnullis Editt. leguntur: *cum vestros portus in praedonum fuisse potestatem sciatis?* at Edit. Ernest. *potestate:* sic *in potestatem ditionemque esse* legitur Cic. Divin. in Verr. 20 extr. ut in aliis Editt. ita in Ernest.; id quod mihi perinde videtur dici, ac si quis vernacule dicat *in die Gewalt seyn* etc.: ut alia loca taceam, quorum nonnulla tamen explicatione adjuvari possunt, nonnulla dubia habentur: it. Liv. XXIIII, 8 *stantibus vobis in aciem armatis* pro *acie:* vid. Vechn. Hellen. ed. Heus. p. 258 seq. Forsitan hic accusativus non nisi manui librariorum tribuendus est. — Non facile dixerim *tempus est dicere* pro *dicendi*, licet ita dicat Cicero Orat. II, 42 extr. Top. 1: sic Liv. VI, 18 extr. *tempus est jam majora*

jora conari; VIII, 5 in. *tempus erat nihil agere* etc. Nep. Ages. 3 *tempus copias extrahere ex hibernaculis;* Nep. Hann. 13 *nunc tempus est hujus libri facere finem:* non, quod falso ita dicatur; nam si prisci ita non raro loquuntur, quis pro falso habeat? sed quia haec constructio non cuivis lectorum vel auditorum nota est, ut timendum sit, ne eorum mens perturbetur. Sic post *tempus est* etiam sequitur accusativus cum infinitivo apud priscos, v. c. Cic. Att. IIII, 5 prope fin. *jam tempus est, me ipsum a me amari.* Nep. Dat. 11 in. *tempus esse, majores copias parari* etc.: quae ratio non spernenda est, tum quia prisci ita loquuntur, tum quia cum alia ubique commutari non potest. — At nemo raras constructiones fugere potest, nisi qui eas novit h. e. qui lectioni priscorum adsuetus est, atque ita suis oculis cernit, quid rarum, quid usitatum in constructione sit vel saltem a viro perito admonetur. — Cavendum hic quoque est, ne statim fidem habeamus omnibus iis, qui confirmant, priscos hoc vel illo modo locutos: v. c. non equidem fortasse dixerim *mei unius opera, tui unius studio* pro *mea unius, tuo unius,* licet post alios Cortius, defensor ille omnium durarum locutionum, ad Cic. Epp. ad Div. II, 6 extr. defendat, Ciceronem ibi *tui unius studio,* Cic. Marcell. 7 *ex unius tui vita,* Cic. Vatin. 3 extr. *cum mei unius salute* scripsisse. Edit. Ernest. habet Cic. ad Div. II, 6 quidem *tui unius,* sed Marcell. 7 Vatin. 3 habet *tua, mea.* Nec negandum, plures locos similes reperiri: add. de hac re Perizon. ad Sanct. II, 13, 3 p. 251, quem Cortius secutus est. Neque tamen ei, qui v. c. *tui unius opera* pro *tua unius opera* etc. ponat, non ignoscendum esse putem, quia non sine exemplis priscorum sic scribat. — Sic nec dixerim: *illum, ut vivat, optant* cum Terent. Adelph. V, 4, 20, qui saepius ita loquitur, ex graecismo; vid. Perizon. ad Sanct. p. 188.

XVI) In recto *usu particularum,* quibus vocabula et membra conjungi solent, *et, aut, vel,* it. *si, cum* etc. inest magna *perspicuitas.* Notandum igitur

1) *Et* non omittendum esse facile, v. c. *dixit, abiit:* quia lector vel auditor tum adhuc aliquid exspectat; praeterquam in sermone gravi, ubi aliquis commoto animo loquitur: hic enim sonus vocis ipse indicat, finem esse sententiae: et in legendo vel per distinctionis signa animadvertitur vel e contextu.

2) Libenter priscos duplex *et* ac duplex *aut* ponere, ubi vernacula uno contenta est, supra jam in Parte priore dictum est. Fit hoc ob perspicuitatem: sic enim statim lector auditorve videt, duo vocabula ita juncta cohaerere et ad eandem

enuntiationem pertinere, ac duo membra ita juncta ſecum cohaerere et ad eandem pertinere ſententiam. Quando quis v. c. dicere vult, ſe ab hominibus amari et laudari, idque his verbis exprimit: *Homines me et amant et laudant*, nonne ſentis, lector, te, ſimulac verba *et amant* legeris vel audiveris, ſtatim exſpectare aliud *et*, atque ita aliud praedicatum, atque ita quaſi jam praeparari tuam mentem ad id percipiendum et adtentam fieri? Sin ille ita loquitur: *Homines me amant et laudant*, nonne poſt *amant* videtur enuntiatio clauſa eſſe, et poſtea nova incipere, donec videas tandem τὸ *laudant* etiam eo referri? Id quod in latioribus enuntiationibus magis perſpicitur. V. c. *Si te ſemper inde ab adoleſcentia valde amavi, et pro magna meritorum tuorum multitudine et excellentia maximi aeſtimavi, (quis hoc non faciat?) intelligere facillime potes* etc. Hic initio dubius ſum, utrum τὸ *amavi* claudat enuntiationem, ac τὸ *et* membrum conſequens incipiat, ſitque per *etiam* explicandum, an verba *et pro magna* etc. ad illam pertineant, ſitque vertendum *und*. Hoc non prius certo ſcio, quam ad *intelligere potes* venerim. At haec dubitatio ſtatim evaneſcit, ſi ſcribis ac dicis: *Si te et ſemper amavi et pro* etc. Sic malim dicere: *Et patrem et matrem amo* pro *patrem et matrem amo*. Sic et *aut*: v. c. *Liber tibi aut jam redditus eſt aut brevi reddetur*, rectius et magis perſpicue eſt dictum quam *liber tibi redditus eſt* etc. Saepe etiam τὸ *et* ter ponitur: v. c. *et patrem et matrem et fratrem amo*. — Pertinet huc quoque *nec* ſ. *neque* bis ponendum pro uno. V. c. pro *librum hunc non vidi nec videre volo* dicitur *librum hunc nec vidi* etc. Cic. ad Div. IIII ep. 7 §. 13 *propterea quod neque is, qui tenet rempublicam* (i. e. Caeſar), *patietur, neque ipſa respublica:* pro *propterea quod non is* etc. Melius τὰ *neque, neque*, ſ. *nec, nec* conjungere verba et membra, quam *non, neque*, atque ita melius ſervire perſpicuitati, facile intelligitur. Qui plura exempla cupit, conſulat Partem priorem, in Cap. de *Connexione* Sect. I et II p. 291 ff., ubi de tota re accurate et late egimus.

3) *Et*, licet ſaepiſſime pro *etiam* poni poſſit, tamen, ſi contextus talis eſt, ut videatur quoque per *que* (*und*) explicari poſſe, non ponendum, ſed dicendum eſt *etiam, quoque*. V. c. *Cum vidiſſem te brevi perlegiſſe et Virgilium et Homerum, et Horatium tibi mittendum cenſui:* h. e. *etiam Horatium:* at ego hic poſuerim *etiam Horatium*, vel *Horatium quoque;* quia *et Horatium* videri poſſit ad praecedentia referri, et contextus demum conſulendus eſt: et in legendo ſignum diſtinct. minimae opem ferre debet. — Sic pro: *cum*

iſtum

iſtum librum et emiſſem et legiſſem, et vidiſſem, nihil praeclari eo contineri etc. malim dicere: *Cum iſtum librum et emiſſem et legiſſem, vidiſſemque* vel *ac vidiſſem* etc., ut lector vel auditor ſtatim videat, verba *librum et emiſſem et legiſſem* unam enuntiationem efficere, et verbis *ac vidiſſem* vel *vidiſſemque* aliam incipi. — Sic priſci plerumque; nam interdum etiam Ciceronem tria *et* jungere, ubi duo tantum inter ſe arcte cohaereant, negari non poteſt.

4) *Si* non confundendum eſt cum particula *cum wann*, quae eſt temporis, illa plerumque conditionis. Aliud eſt *faciam cum poſſum* et *faciam ſi poſſum;* in vernacula quidem utrumque eſt *wenn ich kann:* at *cum poſſum* eſt *eo tempore, quo poſſum*, et *ſi poſſum* eſt *ea conditione, per quam liceat facere: hoc* dubitanter loquitur, *illud* non. Sic *cum volo* eſt *zu der Zeit, da ich will: ſi volo unter der Bedingung, daß ich will* ſ. *wofern ich anders will.* — Ex iſta commutatione harum duarum particularum, quae hodie valde uſitata eſt, oriri poteſt alia obſcuritas; v. c. multi neſciunt, *cum wann* jungi per ſe indicativo: dicunt ergo v. c. *cum ſciam, poſſim*, hoc ſenſu, ut ſit *wann ich weis, kann*, cum omnes lectores et auditores, linguae gnari, hoc intellecturi ſint ita, ut ſignificare putent *da ich weis, kann* etc. Nec tamen negandum, *ſi* apud priſcos de tempore non raro occurrere, v. c. *tum exſiſtere, ſi* etc. Cic. Tuſc. III, 22 in. et ſaepius.

5) *Cum* ſ. *quum* non commutari debet cum *dum:* hoc enim ſemper indicat tempus adhuc durans per eam actionem, quae in illo fit: v. c. *dum ſcribebam, venit pater während daß ich ſchrieb, im währenden Schreiben* (ſic fortaſſe rectius quam *während des Schreibens*, nam *während* eſt particip. a verbo *währen*, non praepoſitio): hic *dum* indicat, patrem veniſſe in media ſcriptione mea, ut ita loquar, at *cum ſcribebam* non accurate hoc indicat. Contra non debet dici, v. c. *pater venit, dum ſcripſeram* pro *cum ſcripſiſſem:* prius ponunt tirones facile, quia vernaculum *indem* i. e. *währender Zeit* (*während der Zeit*) et *indem* i. e. *als, da, nachdem* discernere nequeunt.

6) Sic et aliae conjunctiones, v. c *etiamſi wenn auch, ut (geſetzt daß)*, non confundendae ſunt cum *quamquam*, ut vulgo fit etc. De his et pluribus ſupra in P. I p. 162 ff. et 378 ff., dictum eſt late: hic loquor de iis, quatenus perſpicuitati ſerviunt. Quaecunque vero accurate dicuntur, ſunt perſpicua magis quam quae vitioſe.

XVII) *In duobus vocabulis, quae externa literarum forma inter se conveniunt, significatione differunt, videndum, ne lector auditorve ea confundat et unum pro altero habeat, vel nimis diu quaerere cogatur, utrum intelligere debeat.* Talia verba sunt multa: v. c.

1) *Uti* pro *ut* et *uti* ab *utor*. V. c. Nolim dicere: *Satis multa de animi voluptate dixi. Qua uti quisque studet potiri, ita* etc. Malim dicere: *Qua ut* etc. Possit per *uti* lectoris vel auditoris mens perturbari vel paululum retardari; quia initio *uti* videatur esse ab *utor* propter ablativum *qua;* postea quidem facile adparet manifesto esse particulam similitudinis. Debemus omnia removere, quae vel paululum impedire queant legentem et audientem.

2) *Quodque, quaeque: quod* potest compositum esse e duobus vocabulis *quod* et *que; quae* et *que:* potest vero quoque esse a *quisque.* Contextus talis esse debet, ut facile agnoscatur.

3) *Quin* pro *imo* interdum non posuerim v. c. post *non dubito:* v. c. haec verba: *Ich zweifle nicht, ja ich bin ganz gewiß überzeugt,* non verterim: *Non dubito, quin certissime mihi persuasum est.* Nam quamquam ex indicativo *persuasum est* patet, *quin* hic esse adverbium *ja:* tamen initio lectori, ob praecedentia verba *non dubito,* facile in mentem venit credere, esse conjunctionem *daß.* Malim itaque dicere: *Non dubito, imo* seu *atque adeo certissime* etc.

4) *Est* a *sum* et *est* ab *edo:* v. c. si quis dicat: *habet cibum, nec tamen est stultus* hoc sensu: *Er hat Speise und der Narr ißt doch nicht,* is valde obscure loquatur. Pauci conjectura forsitan adsequantur, *est* pro *edit* positum esse. In jocando ita liceat ambigue loqui.

5) *Ut* adverb. et *ut* conjunct. v. c. *video, ut venerit, ich sehe wie er gekommen* paulo obscurius dictum est pro *quomodo:* et tamen Cicero aliquoties ita loquitur: Rosc. Am. 24 in. *Videtisne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi causa, supplicium de matre sumsisse, cum praesertim deorum immortalium jussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent Furiae* etc. Cohaeret *Videtisne* cum *ut eos agitent* etc. Hoc in loco facile tiro haerere solet, tum quod verba *ut eos agitent* tam longe sejuncta sunt a *videtisne,* tum quod *ut* pro *quomodo* explicandum est; quod mirum illi solet esse propter additum conjunctivum. — Locus Cic. Agrar. II, 1, ut Graevius quidem eum legit (nam in vulgatis sensu fortasse caret): *ipse modice dicam* (scil. de meis meritis), *ut, si necesse erit, vos eosdem existimaturos putem, qui judicastis:*

paulo

paulo difficilior videtur ob particulam *ut:* quaeritur, utrum sit adverbium *wie*, an conjunctio *daß:* Ego pro *adverbio* habeo ac sic verto: *Warum ich aber dieser so großen Ehre*, i. e. *des Consulats, würdig bin, davon will ich selbst mäßig reden, nämlich so, wie ich glaube, daß ihr selbst davon urtheilen werdet* (existimaturos), *ihr, die ihr bereits euer Urtheil geäußert habt (qui judicastis)* scil. *dadurch, daß ihr mich zum Consul gemacht habt.* Cui haec pars orationis Agrariae satis nota est, is novit, quantopere Cicero glorietur, quod suo anno factus sit consul, et quantopere se laudare cupiat, nec tamen palam hoc facere audeat: hinc tam tecte de sua laude loquitur, ut vix ab adtento intelligi mens ejus plane possit. At rectius puto *ut* per *wie* quam per *daß* explicari.

6) *Sis* a *sum* et *sis* pro *si vis*, quod posterius est Cic. Rosc. Am. 16 extr. *Age, refer animum, sis, ad veritatem.* Hoc in contextu quodam potest ambiguitatem adferre.

7) *Regis* a *rex* et *regis* a *rego;* sic *legis, sedes* etc. sic *videris, legeris* etc. sic *exstitit* ab *exsisto* et ab *exsto* etc. it. *constitit* a *consto* et a *consisto* etc.

8) *Eo* adverb. (quamquam proprie est ab *is*) et *eo* ab *is.* V. c. *Eo homine profecto* potest per se esse tum *postquam is homo profectus est*, tum *postquam homo eo profectus est.* Hinc *eo*, si *istuc* notare debet, malim in *istuc* hoc loco mutare ad vitandam ambiguitatem.

9) *Etsi obgleich* cum *et si und wenn* facile confundi potest a lectore et auditore. Hinc posterius mutatur rectius in *ac si*: Cicero tamen habet non raro *et si* pro *ac si und wenn.*

10) Eaedem terminationes vocabulorum in casibus interdum obscuritatem efficere possunt, v. c. *tu suavior es omnibus:* ubi *omnibus* per se potest esse et ablativus pro *quam omnes*, et dativus: sic, si quis dicat: *fratres peregrinantes viderunt;* ubi per se dubium, utrum fratres viderint peregrinantes, an peregrinantes viderint fratres. Hinc vocabulum *talis* ap. Horat. I, od. 4, 18 difficile est: ac sensus verborum *regna vini talis* semper dubius manebit h. e. tamdiu, quoad Horatius ipse dicat. Nescimus, utrum Horatius istud scribens poculum tenuerit manu sublata, ut post Luisinum Baxt. et Gesn. putant, nec male quidem; an *talis* sit a *talus.* Nihil ante Horatius de vino dixerat, ut imprudenter locutus sit, si *talis* i. e. *τοῖς* intellexerit. Quamquam quis poetam legibus coerceat vel imprudentiae accuset? — Sic Cicero obscure (saltem nobis) locutus est ad Div. VIIII ep. 20 in. dicens: *Me autem a te, ut scurram velitem, malis oneratum esse non moleste tuli.* Fortasse difficultas latet in *malis.* Explicatio-

nem, si qua esse hujus loci potest, dedit summus Ernesti in clave Cic., quamquam de *malis* Ciceroni missis nihil antea ibi dicitur: ceterum *velitem* si locus sanus est, explico *neckend*, cf. ea quae dixi in Lexico. — Sic ap. Virgil. Aen. VII, 411 de Ardea oppido: *Locus Ardea quondam dictus avis: et nunc magnum manet Ardea nomen:* ubi *avis* ambiguum est. Ego sumo *avis* ab *avus*, ut sit *a majoribus:* sic et Cel. Heynium explicare video. Donatus *avem* intelligit: quod puerile mihi videtur: quis enim nescit *ardeam* esse quoque avem? Hoc addere non decebat Virgilii gravitatem: et quaeritur adeo, an Virgilius ad avem illam omnino respexerit.

11) Eaedem terminationes vocabulorum in Genere saepe possunt lectoris et auditoris mentem dubiam, saltem aliquamdiu, reddere. V. c. *multorum* est genit. masculin. et neutrius: Non dicendum igitur est: *haec est causa multorum* pro *multarum rerum;* sed rectius *multarum rerum.* Et sic prisci fere semper. — Sic *hujus, cujus*, non in neutro absolute dici debet, v. c. *hujus causa, die Ursache hiervon.* Sic malim dicere *qua re, hac re hierdurch* quam *quo, hoc:* tolerabilius est *quo* quam *hoc*, quia hoc possit videri quoque Nominativus vel Accusativus, v. c. *Hoc factum est hierdurch ists* etc. Sic vernaculum *hieraus*, v. c. *hieraus sieht man* rectius vertitur *hac ex re*, quam *ex hoc*, quia *hoc* possit et pro masculino haberi: sic malim dicere *qua ex re*, quam *ex quo*, saltem illud crebrius usurpem, quam hoc: etsi prisci *ex quo* non raro pro *qua ex re* dixerunt. Sic si quis dixisset: *Suum cuique pulchrum est*, ac tum ex me vernacule quaereret: *was ist die Ursache hiervon?* haec quaestio vertenda est *quaenam est hujus rei causa?* Male loquaris: *quaenam est hujus causa?* hoc neutrum *hujus* nemo facile intelligeret: multo pejus dixeris: *quaenam est causa de hoc:* quod vix pueris ignoscendum. — Apud Liv. II, 9 ambiguitas generis locum reddit paulo obscuriorem. Verba sunt Tarquiniorum Porsenam rogantium, ut sibi regnum romanum restituat. Dicit Livius: *monebant* (Tarquinii Porsenam) *etiam, ne orientem morem pellendi reges inultum sineret. Satis libertatem ipsam habere dulcedinis. Nisi, quanta vi civitates eam expetant, tanta regna reges defendant* etc., *tanta* scil. *vi:* et *regnum* est *die königliche Würde*, non *das Reich*, ut *regnare* est *regem esse* v. c. Liv. I extr. Melius tamen Livius fecisset, si scripsisset: *tanta reges regna* etc., ne tiro in errorem induceretur, ac crederet, saltem initio, *tanta* conjungendum esse cum *regna*. — Multo obscurior est locus Liv. VIIII, 13 med. *Quae regio si fida Samnitibus fuisset, aut pervenire Arpos exercitus romanus nequisset,*

aut

aut interjecta inter Romam et Arpos, penuria rerum omnium, exclusos a commeatibus absumsisset. Quaeritur enim, quo *interjecta* sit referendum. Glareano non vitio nimis vertendum, quod *interjecta* ad *penuria* retulerit. Locus enim est obscurus. Gronovii explicatio et correctio est aeque contorta nec sufficiens. Locus haud dubie critica indiget adhuc manu: interim intell. *regio.* Ceterum hinc puto multa *supina Verborum* rarius occurrere apud priscos, quia ambigua sunt ac cum participiis passivorum confundi a lectoribus et auditoribus possunt; hinc puto quoque factum, ut prisci dixerint *dic, duc, fac, fer* pro *dice, duce* etc., ne cum *dice*, quod olim in usu fuisse e *dicis causa* patet, *duce* a *dux*, *face* a *fax*, et adverbio *fere* confunderentur. Hinc *assiduus* ab *asse dando* forsitan obsolevit, ne cum *assiduus* (rectius *adsiduus*) ab *assideo* (rectius *adsideo*) permutaretur etc.

XVIII) *Caveamus, ne nimis longis iisque crebrioribus, ut omnino complexionibus verborum, ita maxime periodis utamur;* quia adtentionem lectoris et auditoris defatigant, taedium ei tandem adferunt, ac simul difficultatem intelligendi sensum oratoris et scriptoris. Peccavit hic saepe Caesar; id quod haud dubie inde accidit, quod celeriter et subito ea, quae singulis diebus gesta essent, perscriberet. In primis longa complexio verborum est Bell. Gall. II, 25 *Caesar, ab decimae legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, ubi suos urgeri, signisque in unum locum collatis duodecimae legionis milites confertos sibi ipsos ad pugnam esse impedimento, quartae cohortis omnibus centurionibus occisis signiferoque interfecto, signo amisso, reliquarum cohortium omnibus fere centurionibus aut vulneratis aut occisis, in his primopilo P. Sextio Baculo, fortissimo viro, multis gravibusque vulneribus confecto, ut jam se sustinere non posset, reliquos esse tardiores, et nonnullos ab novissimis desertos praelio excedere ac tela vitare, hostes neque a fronte ex inferiore loco subeuntes intermittere et ab utroque latere instare, et rem esse in angusto vidit, neque ullum esse subsidium, quod submitti posset: scuto ab novissimis uni militi detracto (quod ipse eo sine scuto venerat), in primam aciem processit, centurionibusque nominatim adpellatis, reliquos cohortatus, milites signa inferre et manipulos laxare jussit, quo facilius gladiis uti possent.* Cogites, nominativus *Caesar* et verbum ad eum pertinens *vidit* quam longe inter se disjuncta sint: et membrum antecedens totum claudi demum verbis: *quod submitti posset.* Quis non defatigetur legenda complexione verborum tam longa? Iam, si in narrando ista longitudo defatigat et vitium est, quanto

magis in alio dicendi scribendique genere? — Nimis quoque longae complexiones verborum ac simul non parum contortae sunt Ciceron. Quir. p. red. 1 in. *Quod precatus — maxime laetor, Quirites,* quae duodeviginti versibus constat: et Dom. 57 in., quae septem et viginti versibus continetur: ac ne satis quidem inter se cohaeret. Sed hoc facile accidit in longis verborum complexionibus.

XVIIII) *Abstinendum est ellipsibus durioribus* h. e. non nisi ea vocabula omittenda sunt, quae vel statim praecesserunt, atque ita e contextu facile intelligi queunt, vel per consuetudinem inveteratam omitti vulgo solent, atque ita ab omnibus linguae gnaris intelligi statim possunt: quales sunt v. c. *paucis dicere* int. *verbis: quid multa?* int. *dicam: nescio scribam an legam* pro *scribamne* vel *utrum scribam* etc.: *non habeo, quod agam* int. *negotium: habes, ubi virtutem tuam ostendas* int. *locum: sunt, qui dicant* int. *homines: non modo scribere sed ne legere quidem didicit* pro *non modo non: haud scio an* pro *annon: quid fles* pro *propter quid* etc.: *tres dies ibi fui* int. *per* etc. Hae sunt vulgares et satis notae ellipses: quibus quis non utatur? Consuetudo eas jam notas reddidit. Sic *pater diu mecum de ista re locutus est; nec tamen potuit* etc. pro *nec tamen ille potuit:* at hoc *ille* per se intelligitur e contextu h. e. quia non nisi *pater* praecessit, ad quem *potuit* refertur. Sic *Caesar Pompejum vicit: victum et fugientem excepit Aegyptus* pro *hunc victum:* at *hunc* omitti potest, quia e praecedentibus verbis intelligitur, *victum* esse Pompejum. — At sunt duriores ellipses, quando vocabulum, quod omittitur, non statim vel plane non praecessit, ac contextus simul difficilior est, v. c. Cic. ad Div. XII ep. 30 §. 16 *Honore enim cum ignominia dignis non erant comparandi* pro *Honore enim digni* etc. (ut edidit Ernesti). Eodem modo Ovid. Met. I, 20: *(pugnabant) Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus* pro *Mollia pugnabant cum duris, pondus habentia pugnabant cum iis, quae erant sine pondere* h. e. *levia.* Dura est ellipsis particulae *potius, magis,* ante *quam* v. c. Nep. Datam. 8 in. *tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis refugere* etc. pro *statuit potius* etc.: sic *ipsorum* quam Hannibalis interesse, Liv. XXIII, 43. plura ejusmodi exempla habet Vechn. Hellen. p. 138, sed cum cautione legenda, quia nonnulla loca hodie aliter leguntur: it. Sanctius in Minerv. ibique Periz. p. 692 et 699, qui etiam de aliis ellipsibus consuli possunt: cf. etiam, si lubet, Lexicon meum majus in *Magis* et *Potius.* — Durior et obscurior est etiam saepe ellipsis, quando duos homines vel plures colloquentes inducimus et omit-

omittimus vocabula *dixit, reſpondet*, vel *tum ille, ego, Cajus* etc., praeſertim ſi colloquium paulo longius eſt ac de rebus non vulgaribus dicitur. Sic Horatius ſaepe obſcurior fit, v. c. Sat. II, 5, ubi Tireſiam et Ulyſſem inducit colloquentes: it. in Arte poetica ſ. epiſtola ad Piſones paſſim. Addi etiam poſſunt, quae ſupra P. I in cap. de *brevitate* p. 483 ff. dicta ſunt. Sed unde diſcimus notas ellipſes? nonne e lectione priſcorum? Ergo hac omnia nituntur.

XX) Vocabulis relativis *hic — ille* et *alter — alter* recte utendum eſt h. e. ita, ut lector ſtatim videat, quo ſingula pertineant, nec demum e contextu hoc ſuſpicari cogatur.

1) *Hic* et *ille* proprie ita uſurpari debent, ut *hic* ad propius vocabulum, *ille* ad remotius, referatur, veluti noſtrum *dieſer* et *jener*. Fit hoc dupliciter: a) *primum*, ubi tantum de uno homine vel de una re ſermo fuit. Hic, ſi iſte homo vel iſta res paulo longius praeceſſit, uſurpari debet *ille:* ſin propius, *hic:* v. c. *Si virtus tibi placet, cur hanc* (vel etiam *eam*, non *illam*) *non colis?* Sic *De virtute multa diximus. Haec tamen non omnibus placent: Haec* ſcil. *multa*, non *illa*. Sic *Notum eſt miſere Pompejum periiſſe. Fugerat hic in Aegyptum* etc. Recte: *hic*. At *Si virtus, donum illud dei egregium, tibi tantopere placet, quomodo, quaeſo, fit, ut tamen illam non colas*. Rectius *illam*, quam *hanc*. Sic *Pompejum, qui antea invictus fuerat et nomen felicis conſecutus erat, tandem miſere periiſſe notum eſt. Fugerat ille in Aegyptum* etc. Rectius hic eſt *ille*, quam *hic*. Non tamen negandum, hic peccari interdum a priſcis, et *ille* pro *hic* poni. b) deinde in primis hoc obſervandum eſt, ubi de duobus hominibus vel rebus ſermo eſt. Tum ſemper *hic* ad propiorem, *ille* ad remotiorem, referri debet. V. c. *Cum Caeſar et Pompejus diu inter ſe contenderent, ille, quia neminem ſuperiorem, hic, quia neminem parem ferre poterat* etc., ubi *ille* ad *Caeſarem*, *hic* ad *Pompejum*, pertinet; perperam dixiſſes: *hic, quia neminem ſuperiorem* etc., quia tum lector ad Pompejum retuliſſet ea, quae ad Caeſarem pertinebant. Sic *Cicero ad Atticum ſaepiſſime ſcripſit. Nec hic intermiſit* etc. *hic* i. e. *Atticus*, ſi dicas *ille*, intelligatur Cicero. — Res eſt nota, nec exemplis priſcorum eget; unum tamen adferam, ubi de duabus rebus ſermo eſt, et *illud* uſurpatur; non ſequente tamen *hoc*, quia altera res omittitur. Cic. ad Div. XVI ep. 1 prope fin. ad Tironem: *Nos ita te deſideramus* (i. e. *te nobiscum habere cupimus wir ſehnen uns nach dir*), *ut amemus. Amor*,

ut

ut valentem (Tiro aegrotabat) *videamus, hortatur: deſiderium (Sehnſucht), ut quam primum. Illud igitur potius. Cura ergo potiſſimum, ut valeas* etc.: *τὸ illud* ad prius refertur, h. e. ad verba: *amor hortatur, ut te valentem videamus:* dicit ergo Cicero, ſe *illud* praeferre, et ſtatim ſe explicat verbis: *Cura ergo potiſſimum, ut valeas.* — Hanc igitur diligentiam ubique ſervare debemus, licet priſci interdum hic peccent. Nam peccaſſe eos interdum, et *τὸ ille* retuliſſe ad *propius, hic* ad *remotius*, negari nequit: v. c. Cic. Roſc. Com. 2 *Quid eſt, quod negligenter ſcribamus adverſaria? quid eſt, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de cauſa? quia haec* (adverſaria) *ſunt menſtrua, illae* (tabulae) *ſunt aeternae; haec delentur ſtatim, illae ſervantur ſancte: haec parvi temporis memoriam, illae perpetuae exiſtimationis fidem* etc., ubi debebat pro *haec* dicere *illa*, et *hae* pro *illae*. Liv. XXIIII, 29 *Et mittentibus et miſſis ea laeta expeditio fuit: nam et illis* (miſſis), *quod jam diu cupiebant, novandi res occaſio data eſt, et hi* (mittentes) *ſentinam quandam urbis rati exhauſtam laetabantur* pro *et his — et illi.* Liv. XXX, 30 *Melior tutiorque eſt certa pax, quam ſperata victoria. Haec in tua, illa in deorum manu eſt*, ubi *haec* ad *pacem, illa* ad *victoriam*, refertur: debebat ordo inverti et eſſe *illa — haec.* Plura hujus priſcorum negligentiae exempla vid. in Lexico.

2) *Alter* et *alter* ita uſurpari debent, ut prius ad remotius, poſterius ad propius, referatur: v. c. *Et doctrina et virtus praeclara eſt. Alteram cupimus, alteram vulgo negligimus;* ubi prius *alteram* ad *doctrinam*, poſterius ad *virtutem*, refertur. Hic ordo eſt naturae rerum conſentaneus et priſcorum uſu confirmatus. — At vero et hic peccant nonnunquam priſci, et ordinem invertunt: v. c. Cic. Nat. Deor. II, 47 med. *Dedit autem eadem natura beluis et ſenſum et adpetitum, ut altero* (i. e. *adpetitu*) *conatum haberent ad naturales paſtus capeſſendos, altero* (i. e. *ſenſu*) *ſecernerent peſtifera a ſalutaribus.* Offic. I, 12 med. *Ut enim cum cive aliter contendimus, ſi eſt inimicus, aliter, ſi competitor: cum altero* (i. e. competitore) *certamen honoris et dignitatis eſt, cum altero* (i. e. inimico) *capitis et famae* etc. cf. Cic. Offic. II, 15 in. Quint. 1 in., ac ſaepius. Sed tamen haec omnia ſunt peccata negligentiae. — Pro poſteriori *alter* occurrit etiam *hic, iſte, ille*, at raro, ut puto: v. c. Cic. Roſc. Am. 6 extr. *Nam duo iſti ſunt Roſcii, quorum alteri Capitoni cognomen eſt, iſte* (alter) *qui adeſt, Magnus vocatur:* et ſtatim: *alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur, hic autem* (alter) *nuper ſe* etc. Flor. IIII, 7 *quamvis duces*

non

non essent praesentes, alterum corporis aegritudo, illum metus et ignavia, subduxisset etc. Nec haec facile imitemur.

XXI) Duo, multo minus plures, genitivi non facile, si quidem ullo modo fieri potest, conjungendi sunt, quia contextum interdum reddunt difficiliorem et obscuriorem. Et tamen non raro ita prisci, v. c. Cic. ad Div. II ep. 13 §. 5 *Genus institutorum et rationum mearum dissimilitudinem nonnullam habet cum illius* (Appii) *administratione provinciae*: ubi notes *Appii administratio provinciae*. Ibid. VIIII ep. 8 §. 6 *sed superiorum temporum fortuna reipublicae causam justineat*, ubi *fortuna superiorum temporum reipublicae* jungendum; *causam justineat* i. e. *nos excuset, mag die Schuld auf sich nehmen*. Ibid. X ep. 3 §. 7 *maxima orbitate reipublicae virorum talium* h. e. *cum respublica talibus viris valde sit orbata*. Cic. Offic. I, 13 *L. Sullae et C. Caesaris translatio pecuniarum* etc. pro *a L. Sulla et C. Caesare facta translatio* etc. Occurrunt adeo tres genitivi, v. c. Caes. B. G. II, 17 in. *eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta* i. e. *postquam consuetudinem itineris nostri exercitus per eos dies perspexerant* s. *postquam viderant, quomodo per eos dies exercitus noster proficisci soleret* etc. Et ibid. III, 8 in. *Hujus civitatis* (Venetorum) *est longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum*. — Sed ne nimis severi videamur, ignosci potest alicui, si duos genitivos, v. c. alterum subjecti, alterum objecti, jungit; modo ordine collocet perspicuo: Id quod fit, si vocabulum, unde uterque genitivus pendet, in medio collocatur, ac genitivus subjecti ei praeponitur, et genitivus objecti subjicitur, v. c. *Hominum cupiditas virtutis*, ut supra *Sullae et Caesaris translatio pecuniae, Appii administratio provinciae* etc. Potest et genitivus objecti praeponi, si perspicuitas patitur v. c. *in artibus, quarum judicium est oculorum* i. e. *de quibus oculi judicant* vel *judicare debent*, Cic. Nat. D. II, 57 extr. At, si ordo simul perturbatur, crescit obscuritas: sic ap. Liv. XXVIII, 30 *Iam in ipsa pugna haec* (quinqueremis), *cum infesto rostro peteret hostium navem, obliqua ipsa ictum alterius rostri accipiebat;* ubi *alterius rostri* non conjungenda, tanquam *alterius* sit neutrius generis; debebat esse *rostri alterius* scil. *navis*. Ibid. prope fin. *Cum inter triremes fortuna regente anceps proelium miscretur, quinqueremis romana, seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, cum facilius regeretur, duas triremes suppressit, unius praelata impetu lateris alterius remos deterfit*. Verba inde ab *unius praelata* etc. sunt valde obscura; ordo est: *deterfit*

(i. e.

(i. e. confregit) *remos lateris alterius unius* (ſcil. triremis Punicae) *praelata* (i. e. *praetervecta*) *impetu* i. e. *cum impetu: zerbrach durchs heftige Vorbeyfahren die Ruder der einen Seite von einer feindlichen Galeere* etc. Obſcuritatem loci augent rariora vocabula, *detergere* pro *confringere*, in militia navali ſolenne, *praeferri* pro *praetervehi*, *impetu* pro *cum impetu, vehementer*. Conf. de pluribus genitivis Gronov. ad Liv. XXXIIII, 26, Sanctius in Min. et ad eum Perizonius p. 177 et Grammatica mea P. II c. 1 §. 1 n. VIIII.

XXII) *Cavendus eſt quoque concurſus plurium infinitivorum*, quia inde obſcuritas oriri poteſt: v. c. *Potes enim tibi perſuadere, hominem nihil magis oportere amare, quam virtutem.* Hoc tamen tolerabile; item hoc: *Audio, te tibi non perſuadere poſſe, nihil hominem magis oportere amare, quam virtutem.* In utroque poteſt dici *homo amet* pro *hominem amare:* ſic concurſus infinitivorum evitatur. — At fere intolerabile eſt ita dicere: *Philoſophus, quem dicunt dixiſſe licere omnia turpia agere* etc. vel *quem omnia turpia agere licere dixiſſe dicunt* etc. Aeque obſcure ac ſimul injucunde dictum eſt: *Audio te ſaepe dicere, omnes putare bonum eſſe multa diſcere* vel *te ſaepe dicere, omnes omnia diſcere bonum eſſe putare.* Sic obſcurum atque ſimul inſuave eſt hoc: *ſolent priſci docere, quemque credere oportere, dulce et decorum eſſe pro patria mori,* vel adeo: *ſolent priſci docere, quemque dulce et decorum eſſe pro patria mori credere oportere.* Quis haec ſtatim intelligat? Poſſunt duo poſteriora facile ita mutari: a) *Audio te ſaepe dicere, neminem eſſe, qui non bonum putet multa diſcere:* b) *ſolent priſci docere, quisque credat oportere, dulce et* etc. vel ita: *docere ſolent priſci, cuique hanc ſequendam ſententiam, ut ſtatuat, dulce et decorum eſſe* etc. vel *nihil tam dulce et tam decorum eſſe, quam* etc.

XXIII) *Superlativus vernaculus* v. c. *der gröſte* (i. e. qui magnitudine antecellit) etc. rectius ſaepe ac magis perſpicue per *comparativum* exprimitur: ſi tamen ſuperlativum latinum ſumas, addi debet *omnium.* Cauſa eſt, quia ſuperlativus etiam tantummodo per *valde* explicari ſolet, v. c. *doctiſſimus* i. e. *valde doctus:* ſi v. c. vernaculum *die Tugend iſt die vortrefflichſte Sache* (ſcil. *unter allen*) vertere vis, ne dicas: *virtus eſt res praeſtantiſſima,* hoc enim foret *eine ſehr vortreffliche Sache,* ſed *eſt omnium rerum praeſtantiſſima* vel *nihil eſt virtute praeſtantius:* ſic *pater tuus eſt omnium doctiſſimus* et *nemo patre tuo eſt doctior.* Poteſt etiam hoc fieri per particulas comparativas, v. c. *Nihil eſt tam praeſtans, quam virtus:* itemque aliis modis comparandi, v. c. *Virtus omnes res vincit*

vincit praestantia etc. Nulla enim magnitudo, multitudo, praestantia tam perspicue adparet, quam per comparationem. Dictum de hac re est supra P. I in cap. de *copia verborum* p. 429 ff. et 435 f., quo lectores rejicimus.

XXIIII) *Brevitas dicendi* non raro *commendanda est*, quia haec saepe aeque ac copia dicendi perspicuitati prodest. Duplex est ista brevitas; altera pertinet ad enuntiationes, cum v. c. una enuntiatio, salvo sensu, praecipue in narrando omittitur etc., de qua supra p. 506 ff. in cap. de *brevitate*: altera ad verba spectat, estque hujus loci: cernitur que in eo, si enuntiatio paucioribus verbis exprimitur, quam exprimi vulgo solet. Hoc in primis prodest in longis verborum complexionibus. Quomodo hoc efficitur? multis rebus, v. c.

1) quando ope unius verbi duas enuntiationes in unam redigimus, v. c. Cic. Agr. II, 1 in. *Est hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii, qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant* etc. Postrema verba *qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant* dicta sunt pro *qua primum vobis gratias agant pro beneficio vestro* (consulatu), *ac deinde laudent suos majores*. Cicero, ut totum exordium istius orationis declarat, vult nobiles carpere, ut se extollat, qui, cum sit novus homo careatque majoribus, tamen consul factus sit anno suo. At non audet aperte carpere, timens nobiles: hinc tecte hoc facit ac paucis verbis: *qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant.*

2) per participia, v. c. verba: *Postquam literas tuas, quas heri, cum domum rediissem, acceperam, quia magnum ex iis solatium percepturum me esse sperabam, cupide perlegeram, venit ad me* etc. possunt, si placet, ita fieri breviora: *Literis tuis, quas heri, domum reversus, acceperam, propterea, quod ex iis me magnum percepturum esse solatium sperabam, cupidissime perlectis* etc. vel *postquam literas heri, cum domum rediissem, acceptas, propterea — cupidissime perlegeram* etc. — Sic Caes. B. G. II, 25 in illa longissima verborum complexione, supra sub n. XVIII adlata, multas enuntiationes ope participiorum breviores reddit: alioquin illa multo longior facta esset; v. c. *Caesar profectus* pro *cum profectus esset: signis collatis* pro *postquam signa collata erant: omnibus centurioribus occisis* pro *posteaquam omnes centuriones occisi erant* etc. Intolerabilis Caesar factus esset, si toties *postquam, ubi, cum* etc. dicere voluisset.

3) per

3) per *propter* ſ. *ob* pro enuntiatione per *quia*, ut duplex enuntiatio cauſalis eaque aperta vitetur: v. c. pro *Cum ego propterea, quod hodie mihi, quia pater mortuus eſt, domum proficiſcendum eſt, tecum, ut conſtitutum erat, non cras colloqui poſſim* etc. dici brevius poteſt: *Cum ego propterea, quod mihi ob patris obitum* etc. atque ita expeditius. Sic Caeſ. B. G. IIII, 24 §. 2 *Erat ob has cauſas ſumma difficultas, quod naves ob magnitudinem, niſi in alto, conſtitui non poterant* etc., ubi *ob magnitudinem* pro *quia magnae erant.*

4) per *poſt*, cui *ex*, *ab*, interdum ſubſtituitur, v. c. pro *Cum audierim, te hereditatem, quae, poſteaquam avunculus tuus mortuus eſt, ad te, quia te heredem ex aſſe voluit eſſe, rediit, nolle accipere* etc., quae per ſe egregia foret periodus, poſſis, ſi lubet, brevius dicere: *Cum audierim, te hereditatem, quae poſt avunculi mortem* (ſ. *avunculo mortuo*) *ad te, quia is te* etc. Sic Caeſar in illa longa complexione verborum ſaepius memorata B. G. II, 25 incipit: *Caeſar ab decimae legionis cohortatione profectus ad* etc., ubi in verbis: *ab decimae legionis cohortatione* breviter loquitur pro *poſtquam decimam legionem cohortatus erat.*

De tota hac re tum paſſim tum in capite de *brevitate* p. 497 ff. fuſius et accuratius diximus. — Ceterum, ut in omnibus iſtiusmodi rebus, ita in hac brevitate quoque habenda ratio eorum, cum quibus nobis res eſt. Lector multo facilius rem, licet fuſe dictam, intelligit, quia hanc ob oculos habet et lecta relegere poteſt, quam auditor, qui celeriter dicta celeriter arripere et cum dicente longius progredi cogitur, nec poteſt cogitandae uni rei diu inhaerere. Plus igitur libertatis ſcriptori conceditur quam oratori; ſed, quantum hic in ſtudio brevitatis negligendo ſumere ſibi debeat, hoc ipſius mens judicet neceſſe eſt. Debet ſemper et orator et ſcriptor lectores atque auditores ſibi ob oculos quaſi ponere ac cogitare, ſe non ſibi, ſed illis, ſcribere et dicere. Haec cogitatio eum optime docebit modum, ut aliarum rerum, ita copiae et brevitatis ſervare.

SECT. XXIIII

3) *De ordine verborum, ut fonte perſpicuitatis.*

Tertius fons propior perſpicuitatis in uſu vocabulorum eſt *ordo verborum ac collocatio apta.* In qua ſi peccas, ſaepe in verbis maxime manifeſtis obſcurus eris: ſaepe

saepe etiam ambiguitas vocabulorum recta eorum collocatione evitatur. Stulti sunt, qui verborum latinorum ordinem pro libidine variari posse opinantur, v. c. *mors ista inflixit mihi grave vulnus*, vel *mors inflixit ista* etc. vel *mihi ista grave mors inflixit vulnus* etc. Alii regulas dederunt, partim falsas, partim indefinitas; v. c. *omnis*, *nemo*, it. *superlativum* postponendum esse. Verus vocabulorum ordo pendet vel ab natura idearum, quae illis continentur, vel a contextu.

1) Ordo vocabulorum pendet primum *ab idearum natura* h. e. qui ordo idearum in mente fuit, idem ordo debet verborum esse in charta, atque ita, quae in mente cohaerebant, etiam in charta vel in dicendo cohaerere aeque debent. V. c. *causa*, *conditio*, *modus rei*, *tempus* etc. prius fit ac prius cogitatur, quam id, quod propter *causam*, sub *conditione* etc. fit: hinc *notiones* et *enuntiationes causales*, *conditionales* etc. praeponuntur. V. c. *rem*, *quia non vidi*, *credere non possum*. De hoc tota re supra in capite de *ordine verborum* late dixi, P. I, c. 3 S. 2 p. 218 ff., quae consuli possunt. — Tantum exempla pauca ordinis justi adferam. Cic. Verr. V, 34 in. *Ecce autem repente, ebrio Cleomene, esurientibus ceteris, nuntiatur piratarum naves esse in portu* etc. Ibid. c. 44 *Ne multa, ipsum dicere adolescentem audistis, se ob hunc virgarum metum pecuniam Timarchidi numerasse:* — Ibid. c. 52 *Tu in provincia tam splendida, apud socios fidelissimos, cives romanos honestissimos, in metu periculoque provinciae, dies continuos complures in litore conviviisque jacuisti:* ubi singula vocabula suum locum occupant; cogites primum *in provincia*, deinde *apud socios;* quando? *in metu* etc. quamdiu? *dies continuos eosque complures* etc. — Ibid. c. 62 extr. *Hac se commemoratione civitatis* (clamaverat scilicet: civis romanus sum) *omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore dejecturum arbitrabatur:* et c. 63 in. *Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis romanus in provincia populi romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi romani fasces et secures haberet, deligatus in foro virgis caederetur?* Hic ne unum quidem vocabulum suo ordine privari potest. — Add. locus ille clarissimus Suet. in Domit. 19 *Nonnunquam in pueri procul stantis, praebentisque pro scopo dispansam dextrae manus palmam, sagittas tanta arte direxit, ut omnes per intervalla digitorum innocue evaderent:* mutes vel unum vocabu-

lum, et perspicuitas valde laedetur. — Peccarunt tamen hic interdum prisci, maxime poetae; et ordine verborum turbando obscuriores facti sunt, v. c. Horat. Sat. I, 5, 72 *sedulus hospes Paene macros arsit, dum turdos versat ad ignem:* ubi *macros* a *turdos* et *arsit* ab *hospes* male sejunctum est. Rectius foret: *sedulus hospes Paene arsit, macros dum turdos* etc., ut Lambin. ex uno Cod. legit. — Ovid. Met. I, 222 *Mox, ait, experiar, deus hic, discrimine aperto, an sit mortalis*, ubi ordo est: *Ait: mox discrimine aperto experiar, (utrum) hic sit deus an mortalis* i. e. *homo:* at quam disjectus! Et tiro, nisi signis distinctionis adjuvetur, valde hic torqueatur, praesertim cum *utrum* omissum sit. — Peccavit et Livius XXVIII, 30 extr. *Cum inter triremes fortuna regente anceps proelium miscereturr, quinqueremis romana, seu pondere tenacior seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, cum facilius regeretur, duas triremes suppressit, unius praelata impetu lateris alterius remos deterst.* Verba postrema *unius praelata* etc. valde obscura sunt ob turbatum ordinem, ac simul ob difficilia verba *praelata* i. e. *praetervecta, deterst* i. e. *fregit*, et ob ellipsin vocabuli *navis* ad *unius*. Verborum ordo hic est: (*quinqueremis* romana) *deterst remos alterius lateris unius* sc. navis *praelata* (cum) *impetu*. Livius saltem debuisset ita dicere: *lateris alterius unius remos, praelata impetu, deterst:* vel pro *unius* ponere *ex una* vel addere *navis*. — Add. Terent. Andr. II, 3, 2, ubi non modo verba sed adeo totae enuntiationes alieno ordine positae sunt: *Si id succenseat nunc, quia non dat tibi uxorem Chremes, ipsus sibi esse injurius videatur: neque id injuria: priusquam tuum ut sese habeat animum ad nuptias perspexerit.* Verborum ordo hic est: *Si* (ob) *id, quia Chremes non dat tibi uxorem, tibi nunc succenseat* (pater), *priusquam tuum animum, ut sese habeat ad nuptias, perspexerit, ipsus sibi esse injurius videatur; neque id injuria.* Dura est trajectio verborum *tuum ut sese habeat animum ad nuptias:* durior est trajectio hujus totius enuntiationis *priusquam* usque ad *perspexerit.* Sed fortasse haec posterior librario tribuenda, quia verba totum versum complent, et hic versus inter *Chremes* et inter *ipsus* forsitan inserendus. Nam in priscis versus saepius a librariis male transpositos esse constat.

2) Pendet vero etiam ordo verborum saepe *a contextu*, idque tripliciter:

a) Quando contextus gravis est h. e. unam vel aliquot graves ideas continet. Tum vocabula has exprimentia, licet

cet per ſe ſuaque, ut ante dictum, natura poſteriorem locum mereantur, tamen propter iſtam gravitatem, quam ſolus contextus definire debet ac poteſt, priorem occupant locum. Hoc non officit perſpicuitati, ſed potius eam adjuvat; ita enim lector vel auditor ſtatim ſcit, ad quas ideas praecipue adtendere debeat, atque ita mentem ſcribentis dicentisque facilius perſpicit. V. c. *grave mihi vulnus inflixit mors fratris mei*, non *vulnus mihi grave* cet. nec *mors fratris mihi grave* etc. Sic Cicero ubique; v. c. Verr. V, 29 *Civem romanum ſecuri eſſe percuſſum, Annius eques romanus dicit.* Qui ſcit, quam grandis idea lateat in vocabulis *civis romanus*, is non mirabitur, haec praepoſita eſſe: male Cicero locutus eſſet: *Annius eques romanus dicit, civem* etc. Sic civis ille romanus, quem Verres in crucem tolli juſſit, non clamat: *ſum civis romanus*, ſed *civis romanus ſum* ibid. c. 62 — Sic c. 42 in. *vinctos adſpiciunt catenis liberos ſuos:* ut indignitas rei magis perſpiciatur; non *adſpiciunt liberos* etc. — Sic c. 62 *Caedebatur virgis in medio foro Meſſanae civis romanus, judices.* a) *caedebatur virgis* b) ubi? *in medio foro Meſſanae* c) quis? *civis romanus.* Ordo hic verborum ſervit gravitati rei, h. e. efficit, ut magis ſentiatur ac fere oculis cernatur. — In primis notabilis eſt locus ibid. c. 33 *Stetit ſoleatus praetor populi romani cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus in litore.* Egregia deſcriptio hominis valde diſſoluti, libidinoſi etc. a) *ſtetit* b) *ſoleatus* c) quis? *praetor populi romani* etc. Perperam h. e. cum minori gravitate dixiſſet: *praetor populi romani ſtetit in litore ſoleatus* etc. Tunc enim narratio ſimplex et languida fuiſſet. — Agr. II, 17 *Grave eſt enim nomen imperii* etc., non *imperii enim nomen eſt grave:* in *grave* enim eſt primaria idea, ad quam adtendi debet. — Sic et in epiſtolis, v. c. Cic. ad Div. II ep. 4 §. 6 *Eſt enim tibi gravis adverſaria conſtituta et parata, incredibilis quaedam exſpectatio:* egregie dictum et egregio ordine dictum pro *exſpectatio eſt adverſaria* (i. e. inimica, hoſtis) *gravis* etc., ſed *gravis* recte primum locum obtinet. Sic ibid. ep. 2 *Gravi teſte privatus ſum amoris — mei, patre tuo.* Sic ibid. ep. 11 §. 2 *Mirum me deſiderium tenet urbis* etc., non *deſiderium mirum.* Sic ibid. ep. 16 in. *Magno dolore me adfeciſſent tuae literae* etc., non *dolore magno*, nec *literae tuae* etc. Sic V, ep. 21 in. *Gratae mihi tuae literae fuerunt* etc. VI ep. 4 in. *Novi, quod ad te ſcriberem, nihil erat* etc. Sic rectius quam *Nihil erat novi, quod* etc.

In *novi* eſt idea primaria. Ibid. ep. 9 in. *Cum A. Caecina tanta mihi familiaritas conſuetudoque ſemper fuit* etc., ubi recte incipit *Cum A. Caecina*, hunc enim commendat, ad hunc in primis adtendi vult, hunc igitur primum nominat. Sic ibid. X ep. 28 §. 7 *magnum damnum factum eſt in Servio:* ſentiebat hujus damni *magnitudinem*, hinc eam ſtatim in principio enuntiationis ponit, non ipſum *damnum* aut *in Servio* etc. Et ſic millies Cicero, itemque omnes boni ſcriptores. Interdum et gravius vocabulum poſtponitur, ſi oratio per gradus quaſi incedit, v. c. *abiit, exceſſit, evaſit, erupit* Cic. Catil. II in. — Not. tota res pertinet in primis ad gravitatem dicendi; conf. igitur cap. 2 de Gravitate.

b) Quando contextus ambiguus fit vel fieri poſſe videtur: nam *videri* jam ſufficit perſpicue dicere ac ſcribere cupienti. Tum vocabula ſaepe alium locum obtinent, quam obtinere debere videbantur: v. c. *Hominem egregium ob factum laudant* etc. eſt ambigue dictum: poteſt enim *egregium* tum ad *hominem* tum ad *factum* referri: contextus quidem tandem decernit, at hujus decretum ubique exſpectari a lectore et auditore non finit vera perſpicuitas. Quare, ſi *egregium* ad *hominem* referri debet, ſcripſerim *egregium hominem:* ſin ad *factum*, ſcripſerim *ob egregium factum:* ſic non opus eſt contextus opem implorare. — Sic *Omnes ſapientes laudant* hoc ſenſu, ut ſit *quisque ſapientes laudat*, ambigue dictum eſt; dixerim ſaltem: *omnes laudant ſapientes* vel potius *ab omnibus laudantur ſapientes* vel *quisque* ſ. *nemo non laudat ſapientes.* — Sic *Homines magni ingenii judiciique praeclari putantur* eſt ambigue dictum; poteſt enim *praeclari* referri et ad *judicii* et ad *putantur*, ut hic ſit nominativus: ſi ad prius, dixerim *praeclarique judicii;* ſin ad poſterius, dixerim *putantur praeclari* vel *homines ingenii judiciique magni putantur praeclari* ſ. *praeclari putantur.* Sic nulla ambiguitas: poſſit quidem et aliis verbis exprimi, ſed hac de re hic non ſermo eſt; loquimur enim hic tantum de ordine. — Sic Livius in loco ſupra n. 1 et S. 23 n. 21 laudato XXVIII, 30 *quinqueremis romana — unius praelata impetu lateris alterius remos deterſit* paulo expeditius dixiſſet, ſi ſcripſiſſet: *remos alterius lateris unius praelata* etc. Et in eod. cap. paulo ante in verbis: *Iam in ipſa pugna haec, cum infeſto roſtro peteret hoſtium navem, obliqua ipſa ictum alterius roſtri accipiebat*, ambigue poſuit vocabulum *alterius;* debebat dicere *roſtri alterius* ſc. navis. Haec de vocabulis ſingulis.

— Ita

— Ita et in enuntiationibus, v. c. nolim dicere: *rem, quam laudas, quia non vidi, credere non poſſum*, quia incertum eſt, utrum verba *quia non vidi* ſint cauſa verborum *quam laudas*, an verborum *credere non poſſum*. Dixerim potius: *Rem, quam laudas, credere, quia non vidi, non poſſum*, vel *rem, quam laudas, ego, quia non vidi, credere* etc. Nunc manifeſto illa verba *quia non vidi* pertinent ad *credere non poſſum*. — Sic *is, qui virtutem amat, quia officium ſequitur, laudandus* ambigue dictum eſt; dicas potius: *qui virtutem amat, is, quia officium ſequitur, laudandus eſt*. Sic nulla ambiguitas. Ita Cicero et omnes priſci. Conf. ſupra P. I cap. 5 de *periodis*. — Peccarunt tamen hic quoque interdum priſci: v. c. Cic. Verr. IIII, 25 *Is* (Piſonis pater) *cum eſſet in Hiſpania praetor, qua in provincia occiſus eſt, neſcio quo pacto, dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus eſt et comminutus*. Verba *neſcio quo pacto* ſunt paululum ambigue poſita et tum ad *occiſus eſt* tum ad *annulus aureus fractus eſt* referri poſſint. Si ad prius pertinent, debebat dici *in qua provincia, neſcio quo pacto, occiſus eſt:* ſin ad poſterius, dici debebat: *annulus aureus, quem habebat, dum armis exercetur, neſcio quo pacto, fractus eſt* etc. — Sed hinc adparet, quanta diligentia in jungendis, ut ſingulis vocabulis, ita in primis enuntiationibus adhibenda ſit, et quantopere, quod ad has adtinet, ſtructura periodorum proſit perſpicuitati.

c) Propter clauſulam periodorum: ut quas terminandas eſſe paulo longiori vocabulo, in primis eo, cujus ſyllaba paenultima ſit longa, ſupra in capite de *numero* P. I c. 6 p. 280 et 284 dictum eſt: ubi monuimus hoc non tam fieri ob ſuavitatem, ut Cicero numeri oratorii ſuavitate et efficacia abreptus ſibi perſuaſit, quam ob perſpicuitatem: quia, quo propius vox dicentis ad finem ſententiae abſolutae pervenit, eo remiſſior fit, ita ut plerumque ſyllaba ultima ultimi vocabuli plane non audiatur: hinc opus eſt, ſyllabam praecedentem non modo longam eſſe, ſed vocabulum ipſum pluribus ſyllabis conſtare, ut, pereunte una ſyllaba, tamen ipſum vocabulum animadvertatur. Hinc clauditur ſententia creberrime ditrochaeo, v. c. *comprobavit* etc. Sed et omnino longiora vocabula, licet careant paenultima longa, ſi quidem alia habere non poſſumus, in ſententiae abſolutae exitu, imo etiam in fine enuntiationis cujusque paulo longioris, praeferenda ſunt vocabulis brevioribus h. e. duas ſyllabas vel adeo unam complectentibus. Hinc ſuperlativi ſaepe claudunt enuntiationes et ſententias abſolutas. Cf.

de tota re dictum caput de *numero* p. 283 ff. — Sed hinc patet, hanc clauſulam ſaepe efficere, ut vocabulum alium locum occupet, quam natura ſua occupare debeat. V. c. *nihil vidi praeclarius: non iſta frui potuit poteſtate* etc. Quamquam hic ſaepe incertum eſt, an non haec trajectio vocabulorum fiat potius ob eorum gravitatem: interdum enim gravius praeponitur, ut ante dictum, interdum, ad exſpectationem lectoris et auditoris excitandam, poſtponitur. — Laudabo aliquot exempla Ciceronis, ut lector ipſe videat, utrum vocabulum ob longitudinem an ob gravitatem ultimum locum tenere videatur. Manil. 2 *eundem hunc unum ab hoſtibus metui, praeterea neminem:* in *neminem* videtur eſſe gravitas: cap. 6 *non ſolum adventus mali ſed etiam metus ipſe adfert calamitatem:* cap. 9 *Haec dum noſtri colligunt omnia diligentius, rex ipſe e manibus effugit:* in *diligentius* et *effugit* ineſt, puto, gravitas. Nat. Deor. I, 20 in. *Hunc deum rite beatum dixerimus, veſtrum vero laborioſiſſimum:* et ibid. in fine: *quamquam non tam dicendi ratio mihi habenda fuit quam audiendi.* In vocabulo *audiendi*, ut in *laborioſiſſimum*, eſt gravitas; ineſt enim oppoſitio. Ad Div. V ep. 12 §. 18 *expletur animus jucundiſſima lectionis voluptate.* In *voluptate* eſt gravitas: et haec videtur eſſe cauſa, cur illa vocabula ultimum locum occupent, non longitudo. Saepe enim clauſit Cicero ſententiam brevi vocabulo, cum haberet tamen longius, quia illud gravius, v. c. in epiſt. laudata §. 2 *nomen ut noſtrum ſcriptis illuſtretur et celebretur tuis;* et ſtatim: *tamen ignoſcas velim huic feſtinationi meae;* cur non ordine paululum mutato dixit: *ſcriptis tuis illuſtretur et celebretur*, et *tamen huic feſtinationi meae velim ignoſcas?* Hinc in illo Manutii, quod Heinecc. fund. ſtyli p. 61 adfert: *ſolent eſſe, quae minus exſpectantur, laetiora*, puto hoc *laetiora* non niſi ob gravitatem ultimo loco poſitum eſſe. — Ceterum, ſi in clauſula illa non niſi longitudo vocabuli ſpectatur, hoc magis ad dicendum quam ad ſcribendum pertinet, ut in capite de *numero* p. 284 ſ. monuimus, ac per ſe patet.

SECT. XXV

4) *De connexione vocabulorum.*

Quartus fons propior perſpicuitatis dicendi in verborum uſu eſt *connexio eorum apta*, quo pertinet quoque *connexio enuntiationum*, quippe quae verbis conſtant.

Hac

Hac igitur connexione saepe ambiguitati occurritur, saepe facilior intelligentia lectoris et auditoris adjuvatur. Fit illa variis modis; v. c. duo vocabula secum arctius conjuncta per duplex *et*, vel, si sunt oppositae significationis, per duplex *aut*, ac, si amborum ideae tolluntur, per duplex *neque* junguntur: eodem modo duae enuntiationes per duplex *et*, *aut*, *neque* junguntur, ubi vernacula uno contenta foret. Pertinet huc in primis pronomen *qui quae quod:* cujus ope ab initio enuntiationis vel sententiae absolutae positi valde adjuvatur connexio. V. c. *Frater tuus nuper ad me venit. Qui cum multa de te dixisset* etc. Sic melius h. e. magis perspicue istae duae enuntiationes junguntur, quam si dicas: *Cum multa* etc. Nam sic statim videmus, de quonam sequens enuntiatio locutura sit. Sed de hac re satis multa diximus in peculiari capite de *modis connectendi vocabula, enuntiationes* etc. P. I c. 7 S. 1 — 3; quae repetere hic taedio foret. Interdum tamen connexio debet interrumpi, h. e. nulla connexio idearum esse debet. Fit hoc in declaranda vehementi animi permotione, v. c. magna ira, dolore etc. Pertinet hoc utique quodam modo ad perspicuitatem: nam tali modo perspicit auditor et maxime lector, animum dicentis et scribentis esse commotum, atque hinc magis intelligit rei gravitatem. Pertinet huc *aposiopesis*, h. e. quando de industria sermonem non continuamus, ut lector auditorque suspicari tantum cogatur, quid dicturi fuissemus. Quia tamen haec res ad gravitatem dicendi quoque pertinet eoque vulgo refertur, non plura de ea hic dicemus.

Haec de perspicuitate dicendi: quae claudemus hac admonitione, ut, si quid scribamus, id ante accurate consideremus, perspiciamus, atque ad singulas ideas, singula vocabula et enuntiationes, sedulo adtendamus ac videamus, an in vocabulis vel etiam in eorum et enuntiationum conjunctione aliquid duri, inusitati, ambigui, obscuri sit: ac, si quid tale reperimus, statim corrigamus:

rigamus: ut deinde, quidquid scripsimus, post intervalla temporum iterum ac saepius perlegamus, ac denuo investigemus, an aliquid obscuri ambiguive insit aut inesse possit. Nam, quod initio videbatur nobis facile et planum, id saepe post aliquod tempus videtur difficile, ambiguum et obscurum. Tandem cogitare debemus, quo magis perspicue quidque explicare possimus, eo melius nos scribere.

CAP. II
DE GRAVITATE DICENDI

SECT. I
Quid sit gravitas dicendi.

Graviter dicere, nachdrücklich reden, est ita *dicere, ut auditoris animus moveatur (gerührt und in Affect gesetzt wird),* atque ita ad laetitiam, amorem, admirationem, spem, ad tristitiam, misericordiam, odium et indignationem, contemtum rei, timorem etc. incitetur atque inflammetur. Gravitas igitur orationis quam necessaria sit, per se patet, quia, nisi orator moverit auditorem, eum ad aliquid agendum, imitandum, fugiendum non potest incitare. Quod idem de scriptore dici posse per se patet, quia is saepe movere debet lectores. Iam nulla re moventur homines, nisi primum ea sit gravis seu in utramque partem magna h. e. vel valde pulchra vel valde turpis, it. vel valde utilis vel valde noxia etc.; deinde nisi ista rei gravitas verborum ope declaretur. Nam, licet sint in plebecula, qui nihil non admirentur, etiam leviſſima quaeque, et ubique stupeant, et qui non raro vel sola voce robustiori ac vocabulo quodam sonantiori moveantur aut potius moveri videantur; et alii contra, pauciores tamen (si quidem tales vere adhuc

huc reperiuntur), qui *nihil admirari magnum esse* cum Horatio statuant: tamen neque illos neque hos hic curamus: utrisque enim eloquentia Ciceroniana non convenit. *Gravitas* igitur *dicendi* versatur non nisi in *rebus gravibus*, ut possis eam ita definire, ut sit *virtus orationis ea, quae res graves ita tractat, ut graves esse vere appareat* s. brevius, ut sit *perspicuitas rerum gravium*: ut adeo gravitas a perspicuitate tantum *objecto* differat, vel etiam hactenus, ut sit *altior gradus perspicuitatis*; vel etiam sic, ut perspicuitas ad *mentem*, gravitas ad *animum* pertineat: illa doceat, rem esse certam, haec, rem esse gravem. Hinc potuissemus fortasse gravitatem ac simul sublimitatem orationis, quae est non nisi summus gradus gravitatis, in capite de perspicuitate tradere. Sine perspicuitate enim nulla est gravitas. Possis etiam *gravitatem dicendi*, si velis, latius ita definire, ut sit *virtus eloquentiae ea, qua efficitur, ut non modo mens auditoris et lectoris cum persuasione videat, rem esse veram et certam, sed etiam animus ejus simul moveatur.*

Hinc vero 1) sequitur, omnem gravitatem dicendi inesse proprie non tam in verbis quam in ideis: nam *res* s. *ideae* sunt graves, non verba: hinc, si subtiliter quaeris, ne recte quidem satis dicitur *graviter dicere, gravitas dicendi* (it. *sublimitas orationis*), quia hoc dictum videtur, quasi verba animum moveant, cum tantum ideae moveant, et verba tantum declarent, *res* s. *ideas* esse graves. Quemadmodum enim, si quis verbis declarat, *rem esse utilem, turpem, periculosam*, non hoc dicimus *dicere utiliter, turpiter, periculose*: sic *declarare aliquid grave (wichtig, groß in seiner Art) esse*, an dici queat *graviter dicere*, quaeri adhuc possit. At, quia usus invaluit, toleremus hanc locutionem, modo gravitatem dicendi ubique de re, nunquam de verbis per se, intelligamus. — Hinc patet, verba simpliciter ac per se gravia non esse, sed tantum in contextu et in relatione ad auditores. Sic quaeritur, an singulare ge-

nus dicendi possit vocari *grave* (ut *tenue*, *mediocre*). Et hic usus vel abusus dicendi fecit, ut multi, in primis adolescentes, quia gravitatem dicendi laudari audiverint ac graviter dicendo ipsi delectentur (quod oritur maxime e lectione poetarum praematura, praesertim cum hodie de legendo cum sensu, *mit Empfindung*, *mit Gefühl*, saepe dicatur), gravia vocabula hinc inde excerpant ac deinde in res vulgares et minus graves transferant: quod forsitan haud facerent, si *gravis dicendi generis*, *gravitatis dicendi*, et *gravium verborum* nunquam mentio fieret, ac si statim potius diceretur, *graves res proferre*, *ostendere eorum gravitatem* etc. 2) Cum *gravitas dicendi* sit nihil aliud quam explicatio perspicua rerum gravium, patet, de rebus tenuibus h. e. non gravibus dicere graviter *(mit Rührung, mit Affect)* esse frigide loqui. — Hinc peccant, qui singulis verbis cupiunt alios movere et ubique *cum sensu*, *mit Gefühl*, *Empfindung* scribere. Utuntur illi quidem verbis gravitatem quandam sonantibus: at, quia res non est gravis, sed tenuis h. e. ordinaria, non graviter, sed frigide, loquuntur h. e. rem parvam magna veste induunt et pro re magna venditant. Res enim tenuis semper manet tenuis, licet omni pompa verborum ornetur: ut homo parvus semper parvus manet, quamcunque ei vestem circumdes, nisi quod magis deridetur, ubi detegitur.

SECT. II

De fontibus gravitatis remotioribus.

Iam quaeritur, unde oriatur ista dicendi gravitas. — Non male forsitan egero, si, ut de perspicuitate feci, hic itidem fontes duplicis generis ostendero: *remotiores* et *propiores*.

Remotiores sunt:

1) *Ani-*

I) *Animus generosus et ad honestatem, pudorem, omnesque virtutes valde conformatus:* ut res valde graves ac magnas sentire possit. Nam, si ipsi eas non sentimus, quomodo aliis sentiendas curabimus? quomodo verbis apte exprimemus? a) Animus generosus seu excelsus est is, qui supra captum ac sensum hominum solitum cogitat et sentit h. e. qui ea contemnere scit, quae homines vulgo magni faciunt, v. c. divitias, favorem populi et honorem, odium aliorum, mortem etc. Talis erat Socrates: ex parte Demosthenes et Cicero; v. c. hic divitias contemnere sciebat: hinc gravissime contra Verrem dicere poterat. Ejusmodi hominibus de magnis rebus praeclare loqui non difficile est. Verba enim sunt non nisi *echo cogitationum* et *animi*. Post libertatem amissam periit Romae quoque animus generosus. Hodie, cum v. c. divitias, honorem cet. magni facere, paupertatem, odium, invidiam, et mortem magnopere timere per exempla et consuetudinem hominum aliasque res discamus, valde difficile est nostris hominibus graviter (it. sublimiter) dicere. Deest enim valde animus generosus, fons gravitatis et sublimitatis. Quare gravitatem et sublimitatem dicendi, quam ex se petere debebant, aliunde h. e. e scriptoribus magnis, quibus generis nobilitas, educatio et consuetudo, generosum animum injecit, petere, eorumque sententias graves et generosas edisscere etc. coguntur. Hinc turba imitatorum ingens etc. b) Virtutum acre et adsiduum studium pendet ab animo generoso et excelso. Sed hoc studium debet esse voluntarium, ob virtutum dulcedinem susceptum, verum et magnum. Qui virtutes vere et ardenter amat, is de earum pulchritudine et utilitate magna it. de vitiorum turpitudine melius et gravius loqui potest, quam qui virtutem et vitium e libris tantum cognovit. Hic semper frigide loquetur: talis igitur non debebat potestate uti de virtute dicendi.

II) *In-*

II) *Ingenium praeclarum*, de quo supra c. 2 sect. 3 p. 518 ff. late dixi, in primis *phantasia praeclara*, quae efficit, ut in re gravi cogitanda simul ejus causae, effectus, aliaeque ideae cum illa conjunctae facile in mentem veniant. Res enim per se non gravis est h. e. per se animum non movet, sed ob ideas plures cum illa conjunctas: v. c. *mors ob patriam* per se, h. e. si non nisi hanc mortem cogitas, non movet: at, quia simul in mentem veniunt aliae ideae, v. c. *quam ardua et supra hominum consuetudinem elata res, quam utilis sit* etc., tum demum animum movet. Sic *egestas alicujus* non per se movet, sed quia simul cogito, *eum hominem esse, eum non culpa sua egenum factum, cum meliori sorte dignum, eum fame fortasse periturum* etc. Sic *mors patris* non per se movet, sed propter conjunctionem aliarum cogitationum, v. c. *me nunc solum esse, me amicum optimum, defensorem* etc., *amisisse, incertam nunc esse meam fortunam* etc. Quae omnia in psychologia ostendi debent.

III) *Doctrina lata et solida*, quae efficit, ut non modo multa sed etiam rem quamque accurate h. e. ex omnibus partibus intelligamus, atque ita sciamus causas et effectus rei, et *quomodo, quando, quibus auxiliis, quo consilio* etc. ea acta sit. Nam, si haec nescis, phantasia tibi repetere non potest.

IIII) *Cognitio humanorum animorum*, ut sciamus, qua parte eos aggredi debeamus. Docet hoc diuturna experientia et longus usus hominum. Hic videmus, nulla re moveri homines nisi extraordinaria, et, quo magis illa vulgares res superet, eo magis homines ea moveri. At hic ratio est habenda, cum quibus nobis res sit. Plebs vulgo difficilius movetur, quia animus ejus non per literas humaniores aliasque res factus est mollior h. e. quia phantasia ejus non facile conjungit cum re audita ideas cum illa, ut ante dixi, conjungendas. Hinc accuratius cum ea agendum est, h. e. singulae

lae rei particulae explicandae sunt. Qui modo voce sonantiori plebem movere studeant, ii consilio suo nunquam recte satisfacient, movent vel potius terrent illi quidem: at hic terror est repentinus, mox evanescens sine fructu: velut tonitru, quod etsi homines valde terret, tamen, ubi praeteriit, nemo id amplius cogitat: homines redeunt ad chartas lusorias, quas, audito tonitru, abjecerant. Docti plerumque statim moventur: et quaeritur, an coram his etiam voce sonantiori itemque multis figuris rhetoricis et aliis ornamentis utendum sit, et annon harum rerum usus solius indoctae plebis causa inventus sit, cum docti, re magna perspicue, imo interdum breviter tantum explicata, jam moveri soleant. Sed de hac re acutiores viderint.

V) *Cognitio opinionum*, quae inter homines vulgo regnant. V. c. *divitias* fere omnes admirantur ac pro fonte felicitatis habent: hinc, si quem vident divitias posse contemnere, stupent. Si omnis omnino homo divitias contemneret, frustra contemtum earum ut rem magnam proponeres; foret enim tum res vulgaris et ordinaria. Hinc, qui Lacedaemone de contemtu divitiarum, ut re gravi, dixisset, frustra dixisset, nec animos Spartanorum movisset, quia ei jam adsueti erant. Sic res alibi gravis alibi non gravis esse potest: sic, quod Europaeorum animos movet, forsitan Americanorum animos non moveret. Docet hoc vis illa auri ex America olim ablati, quod Americani aequo animo perdebant, Hispani cupide sumebant, quia hi ad felicem vitam sibi credebant opus esse auro, illi sine eo felices esse poterant. Hos Americanos plerique hodie vocant *feros*, forsitan ob morum et opinionum dissimilitudinem, quia quaeque natio suos mores suasque opiniones putat esse *humaniores* quam aliarum. Sic, quia *mors* vulgo magnopere timetur, hinc ejus contemtus inter graves res refertur. Et sic in aliis. Sic, quia *libertas*, *civitas romana*, olim maximae res videbantur, earum jactura

tum

tum gravis res erat; hinc Cicero de ea graviter loqui poterat.

VI) *Linguae lata et accurata cognitio*, ut ſcias vocabula cogitationibus magnarum rerum reſpondentia et eorum conjunctionem ſtructuramque accommodatam ad rem iſtam: quamquam plerumque vocabula gravia, gravis conjunctio et ſtructura, per ſe ſequuntur, modo rem gravem graviter cogites.

VII) Sunt et alia quaedam: v. c. *auctoritas hominis*, *vox* in dicendo etc. Homo, qui in magna dignitate, fama, et auctoritate eſt, facilius movet quam alius etc. Hoc eſt illud vulgo ſic adpellatum *praejudicium auctoritatis*, quod latius ſerpit, quam putamus, eoque ſaepe infecti ſunt ii, qui liberos illo ſe plane eſſe putant. Nec quidquam difficilius eſt, quam eo plane ſe liberum reddere.

SECT. III

De fontibus gravitatis dicendi propioribus.

Huc pertinent ſequentia:

I) In primis demonſtrandum eſt perſpicue h. e. per ſigna et argumenta certa, *rem*, qua alios movere volumus, *eſſe magnam* et *gravem:* quod niſi ſit, cetera artificia rhetorica omnia ſunt fruſtra, certe in animis prudentium. Magnitudo rei adparet

1) e *fontibus* ſ. *cauſis* ejus *magnis*. Quo majores ſunt cauſae, eo major eſſe ſolet res effecta. V. c. virtus omnis eſt res magna, quia ad eam conſequendam cupiditatibus, quas homo vehementer amat, valde reſiſtendum eſt etc. *Venia inimico data* eſt res magna; quia cupiditas ſui ulciſcendi tam potens compeſci debet. Sic *doctrina*, ob intentionem mentis magnam et longinquam etc. Sic *contemtus divitiarum*, *honoris* etc., eſt res magna, quia ſapientia requiritur h. e. ſcientia pretii rerum humanarum vere aeſtimandi etc. Sic omnes

res,

res, si multum ingenii, laboris etc., postulant, inter magnas gravesque referendae.

2) ex *effectis* ejus *magnis*. Hoc argumentum in primis est certum et simul populare. Nam effectis metimur vulgo rei magnitudinem vel exilitatem: et, quo ampliora, majora, et diuturniora effecta sunt, eo major est res. V. c. qui de tota civitate vel tota terra meritus est, ejus meritum est majus quam ejus, qui de uno cive: hinc *pax* est major quam *victoria*. Hinc *Marius* caedendis *Cimbris* ac *Teutonis*, *Cicero* opprimendo *Catilina*, majores res gessere, quam *Pompejus* superando *Mithridate*. Sic, qui menti hominum bene fecit, is majus quid egit, quam qui corpori etc. Sic de omnibus rebus valde bonis judicatur, quas proprie magnas adpellamus. Eodem modo de rebus valde malis, judicari solet, quo plura et majora s. graviora et diuturniora sint earum effecta, eo graviores ipsas esse. V. c. Cic. Act. I in Verr. 4 extr. *quam* (Siciliam) *iste* (Verres) *per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit, vix autem per multos annos innocentesque praetores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur*. Quid gravius dici potuit? quis non Verris avaritiam pro magna s. gravi habeat? quis non ea moveatur?

3) ex *modo*, quo res agitur. Major, gravior, et admirabilior est res, quae, licet cum summa difficultate conjuncta esset, tamen feliciter peracta est, quam quae cum nulla vel exigua. Hinc *Hannibalis transitus Alpium* est res magna: legatur hic Livius. It. *Ciceronis oppressio Catilinariorum* etc. It. res magna, si nullo cum damno aliorum peragitur, major et gravior est, quam si cum calamitate, cum caede aliorum, fit. It. beneficium, si clam tribuitur alicui, majus censetur, quam si palam et cum magna pompa: it., si libenter tribuitur, est gravius, quam si ab invito proficiscitur etc.: it., si cum specie honoris datur, est gravius, quam si nomi-

nomine praemii vel mercedis tribuitur etc. Sic et in rebus malis: *adimere per vim* est gravius, quam clam, v. c. Cic. Verr. IIII, 26 *civi romano annulus de digito detractus est:* quod gravius dictum quam *ablatus, ademtus est:* nam *detrahere* indicat *vim:* additur *de digito:* quod gravitatem rei auget.

4) e *consilio magno*, quo res agitur. Qui rempublicam liberat ab oppressoribus non sua utilitate sed tantum publica adductus, ejus factum est majus, quam qui civitatem propterea liberavit, ut deinde ei imperaret. Omninoque, qui reipublicae singulisque hominibus officia praestat, non praemiorum spe adductus, sed solo studio recte eque re publica agendi incitatus, ejus factum est majus quam facta aliorum. Sic Anglus ille *Pitt*, Comes de Chattam, laudatur et pro magno viro habetur, quia in omnibus rebus non suam sed reipublicae utilitatem spectavit. *Caesar* magnas res gessit: quae majores essent, si eas reipublicae commodo solo incitatus gessisset.

5) ex *instrumento*, quo in re peragenda utimur, s. *rebus, quarum auxilio aliquid fit.* V. c. major est victoria ejus, qui cum exigua manu militum magnas hostium copias fudit. Talis est victoria Athenienſium Miltiade et Themistocle ducibus a Persis reportata: tales sunt multae victoriae Romanorum. Sic *magna doctrina* hominis, qui ob egestatem paucis vel nullis libris et magistris uti potuit, est major, quam *magna doctrina ejus*, qui divitiis paternis adjutus, quoscunque libros vellet, emendi et optimis doctissimisque magistris utendi facultatem habuit. Hunc enim valde doctum factum esse non tam mirabile, quam illum, qui adjumentis orbatus erat ac simul cogebatur multum temporis institutioni puerorum tribuere.

6) ex *temporis celeritate* et *opportunitate:* a) *celeritate:* res per se magna, si celeriter fit, est major, quam res per se magna, quae cum quadam tarditate peragitur.

agitur. V. c. beneficia celeriter tributa plus valent quam sero data: hinc *bis dat, qui cito dat.* Sic expeditiones magnae majores fiunt, si cum celeritate conjunctae sunt. — Itaque Cicero laudat Caesaris res gestas, magnasque esse docet, inter alias causas etiam ob *celeritatem* Marcell. 2. Ait: — *omnes — imperatorum — regum — res gestas cum tuis — nec numero proeliorum nec celeritate conficiendi posse conferri; nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus sed victoriis lustratae sunt.* — Sic Cic. de Pompejo Manil. 12 extr. *Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes premebantur, Cn. Pompejus extrema hyeme adparavit, ineunte vere suscepit, media aestate confecit.* En celeritatem! b) *opportunitate:* v. c. beneficium magnum, quod alicui tribuitur tum, cum illi maxime eo opus erat, majus fit, quam si alio tempore datur. Victoria magna, quam eo ipso tempore ab hostibus reportamus, quo ab alio eorum exercitu urbs quaedam nostrae terrae obsidetur vel oppugnatur, et quae hanc urbem illa vel obsidione vel oppugnatione liberat, major fit, quam si alio tempore accidisset. Sic Cicero, etsi in Agr. II, in. valde laetatur, quod consul factus sit homo novus, tamen hunc honorem pro majori re propterea ibi habet, quod is sibi contigerit *anno suo* et *cum primum petierit.*

7) e *loci ratione* interdum: v. c. auxilium magnum, e longinquo oblatum, est res gravior quam e propinquo: facilius est enim adesse iis et eorum meminisse, qui nobis prope sunt, quam eorum, qui procul habitant. Sic contra periculum est gravius, si in propinquo loco versatur: v. c. Catilinaria conjuratio fiebat Romae etc.: hinc ejus periculum erat gravissimum: hinc ejus oppressio eo glorioſior. It. res bellica, quae in loco non opportuno et tamen bene gesta est, pro majori habetur, quam eadem foret, si in loco opportuno gesta esset.

8) e *personarum conditione, dignitate, relatione erga nos* etc., v. c. *beneficium magnum* acceptum a *rege* majus vulgo putatur, quam ab alio acceptum. Sic donum profectum ab homine sapiente meritisve claro est pluris aestimandum, quam quod dedit alius. Sic laus *sapientis* est major quam stulti. Sic, si pauper aliquem summa egestate pressum adjuvat aliqua pecuniae summa, hoc donum est res major, quam si eadem summa ab homine ditissimo data esset. Item, quando inimici nobis opem ferunt, nos laudant, nobis gratulantur, idque vere et ex animo faciunt, major est ista res et admirabilior, quam si ab aliis profecta esset. Sic amor magnus magnorum virorum est res major quam amor magnus aliorum. Sic quoque odium patris, regis, sapientum etc. erga aliquem est res gravior quam odium aliorum. Sic peccata interdum in alio homine graviora habentur quam in alio: v. c. gravius peccat senex aut homo amplissimo munere fungens, si ebrietati etc. deditus est, quam adolescens vel homo sortis humilis. Sic gravius peccavit Verres in eo, quod praetor Siciliae luxuriae deditus erat, quod *stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo tunicaque talari muliercula nixus in litore*, Cic. Verr. V, 33, quia, si hoc habitu uti neminem Romanorum decuit, multo minus propraetorem; it. quod *cum pulla veste in officina majorem partem diei solebat sedere*, Cic. Verr. IIII, 24: *tunica* enim *pulla indutum esse* est plebis, non senatoris, multo minus propraetoris etc. Sic Catilina, reipublicae romanae periculum struens, graviorem rem suscepit, quia civis romanus erat, quam Mithridates.

9) e *comparatione* rei cum alia re magna aut pro magna saltem vulgo habita. Comparatio, ut supra c. 1 Sect. 17 p. 559 ss. dictum, rei magnitudinem vel gravitatem, atque ita omnem magnam pulchritudinem, turpitudinem, utilitatem etc. praebet demum auditori vel lectori vere conspiciendam. Nec enim de magnitudine judi-

judicare possumus nisi mensura quadam, h. e. comparatione. Per se autem intelligitur, rem, quacum aliam rem comparamus, debere esse notae magnitudinis. In omni comparatione rite instituta inest simul argumentum aliquod, quia a pari ad par, a minori ad minus etc., concludere licet.

Comparamus igitur

a) *pares res cum paribus:* ubi sic concludimus, res pares debere esse eadem dignitate, laude, eodem honore vel contemtu etc. V. c. si factum aliquod pro valde pulchro vel pro valde turpi habetur, sequitur, aliud factum, quod ei par esse demonstratum est vel demonstrari debet, aeque magnum et pulchrum vel aeque turpe esse debere. V. c. *victoria, beneficium, conjuratio* etc.

b) *majores res cum minoribus:* ubi sic concludimus: si minori rei tantum laudis vel vituperationis, poenae etc. tributum est vel convenit, quanto plus majori: vel, si res, quae facilior est vel minores ingenii vires, minorem laborem, postulat, aut cujus effecta sunt leviora, pro magna re habetur, quanto major ea esse debet, cujus fontes, cujus effecta sunt majora. Sic Cicero comparat hominis *victoriam sui ipsius* (s. facultatem vincendi se ipsum) seu clementiam erga adversarium cum victoria ab hostibus reportata in Orat. pro Marcello, et veniam Marcello concessam longe majorem rem esse declarat quam Caesaris res gestas, licet magnae quoque sint. Hoc genus comparandi in primis gravitati prodest. Debet hic primum ea res, cui aliam praeponere deinde volumus, proponi ut magna; ac deinde doceri, aliam tamen esse majorem. — Sic Cicero egit Marcell. 2, ibi primum valde tollit res Caesaris gestas, in eamque rem eas cum aliorum rebus gestis comparans docet has viles esse prae rebus Caesaris: deinde sensim incipit docere, veniam Marcello datam esse tamen illis longe majorem: id quod argumentis, ut decet, confirmat. Sic et in rebus malis ac turpibus. V. c. si *cupiditas paucis nocendi* est res valde turpis, quanto turpior et gravior est res, *toti civitati* vel *multis hominibus nocere velle* etc.: si *homicidium* est res gravis, multo gravior res fit *parricidium* necesse est.

c) *rem cum re illi contraria* interdum quoque comparare licet, ut illius ratio, ac simul ejus magna pulchritudo, utilitas, turpitudo etc. magis eluceat: res enim eo pulchrior videtur, quo turpior res illi contraria est, et eo tur-

pior fit, quo pulchior eſt res contraria. Sic fortitudo militum cum ignavia, prudentia cum ſtultitia, aliaeque virtutes cum vitiis oppoſitis comparantur, et contra. V. c. *Avaritia nihil eſt turpius, nihil homine indignius. Conſideremus contra liberalitatem: et videamus, quam homine digna ſit et quam generoſum hominis animum indicet* etc. *Quam excelſus eſt animus hominis liberalis, tam humilis eſt animus avari ac non niſi ſuae utilitatis pecuniaeque ſtudioſi* etc.

Eodem quoque modo *perſonae* inter ſe comparari poſſunt: quamquam in earum comparatione etiam res proprie comparantur, ut *virtutes, vitia, facta.* Comparantur

a) *perſonae pares:* ubi itidem concludimus, homines duos ſibi pares virtutibus vel vitiis etiam honore, dignitate, laude, praemiis, contemtu etc. pares eſſe debere: ut adeo, ſi alter pro magno habeatur vel pro valde turpi, alter pro eodem habendus ſit. Sic Cicero *Archiam* poetam in Orat. pro eo habita c. 6 comparat cum *Homero* et c. 9 cum *Ennio*, ut doceat, cum Homerum multae civitates ſuum civem eſſe voluerint, et Ennio civitas romana donata ſit, Archiam eodem modo dignum eſſe, qui civis romanus ſit. Sic comparat Cicero Catil. III, 1 *ſe* cum *Romulo* hactenus, quod hic Romam condiderit, ipſe Romam ſervarit, ac docet, ſibi non minorem honorem deberi; quamquam, qui verba illius accurate legit, videt, Ciceronem tecte indicare, ſe Romulo praeferendum eſſe.

b) *perſonae majores cum minoribus*, gravius vel vituperandi vel laudandi cauſa. In *laudando* ita concludimus: *ſi is, qui magnam rem egit, pro magno habitus eſt vel habetur, ſequitur, ut, qui majorem rem egerit, pro majori viro habendus videatur:* v. c. qui victoriam ab hoſtibus reportat, eſt vir magnus: quanto major, qui pacem nobis donat? Sic, ſi minus doctus magno honore fruitur, ſequitur, doctiorem majori frui debere: ſi opifex adſidue artem ſuam colens laudatur, quanto magis eruditus, literis adſidue navans operam? In *vituperando* ita concludimus: ſi is, qui levius peccatum commiſit, pro turpi poenaque digno homine habetur vel habitus eſt, quanto magis is, qui graviora commiſit? — Sic Cic. Roſc. Am. 39 *In minimis rebus qui mandatum neglexerit, turpiſſimo judicio condemnetur neceſſe eſt: in re tanta, cum is — mortuum ignominia adfecerit, is inter honeſtos homines atque adeo inter viros numerabitur? In minimis privatisque rebus etiam negligentia*

gligentia mandati in crimen judiciumque revocatur (ut Graev. legit), — *in re tanta, quae publice gesta sit, — qua is tandem poena afficietur?* Recte ibi Cicero colligit, si *negligens* mandatum levius ac privatum tamen poena dignus sit, eum, qui publicum mandatum idque majus negligat, et non tantum negligat, sed malitiose et cum perfidia agat, graviori poena adficiendum esse. — Major fit gravitas, si homo cum omnibus hominibus comparatur iisque praefertur; v. c. quando dicimus: *praestitit id, quod nemo mortalium praestare potuit* etc. vel in vituperando: *omnes superavit flagitiis* etc. Sic Cicero in Maniliana docet, Pompejum praeferendum esse omnibus ceteris imperatoribus; ait cap. 10 *Nunc vero cum sit unus Cn. Pompejus, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit* etc., id quod deinde confirmat: *qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit: plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt* etc., quae tamen valde hyperbolice dicta sunt. — In malam partem de Verre, v. c. Cic. Verr. I, 8 *Quis est, qui hoc non ex priore actione abstulerit (mit weggenommen, mit nach Hause genommen* i. e. *didicerit), omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in unum locum conferantur, vix cum hujus parva parte aequari conferrique posse?* Quid gravius dici poterat? Quamquam hic non tam homo cum hominibus omnibus quam facta unius cum omnium factis h. e. flagitiis comparantur: sed gravitate rerum nititur hominis vel summa turpitudo vel summa laus.

c) *personae contrariae* etiam interdum inter se comparantur, ut v. c. excellentia vel virtus unius ex alterius summa turpitudine et vitio magis adpareat et major videatur, ac contra. Sic Cicero ad *Verrem* deprimendum et acrius vituperandum compararat eum cum *Africano* Verr. IIII, 35, qui Segestanis deos patrios ex hostium urbe recuperatos reportaverat, cum Verres, praetor Siciliae, eos abstuliset: cum *Pisone*, diligentissimo homine, Verr. IIII. 25, qui, cum annulum sibi aureum faciendum curaret, hoc palam in foro fieri jussit, aurumque artifici adpendit, ut quisque sciret, unde Piso praetor Siciliae annulum sibi faceret; ex quo patebat, eum nihil auri eripuisse Siculis: quod secus erat in Verre, homine avarissimo: cum *Marcello* Verr. IIII, 54 et 55, qui, licet imperator esset atque ita jure belli multa eripere ornamenta posset, tamen non modo aedificiis privatis, publicis et sacris, pepercit, sed etiam nul-

lum deum violavit, nullum adtigit (cap. 54), cum Verres praetor Siciliae in otio ac pace istos deos auferre non dubitaverit. — Gravius est, quando homo cum bestiis comparatur: v. c. *parricida* ap. Cic. Rosc. Am. 22 extr. *Portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter* (i. e. per) *quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit: cum etiam feras inter se partus atque educatio et natura ipsa conciliet.* Locus multas ob causas egregius! Add. quae de *comparatione* supra jam dicta sunt cap. 1 sect. 17 p. 559 ff.

Sunt praeterea alia adjumenta, quae vel ad rei magnitudinem gravitatemque illustrandam aut certiorem reddendam pertinent vel auditores lectoresque attentiores reddunt efficiuntque, ut hi rei vim et gravitatem magis sentiant, atque ita gravitatem dicendi variis modis augent. Huc pertinent

II) *Circumscriptio* magnae ideae per definitionem vel descriptionem. Definitio et descriptio nihil aliud est quam dissolutio rei in sua adtributa, late sumta, vel omnia vel pauca. Hinc egregie adjuvat perspicuitatem rei, atque ita gravitatem. Sic enim accuratius perspicimus ea, quibus constet illa magnitudo et gravitas ideae. Dixi de periphrasi jam supra cap. 1 sect. 15 p. 555 s. et P. I, c. 9 sect. 2 n. VIIII. In primis vero gravitati rei serviunt eae circumscriptiones, in quibus argumentum inclusum est: argumenta enim tecta magis saepe movent quam aperta, quia illarum vis est lenior et suavior. Cicero exemplis abundat.

V. c. Rosc. Am. 22 extr., ubi pro verbis: *monstrum est, hominem posse suos parentes occidere* ita loquitur: *portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie atque figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter* (i. e. per) *quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit;* ubi notes; *esse aliquem humana specie atque figura* pro *esse aliquem hominem:* deinde *propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit* pro *parentes;* hic inest argumentum, cur non occidere debeat, et cur monstrum sit illos

illos occidere; hinc tandem addit: *eos indigniſſime luce privare* pro *occidere*. Egregie vocabulum *lucis* repetit: nam *eos, per quos lucem adſpeximus, hac luce privare*, quam indignum! Quis inde non magnitudinem parricidii perſpicit et ſentit? — Agr. II, 12 de decemviris, quos Rullus conſtitui volebat, ita loquitur: *Videte nunc, eos, qui a vobis nihil poteſtatis acceperint, quanto majoribus ornamentis adficiat, quam omnes nos adfecti ſumus, quibus vos ampliſſimas poteſtates* (i. e. magiſtratus) *dediſtis*. Per *eos, qui a vobis nihil poteſtatis acceperint* intelligit illos *decemviros;* in illa circumſcriptione latet argumentum, cur non deceat illos tantis ornamentis ornari, quia ſcil. a populo nihil poteſtatis h. e. nullum magiſtratum acceperint: hinc magnitudo peccati Rulliani magis adparet. — Fontej. 14 *Videte igitur, utrum ſit aequius hominem honeſtiſſimum, virum fortiſſimum, civem optimum, dedi inimiciſſimis atque immaniſſimis nationibus, quam reddi amicis.* Per *hominem honeſtiſſimum, virum fortiſſimum, civem optimum* intelligit *Fontejum:* ſed in hac circumſcriptione ineſt argumentum, cur non hunc virum deceat *condemnari ob homines inimiciſſimos et immaniſſimos:* hoc enim indicatur per *dedi inimiciſſimis* etc., quae verba etiam ſunt circumſcriptio. — Graviſſime ſenatores et omnes cives romanos circumſcribit per *principes orbis terrarum gentiumque omnium*, injecta ſimul ſimilitudine gladiatorum Philipp. III, 14 *Quod ſi jam (quod dii omen avertant!) fatum extremum reipublicae venit, quod gladiatores nobiles faciunt, ut honeſte decumbant, faciamus nos, principes orbis terrarum gentiumque omnium, ut cum dignitate potius cadamus, quam cum ignominia ſerviamus.* In circumſcriptione latet argumentum indignitatis majoris. *Principes orbis terrarum* coguntur imitari gladiatores in decumbendo? — Sic in illo: *avarus optat, quod habet*, ineſt circumſcriptio, quamquam brevior: dictum enim eſt pro *optat divitias;* at in circumſcriptione latet cauſa majoris indignitatis vel potius amentiae: quis enim, quod habet, id optat?

III) *Partitio* ſ. *diſſolutio Totius in ſuas partes, generis in ſpecies.* Dictum de ea eſt ſupra cap. 1 ſect. 16 p. 557 ſſ. et P. I c. 9 ſect. 2 n. X. Nihil enim magis ad perſpicuitatem pertinet, nihil vero etiam magis ad gravitatem. *Res* per *Genus* et per *Totum* declarata nondum ſatis eſt manifeſta, ut adeo gravitas rei nondum ſatis adparere poſſit, niſi rem accuratius h. e. ejus partes,

ſpecies, ac, ſi fieri poteſt, particulas et individua ante oculos ponas.

V. c. gravius dicitur *amiſi parentes, domum, honores ac dignitatem* quam *amiſi omnia:* — ſic *laudant eum omnes* non graviter dictum eſt: quinam enim ſunt iſti omnes? Gravius dicitur: *laudant eum* et *indocti* et *docti, laudant* et *cives* et *externae nationes, laudant* et *principes civitatis* et *inferiores* etc. — Sic Cicero laudare cupiens clementiam Caeſaris et veniam Marcello datam et ostendere, eam majorem eſſe illius rebus geſtis, ait Marcell. 2 *Nihil ſibi ex iſta laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit:* pro *Nihil ſibi ex iſta laude exercitus decerpit* ſ. *tribuit.* Nonne illud multo gravius? — Ibid. c. 3 dicere poterat: *domuiſti magnas copias barbarorum;* ſed ait: *domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.* Sic Caeſaris virtus major adparet. — Cicero laudare cupiens artes humaniores et docere, eas eſſe omnium aetatum et locorum, maluit hoc late ita exprimere: *Haec ſtudia adoleſcentiam alunt* (Al. *agunt*), *ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur.* Nonne ita utilitas iſtorum ſtudiorum magis adparet, quam ſi dixiſſet: *ubique et ſemper proſunt?* vid. plura exempla cap. 1 ſect. 16 p. 557 ff. et P. I c. 9 ſect. 2 n. X.

IIII) *Pictura rei* ſ. *deſcriptio rei vivida,* quae efficit, ut rem ipſam videre eique intereſſe videamur. Efficitur illa adferendis quibusdam rebus cum illa re conjunctis et in ſenſus cadentibus. Rhetores eas, ſi longiores ſunt, vocant *diatypoſes,* ſin breviores, *hypotypoſes:* ſed haec diviſio nullius eſt utilitatis: quisque enim ſua ſponte videre debet, utrum deſcriptio illa longior an brevior fieri debeat. Nimis longae non eſſe debent, ne tandem taedio fiant et vim ſuam amittant. Iudicio quoque ac delectu rerum, quibus ad rem depingendam utimur, opus eſt; h. e. debemus tantum eas particulas ſ. circumſtantias adferre, quae rei gravitatem concilient, non leviſſima quaeque in mentem venientia memorare: quod puerile foret. — Peccant hac in re nonnulli hodie

die, qui ubique pingere rem quam explicare et confirmare argumentis malunt, qui vident hoc placere lectoribus multis, qui non tam curant, ut sibi de rei veritate persuadeatur, quam ut eam *sentiant* s. ea *moveantur:* cum tamen non ante possimus re moveri, quam de ea nobis persuasum sit. Nec debemus rem depingere nisi gravem h. e. talem, quae, ut per se magna est, ita meretur, ut ejus magnitudo et gravitas a legente vel audiente recte atque ordine sentiatur. — Pleni sunt harum descriptionum libri historicorum.

V. c. Liv. I, 13 in. *Tum Sabinae mulieres — crinibus passis scissaque veste — ausae se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto dirimere infestas acies, dirimere iras, hinc patres hinc viros orantes* etc. — In primis notabilis est descriptio pugnae inter trigeminos Horatios et Curiatios commissae, Ibid. cap. 25 *Foedere icto trigemini — arma capiunt. — Consederant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis praesentis quam curae expertes — datur signum, infestisque armis, velut acies, — concurrunt. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, et neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque* etc.: nam totum caput est perlegendum. Quis vero illud legens non singula sentit, singulis rebus ita movetur, tanquam sua res agatur? — Sic brevis narratio de Metio Fufetio per equos jussu regis romani dilacerato cap. 28 etc. — Item Cicero saepissime in Orationibus Verrinis, pro Milone, in Philippicis etc. v. c. Verr. I, 30 *Constituitur in foro Laodiceae spectaculum acerbum — grandis natu parens adductus ad supplicium, ex altera parte filius* etc. — Verr. V, 33 *Stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo tunicaque talari, muliercula nixus in litore:* ibid. c. 38 *in portu Syracusano de classe populi romani triumphum agere piratam, cum praetoris nequissimi inertissimique oculos praedonum remi respergerent:* ubi not. *respergerent oculos* etc. — Philipp. II, 41 *personabant omnia vocibus ebriorum; natabant pavimenta vino, madebant parietes* etc. Sed videndum, ut pudori ac modestiae consulamus, neque eas res temere proferamus, quae aures nimis offendant. Hic peccasse videtur Cicero, odio acerrimo in Antonium abreptus in ead. orat. cap. 25 *In coetu vero populi romani negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis,*

lentis, vinum redolentibus, gremium ſuum et totum tribunal implevit. Graviter quidem dixit, at injucunde: a) *ructare* b) *vomens* c) *fruſtis eſculentis* d) *vinum redolentibus* e) *implevit gremium ſuum* et f) *totum tribunal:* quae ſingulae ideae ſunt injucundae, quanto magis fiunt, ſi conjunctae ſunt? Quis iſta ſine nauſea legere nedum audire poteſt?

V) *Teſtimonium* magnorum ſapientumque virorum de re ſolet ejus gravitati aliquid ponderis addere, quia homines iis, quae vir ſapientiae laude clarus dixit, magnam vim vulgo tribuere ſolent. Dixi jam de *teſtimoniis* ſupra p. 542 in cap. 1 de perſpicuitate, ubi monui non ante iis utendum eſſe, quam res idoneorum argumentorum auctoritate confirmata ſit. Nam teſtimonia humana per ſe nihil aliud ſunt quam *judicia:* et in iis quis non ſaepe labatur, licet ſit ſapientiſſimus? Nec res propterea magna eſt, quia homines pro magna habent; ſed magnitudo rei debet eſſe in ipſius rei natura. — Excipiuntur tamen, ut ſupra ibid. p. 542 ſ. monui, praeter *teſtimonia* ſ. *judicia librorum ſacrorum*, quae pro firmiſſimis argumentis habenda ſunt, *teſtimonia humana* in facto aliquo narrando: hic teſtimonia, ſi ſunt profecta ab hominibus fide dignis, ſunt optima rei argumenta. — In primis vero gravitatem rei adjuvat *teſtimonium adverſarii* ſ. *conceſſio.* Nam, ſi v. c. ipſe adverſarius concedit, aliquem valde doctum eſſe, vel rem, cui adverſatur, egregiam eſſe, multum valet iſtud teſtimonium. — Hinc, ſi quis, non Chriſtianus, Chriſtianorum ſacra ex parte laudat, huic laudi multum tribuitur. Sic contra, ſi quis de ſe vel de amico, quem valde amat, aliquid vitii concedit, ejus quoque teſtimonium non ſine pondere eſſe ſolet.

VI) *Sententia acuta* et *gravis.* *Sententia* eſt enuntiatio e vita ſumta, eaque univerſa h. e. per quam aliquid in genere adfirmatur vel negatur, laudatur vel vituperatur etc. *Acuta* eſt, ſi non ſine ingenio inventa neque adeo vulgaris eſt: *gravis*, ſi argumentum rei, de

qua

qua fermo est, continet. Hinc ejus vis ad animos movendos patet: argumenta enim tecta quantam vim adferant, nemo nescit. V. c. Quando de Socrate dixi, *eum non fuisse adpetentem divitiarum:* et addo: *sapientia (temperantia) enim paucis contenta est:* vel *sapiens (temperans) enim paucis contentus est.* Inest quaedam brevitas pro: *Socrates non adpetens fuit divitiarum: fuit enim temperans (sapiens): sapientia (temperantia) vero est paucis contenta.* Quis non videt mediam enuntiationem: *fuit temperans*, omissam esse? — Sic saepissime Cicero ad rem confirmandam utitur *sententia aliqua* pro argumento:

V. c. ad Div. VIIII ep. 14 §. 8 *Nam, cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius.* Ante verba *Nihil est enim* etc. omissum est: *Quis enim tuam virtutem non amet?* vel *Hoc meritus es virtute tua* etc. — Divin. in Caecil. 9, ubi Cicero vult, ut Caecilius suam integritatem et innocentiam ostendat: et statim addit loco argumenti: *Nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere:* quod gravius dictum est pro: *non enim ferendus es, si non ipse potes reddere tuae vitae rationem et tamen vis ab alio repetere. Nihil est enim, quod minus ferendum sit* etc. — Sic Rosc. Am. 22 extr. postquam dixit *parricidium, rem tam scelestam, atrocem, nefariam, nisi ejus multa et manifesta sint vestigia, non credi posse*, statim addit causam; *Magna enim est vis humanitatis (der menschlichen Empfindung), multum valet communio sanguinis, reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura:* ubi itidem proprie sic debebat dici: *Nam humanitatis et communionis sanguinis et naturae hic est ratio habenda. Magna enim est vis humanitatis* etc.

De sententiis notandum,

1) Debere *esse* manifesto et semper *veras:* v. c. *sine virtute nulla vera est felicitas.* — Admittuntur tamen quoque *verisimiles* vel *plerumque* tantum *verae;* v. c. *obsequium amicos, veritas odium parit;* quo pertinent sexcenta proverbia; it. *hyperbolicae* sententiae, v. c. *nihil miserius stultitia: nihil prae-*

praeclarius eruditione etc.; quo itidem pertinent proverbia multa.

2) Debent *non nimis longae esse.* Quo breviores, eo graviores.

3) Debent *non nimis crebrae esse.* Quia omnis sententia speciem praecepti habet et auditores lectoresque docere videtur, hi offenduntur tandem; et omnino, qui sententias nimis frequentat, videtur magistrum auditorum et lectorum agere velle. Qui tamen crebrioribus uti cupit, quia profecto nihil gravius est acuta sapientiaeque plena sententia, is potest, ad vitandam istam injucunditatem, hanc rationem sequi, ut sententias non semper suo nomine sed etiam aliorum proferat: v. c. *Socrates non fuit adpetens divitiarum, quia sciebat, temperantiam* (sapientiam) *esse paucis contentam.* Et sic saepius potest is homo, quem laudamus, induci recitans sententiam. Interdum etiam addi potest: *Nemo nescit, omnibus notum est:* sic orator non suo sed omnium nomine recitat istam sententiam. In primis orator communicare potest sententiam cum auditoribus, v. c. *Nostis* s. *quis vestrum ignorat, temperantiam esse paucis contentam.* — Hoc genere variationis saepius taedio lectorum et auditorum occurri potest, atque ita saepius sententias adhibere licebit.

4) Debent *esse honestae:* sed hoc per se patet.

VII) *Loqui adseveranter* et *cum certa animi persuasione.* Hoc magis decere graviter loquentem quam dubitanter dicere per se patet. Nam, si ipsi oratori et scriptori de re ejusque magnitudine persuasum esse videmus, eo certiorem rem esse credimus. Hinc, quo magis animus illius videtur esse motus, eo magis ei de re videtur esse persuasum, et eo certior haec nobis videtur.

Hanc in rem solent oratores atque ita scriptores

1) De re praesente vel facta loqui ut *certa* et *manifesta:* hinc saepe addunt *Certum est, quis non videt?* etc. v. c. *Virtute nihil praeclarius esse, quis non intelligit? Quem fugit, Hannibalem tandem victum esse a Scipione? Quis est, qui nesciat bona animi et ingenii longe praeclariora esse bonis corporis?* v. c. Cic. Verr. IIII, 28 in. *Nunc — adtendite, de quo — populus romanus nunc non primum audiet, quod* (sic fortasse leg. pro *et*) *in exteris nationibus usque ad ultimas terras per-*

pervagatum est. Et sic millies: in primis Act. I in Verr. cap. 5 extr. — Huc pertinent illae formulae: *omnes sciunt, sole clarius est: nihil manifestius, nihil apertius, esse potest; nemo negat, nemo dubitat; quis est qui dubitet, qui dubitare vel negare audeat?* etc. — Tales formulae valent ad animos magis movendos, si quidem res per se certa vel argumentis ante confirmata est. Stultum enim foret ubique dicere *Certum, manifestum est, quis nescit* etc. etiam ibi, ubi lector auditorve vel rem ignorat vel valde de ea dubitat. — Oratores vero non modo de re certissima sed etiam interdum de re tantum verisimili loquuntur tanquam de certissima. V. c. *nihil homini tam nocet quam otium, vel quis nescit, nihil homini tam nocere quam otium?* etc. Cicero v. c. Verr. I, 4 gravius dixit: *Non est, non est in hoc homine cuiquam peccandi locus* h. e. *hic homo non potest absolvi*, quam si dixisset: *Non videtur locus esse* etc. aut: *Vix putem locum esse* etc.

2) *De rei effectu vel eventu tanquam certissimo.* V. c. *Qui ad literas omni studio incumbit, eruditus, sapiens fiet. Haec res tam praeclara est, ut in perpetuo honore mansura sit:* Ubi itidem istae formulae superiores *Certum est, quis non videt?* etc., item aliae, v. c. *necesse est, nullo modo fieri potest, quin* etc. usurpari possint. V. c. *Qui ita vivit, necesse est aliquando contemtui eum omnibus fore.* Cic. Verr. I, 5 *evolet ex vestra severitate: mihi credite, arctioribus apud populum romanum laqueis tenebitur: credet iis equitibus populus romanus, qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus, ab isto civem romanum, qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt. Credent omnes XXXV tribus — audietur a populo* etc.: qui locus egregius, at paulo longior. Sic in Agraria altera effectum legis Agrariae praedicit ut certum, cap. 18 ait: *Intellexistis, quot res et quantas decemviri legis permissu venditurі sint* pro *vendere possint.* — Cicero adeo ad rem augendam dicit interdum, quid aliquis facturus fuisset, v. c. Phil. II, 27 loquens de Antonii immensa luxuria: *Quamobrem desinite mirari, haec tam celeriter esse* (ab Antonio) *consumta. Non modo unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud* (Pompeji) *fuit, sed urbes et regna celeriter tanta nequitia devorare potuisset.* Gravissime dictum: at hyperbolice.

3) *De re futura, ut jam praesente.* Hoc valde auget gravitatem rei, quia sic fere ipsam oculis cernere videmur. v. c. *Tu, si ita pergis vivere, miser es* pro *eris.* Saepissime in libris sacris prophetae, quae Judaeis eventura erant, de iis tanquam praesentibus loquuntur, v. c. *video jam: urbs luget,*

luget, laetatur etc. pro *lugebit, laetabitur:* sic et nos: *du stirbst, wenn du das issest, du bist unglücklich:* vel de certo morituro: *er stirbt gewiß* pro *wird sterben:* quae omnia gravius dicuntur. — Sic Cicero millies: v. c. Agr. II, 21 *sicque agro pergrande vectigal imponitur* pro *imponetur:* sermo enim est de re futura. Manil. 17 *aut cur non ducibus diis immortalibus eidem, cui cetera summa cum salute reipublicae commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus* pro *committemus* vel *committere volumus?* At in praesenti *committimus* inest major celeritas et gravitas: vult admonere, non diu exspectandum esse.

4) Orator etiam interdum e suo ingenio addit causam verisimilem et credibilem, cur aliquid factum sit, cum tamen forsitan alia fuerit, vel causam et consilium, quod aliquis in re aliqua suscipienda secutus fuerit, cum tamen forsitan alia causa, aliud consilium fuerit, imo saepe res temere et casu ita facta sit: v. c. de homine docto, qui ad summos honores pervenit, dicere possum: *Quomodo is tantos honores consequi potuisset, nisi summa eruditione ornatus fuisset?* Sic in hominis eruditi vita exponenda dicere licet: *Contulit se ad literarum studia, non, ut vulgo fieri solet, quia parentes illud voluerant vel ita jusserant, nec, quia hanc viam ad divitias honoresque certissimam esse crederet, sed hoc consilio, ut et mentem sapientiorem redderet, atque ad cogitandum acueret, et animum virtutis splendore illustraret* etc. Sic de aliquo, qui multorum amicitia usus est, dicere licet: *Non mirum est, eum tam multis amicis usum, cum ipse omnibus hominibus amicus esset: qui enim alios amat, ab aliis redamatur.* — Sic Cicero saepissime agere solet, ut causas, propter quas aliquid factum sit vel quibus ductus aliquis aliquid fecerit, pro libidine h. e. e re sua addat. V. c. Arch. 7, ubi literas humaniores i. e. in primis philosophiam laudat et ad earum utilitatem demonstrandam Africanum, Laelium, Furium et Catonem memorat, addit causam, cur hi viri literis illis operam dederint, his verbis: *Qui profecto, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis* (scil. humanioribus) *adjuvarentur, nunquam se ad earum studium contulissent:* quamquam contra hanc causam nonnulla dici possint. Nam nemo utilitatem artis ante novit, quam eam tenet. Non puto τὸ *adjuvarentur* pro *adjuti essent* positum esse, ut Gesnerus in Chrestom. putat, quia nemo ante potest adjuvari literis illis ad virtutem colendam, quam ad illas se contulerit: quomodo ergo isti viri dici possunt non id consilium secuturi fuisse, ut ad illas literas se conferrent, nisi illis adjuti essent? Magis *adjuvarentur*

tur est proprie sumendum: *nisi utilitatem inde haurirent* vel *credidissent potius se hausturos esse:* nisi forte potius leg. *adjuvaremur.* — Verres, praetor Siciliae, Gavium civem romanum in crucem sustulerat. De hoc facto late loquitur Cicero Verr. V, 66: inter alia hoc est notabile: *Italiae conspectus ad eam rem ab isto delectus est, ut ille in dolore cruciatuque moriens peranguſto freto* (Edd. *fretu*) *divisa servitutis ac libertatis jura cognosceret, Italia autem alumnum suum servitutis exeremo summoque supplicio adfixum videret.* Egregie h. e. gravissime dictum. Scilicet Verres crucem ea parte Siciliae, quae ad fretum spectat, erigi jussit, ut tali modo Gavius cruci adfixus Italiam spectare posset.

5) Orator etiam interdum in narrando aliquo facto addit, quid homo in illo cogitaverit, crediderit, speraverit, timuerit etc.: id quod e facto ipso concludit. Hac re, quae saepe argumenti speciem induit, fit res ipsa certior et gravior. V. c. pro: *hic homo non legit libros sacros* dicitur: *hic homo non legendos putat libros sacros* s. *non e re sua esse credit legere*, vel *nescit, quam utilis sit lectio librorum* etc. — sic de intemperante quodam: *iste homo nullum certiorem felicitatis fontem esse credit, credidit, quam usum ciborum nimium:* vel *nihil praeclarius norat quam gulae servire* cet. sic de eo, qui multos sibi libros emit: *Nihil erudito dignius censebat esse librorum utilium supellectile multa.* Cicero ita quam saepissime, v. c. Verr. II, 6 *Qui* (Verres) *simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romae et ad urbem, ante quam proficisceretur, quaerere ipse secum et agitare cum suis coepit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset. Nolebat in agendo discere — sed in Siciliam paratus ad praedam meditatusque venire cupiebat.* — Ibid. cap. 30 *Iste, quasi metueret, ne Petilius, privato illo judicio transacto aut dilato, cum ceteris in consilium reverteretur, ita properans de sella exsiluit, hominem innocentem — indicta causa condemnavit.* Egregie *quasi metueret* etc. — Verr. IIII, 27 in. narratione illa de Verre, qui Antiocho, regi Syriae, qui Syracusas venerat, tandem multa vasa egregia, in his trullam ex una grandi gemma factam et candelabrum e gemmis clarissimis opere mirabili perfectum, abstulit: *Itaque* (Antiochus) *isto praetore venit Syracusas. Hic Verres hereditatem sibi venisse arbitratus est, quia in ejus regnum ac manus venerat is, quem iste et audierat multa secum praeclara habere et suspicabatur.* Post narrat, Antiochum a Verre ad coenam vocatum, et hunc ab illo vicissim magnifico convivio exceptum esse; ibi Antiochum, quia Verrem

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn862953375/phys_0155 DFG

rem haud noſſet, ei omnia ſua vaſa maxime praeclara monſtraſſe, quae Verres valde admiratus ſit: tandem ait: *Poſtquam inde* (i. e. *e convivio*) *diſceſſum eſt* (a Verre), *cogitare* (Verres) *nihil aliud, quod ipſa res declaravit, niſi quemadmodum regem ex provincia ſpoliatum expilatumque dimitteret.* Notes in iſta narratione 1) *Hic Verres hereditatem ſibi veniſſe arbitratus eſt* 2) *quem ſuſpicabatur* etc. 3) *Verres cogitabat nihil aliud* etc. Haec additamenta praeclare ostendunt animum avariſſimi hominis, qui *arbitratur ſibi praedam obveniſſe*, atque *ſuſpicatur*, aliquem aliquid ſecum habere, quod arte quadam eripi poſſit, et *cogitat meditaturque* rationem, qua illud eripiat. — Multo gravius loquitur orator, quando dicit, aliquem reum ipſum non ſperare ſibi ignoſci vel ſe abſolvi poſſe: hoc enim indicat, flagitia et ſcelera ejus eſſe nimis magna vel multa. Sic de eodem Verre Cicero Verr. I, 2 *tametſi de abſolutione iſtius* (Verris) *neque ipſe* (Verres) *jam ſperat, nec populus romanus metuit.* Quid gravius dici poterat: *ipſe non jam* i. e. *non amplius ſperat?* etc.

VIII) *Dilemma;* cum duas res (interdum tres, tum *trilemma* vocari queat) ſibi contrarias ita proponimus, ut, utracunque eligatur ab adverſariis vel auditoribus, tamen nihil contra noſtram cauſam concludi poſſit. Haec res gravitatem rei adfert, quia non modo auditori facultatem dubitandi praecidit, ſed et indicat, oratori, quia tam *ingenue* omnia profert, de re valde perſuaſum eſſe.

V. c. Cic. Quint. 26 *Utrumlibet elige: alterum incredibile eſt, alterum nefarium, et ante hoc tempus utrumque inauditum. — Si enim illud diceres, improbe mentiri videretur; cum hoc confiteris, id te admiſiſſe concedis, quod ne mendacio quidem tegere poſſis.* Sic Cicero in Divin. in Caecil. oſtenſurus, hunc ad Verrem accuſandum non eſſe aptum, ita loquitur cap. 18 extr.: *ſi ſummam injuriam ab illo* (Verre) *acceptiſti, tamen, quoniam quaeſtor ejus fuiſti, non potes eum ſine ulla vituperatione accuſare: ſi vero nulla tibi facta eſt injuria, ſine ſcelere eum accuſare non potes.* — Cic. Philipp. II, 22 *O miſerum te, ſi intelligis! miſeriorem, ſi non intelligis* etc., ubi exclamatio auget. Add. cap. 23 in., ubi ſimul interrogatio eſt. Add. Curt. VII, 8 §. 26, ubi Scythae Alexandro haec dicunt: *ſi deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non eripere; ſin autem homo es, id, quod es, ſemper te eſſe cogita.*

VIII)

VIIII) *Interrogatio* orationem haud dubie graviorem potest reddere: indicat enim, nos moto animo atque ita cum magna persuasione loqui. V. c. *quid praeclarius esse potest virtute?* vel *quis non videt, nihil praeclarius esse* etc.? *Quis deum esse neget?* Cic. Manil. 10 *Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit aut esse debuit?* — At interrogatio non debet usurpari nisi in re certa et ubi certo scimus, neminem nobis respondere posse. In re dubia necdum argumentis confirmata stultum foret *interrogare*, v. c. si quis de laude eloquentiae dicere incipiens non nisi ita loqueretur: *Quis nescit, quantopere laudanda sit eloquentia? quis ejus utilitatem non intelligit? quis negat* etc. — Gravior fit interrogatio, si qua causa tecte includitur, v. c. *Quis est tam obtusae mentis, qui non videat? quis tam rerum imperitus, ut non perspiciat?* etc. Haec enim dicta sunt pro: *Nemo hoc non videre debet, quia nemo est tam obtusae mentis: Nemo non perspicit hoc, quia nemo tam imperitus rerum est* — Gravitas talis interrogationis augetur, si haec repetitur: v. c. Cic. Divin. in Caecil. 6 *tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes?* etc., ubi simul repetitio particulae *tamen* gravitatem non parum adjuvat. Cic. Verr. II, 78 in. *Videtis Verrutium? videtis primas literas integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris* etc., ubi itidem anaphora simul notanda: et statim: *Quid exspectatis? quid quaeritis amplius? tu ipse Verres quid sedes? quid moraris?* — Sed interrogatio per se discitur ac per se oritur, modo de re gravi dicas sitque tibi de gravitate persuasum. Animus commotus ad interrogandum valde proclivis est. Interdum etiam responsio additur, v. c. Cic. Verr. III, 53 in., cap. 67 med. etc.

X) *Exclamatio:* haec enim indicat, nos in dicendo et scribendo esse commoto animo, quod signo est, nobis esse de re valde persuasum. Hinc illa post rem

gravem et certam, satis explicatam et argumentis gravibus stabilitam, recte adhibetur. Cic. Philipp. II, 22 *O miserum te, si intelligis! miseriorem, si non intelligis* etc. — At stultum foret ubique dicere: *O rem praeclaram! o hominem nefandum!* Ita loquuntur pueri. Hinc ab initio orationis non convenit exclamare; nec in narratione, quia indicaret, historicum vel alium narrantem esse commoto animo. At omnis testis, et historicus narransve est testis, debet loqui sine animi permotione: haec enim suspicionem movet, rem vel auctam vel imminutam esse.

XI) *Sermocinatio*, *Prosopopoeia*, *Apostrophe* serviunt maxime gravitati. — *Sermocinatio* est, quando hominem inducimus loquentem vel cum aliis vel secum. Sic Cic. Milonem inducit loquentem Mil. 34 *Valeant, valeant, inquit, cives mei, valeant, sint incolumes* etc.: qui locus est longe gravissimus. Cf. Auct. ad Herenn. IIII, 43 *Sapiens saepe ita secum loquitur: Non mihi soli sed etiam, atque adeo multo potius, natus sum patriae* etc. Sic Cicero Rosc. Am. 21 accusatorem Erucium inducit loquentem: *Cum hoc modo accusas, Eruci, nonne hoc palam dicis: ego, quid acceperim, scio, quid dicam, nescio: unum illud spectavi, quod Chrysogonus ajebat, neminem isti patronum futurum* etc. Quid gravius esse potest, quam audire accusatorem ipsum fatentem, se nihil dicere posse sed pecunia corruptum accusationem recepisse? Gravior est sermocinatio, si mortuos loquentes inducimus. — *Prosopopoeia*, quando res tanquam personae loquentes inducuntur, v. c. Cic. Catil. I, 7 patria adloquitur Catilinam et rogat eum tandem, ut discedat etc.: quae adlocutio non sine gravitate est. — *Apostrophe*, i. e. quando adloquimur homines absentes, imo res inanimatas, v. c. parietes testamur etc., etiam mortuos. — Sed hae tres res, ut non nisi e maxime commoto animo oriuntur atque sine eo usurpari nullo modo possunt, ita praeterea, si recte tractare velimus, mag-

magnam prudentiam poſtulant, v. c. ne modum excedamus vel vocis exilitate ridiculi fiamus etc.

XII) *Repetitio idearum* gravium earundem crebra; ut ipſae magis penetrent in animos legentium et audientium. Semel enim dicta facilius praetervolant vel oblivioni traduntur: ſed repetitione firmius haerent ideae graves et animos gravius movent. Dixi hac de re in Cap. I de *perſpicuitate* ſect. 18 p. 565 ſſ. et ſect. 23 n. XIIII.

Inſtituitur v. c. haec repetitio per totam orationis compagem, ubicunque occaſio ſe obtulerit; in primis in eadem ſententia. Eſt praeterea duplex: *ideae* enim vel iisdem vocabulis repetuntur vel aliis. 1) Per *alia* vocabula, v. c. Cic. Verr. I, 5 in. *Meditetur de ducibus hoſtium, quos accepta pecunia liberavit: videat, quid de illis reſpondeat, — quaerat —:* ubi *meditetur, videat, quaerat* parum differunt. Ibid. *Confringat iſte ſane vi ſua conſilia ſenatoria: quaeſtiones omnium perrumpat: evolet ex veſtra ſeveritate:* quae tria non valde differunt. Ibid. *Credet iis equitibus romanis populus — Credent omnes quinque et triginta tribus — audietur a populo romano vir primarius — probabit fidem et auctoritatem et religionem ſuam L. Suetius* etc.: quae ſingula idem declarant: nam *audietur a populo* etc. *probabit fidem* etc. nihil aliud eſt quam *populus romanus iis credet.* Cic. Philipp. II, 27 extr. *O audaciam nimiam! tu ingredi illam domum* (Pompeji) *auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu etiam illarum aedium diis penatibus os importuniſſimum oſtendere?* quae tria, quod ad ſenſum per ſe adtinet, parum inter ſe differunt. 2) Per *eadem* vocabula: haec repetuntur

a) Vel *conjunctim*, quod *epizeuxin* vulgo vocant: v. c. Cic. Fontej. 7 *Fuit, fuit illis judicibus divinum — conſilium.* Cic. Catil. I, 1 *Fuit, fuit quondam in hac republica virtus* etc.; ibid. *nos, nos, dico aperte, conſules deſumus.* Cic. Phil. II, 15 in. *Dolebam, dolebam, patres conſcripti, rempublicam;* et cap. 22 in. *Tu, tu, inquam, M. Antoni, princeps C. Caeſari, omnia perturbare cupienti, cauſam belli contra patriam inferendi dediſti.* — Duo vocabula repetit Cic. Verr. I, 4 *Non eſt non eſt in hoc homine cuiquam peccandi locus, judices.* Ac deinde: *non is eſt reus, non id tempus, non id conſilium* etc.; quod gravius eſt.

b) Vel ab *initio membrorum* tum parvorum tum longiorum: quae repetitio *anaphora* vocatur: v. c. Cicero Fontej. 14 *Frugi — hominem et — temperantem, plenum pudoris, plenum officii, plenum religionis.* Cic. Arch. 6 *Sed pleni omnes sunt libri, plenae sapientium voces, plena exemplorum vetustas.* Cic. ad Div. VIIII ep. 14 §. 9 *Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius:* et §. 7 *tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum unquam, nihil reipublicae salutarius:* Cic. Verr. I, 15 *Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum:* ibid. *Non enim potest ea natura, quae tantum facinus commiserit, hoc uno scelere contenta esse. Necesse est semper aliquid ejusmodi moliatur: necesse est in simili audacia perfidiaque versetur.* — Gravior est anaphora conjuncta cum interrogatione: v. c. Cic. Divin. in Caecil. 6 *tamen his invitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius quam abs te defensos malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui* etc.?

c) Vel in *fine membrorum:* quae repetitio vocatur *epiphora.* V. c. Cic. Verr. IIII, 42 med. *Quid? is ubi est? praesto est: testis est;* et statim: *Quis est hic? qui ad statuam adstrictus est. Quid? is ubi est? testis est.* — Cic. Phil. II, 22 *Doletis tres exercitus populi romani interfectos? interfecit Antonius. Desideratis clarissimos cives? eos quoque vobis eripuit Antonius. Auctoritas hujus ordinis afflicta est? afflixit Antonius.* Inest *partitio,* quae gravitatem auget.

d) Vel *anaphora* et *epiphora* conjungitur interdum h. e. unum vocabulum ab initio membri, alterum in fine repetitur, v. c. Cic. Agr. II, 9 in. *Quis legem tulit? Rullus. Quis majorem partem populi suffragiis privavit? Rullus. Quis comitiis prohibuit? Rullus. — Quis decemviros, quos voluit, renuntiavit? Idem Rullus.* Vocatur haec figura *symploce:* in cujus usu tamen judicio opus est, ne ridiculi fiamus. Add. dicta Cap. I sect. 18 p. 565 ff. et sect. 23 n. XIIII.

XIII) *Correctio* h. e. quando gravem ideam gravior sequitur, atque ita illam quasi corrigit.

V. c. Cic. Verr. I, 3 extr. *Non enim furem sed ereptorem, non adulterum sed expugnatorem pudicitiae, non sacrilegum sed hostem sacrorum religionumque, non sicarium sed cru-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0160
DFG

crudelissimum carnificem civium sociorumque in vestrum judicium adduximus. Quam graviter hoc dictum est! *fur, adulter, sacrilegus, sicarius* jam graves ideae erant. — Cic. Verr. II, 13 *Haec omnia isto praetore non modo perturbata sed plane et Siculis et civibus romanis erepta sunt:* gravius est *eripere* quam *perturbare.* — Cic. Verr. IIII, 27 in. *Venio nunc non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, sed ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque inesse videantur* etc. — Cic. Verr. V, 37 *ut ante Syracusani in moenibus suis, in foro hostem armatum ac victorem quam in portu ullam hostium navem viderent:* a) *in moenibus* b) *in urbe* c) *in foro:* ac deinde: a) *hostem armatum* b) *hostem victorem.* — Ibid. cap. 66 *Facinus est, vinciri civem romanum: scelus, verberari: prope parricidium, necari, quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefaria res adpellari nullo modo potest.* Sermo est de Gavio, cive romano, in crucem a Verre sublato. — Cic. Philipp. II, 26 prope fin. *Tantus igitur te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, furor, ut* etc. — Ibid. cap. 27 de luxuria Antonii, quia paucis diebus innumerabilia effuderat: *Quae Charybdis tam vorax? Charybdin dico? quae, si fuit, fuit animal unum; Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse.* Ineft simul hyperbole: et Charybdis a Cicerone quidem memorari poterat, quia ista profunditas vasta Romanis nota erat, in nostra vero hodie tempora et loca non amplius convenit, ut per se patet. — Cic. Phil. III, 1 in. *quippe cum bellum nefarium — non comparari, sed geri jam viderem.*

Ceterum ad hanc *Correctionem* referri quoque potest *Incrementum,* ut vulgo dicitur, cujus exemplum v. c. est illud e Cic. Catilinaria I, 1 in. *hic tamen vivit. Vivit? imo etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat* etc. — Eodem quoque pertinet Cic. Rosc. Am. 22 *Magna est enim vis humanitatis: multum valet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum atque monstrum certissimum est* etc. Egregie h. e. graviter dictum: a) *humanitas* i. e. *sensus (Empfindung)* erga homines hominibus omnibus innatus; is est infimus gradus vinculi amoris erga homines: deinde b) *communio sanguinis* s. *propinquitas* etc.

XIIII) *Confirmatio, adversarium rem concedere, vel nihil habere, quod contra dicat, vel non nisi levia proferre.*

V. c. Cicero Roſc. Am. 16 extr. ait accuſatori: *Age nunc, refer animum, ſis* (i. e. *ſi vis*), *ad veritatem, — jam profecto te intelliges inopia criminum ſummam laudem Sex. Roſcio vitio et culpae tribuiſſe.* Ibid. cap. 18 extr. *Audio* (h. e. hoc placet mihi, *gut*): *nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat: nam illa, opinor, tu quoque concedis levia eſſe atque inepta.* At ſtatim: *Verum haec quoque tu intelligis eſſe nugatoria.* — Ibid. cap. 19 extr. *Quid eſt aliud, judicio ac legibus ac majeſtate veſtra abuti ad quaeſtum atque ad libidinem, niſi hoc modo accuſare, atque id objicere, quod planum facere non modo non poſſis, verum ne coneris quidem?* Quid gravius accuſatori dicere poterat? Grave jam eſt *non poſſe*, ſed multo gravius *ne conari quidem.* Nam multi homines multa licet efficere nequeant, tamen conantur. — Add. cap. 21, ubi accuſatorem inducit fatentem, ſe nihil, quod dicat, habere: *Cum hoc modo accuſas, Eruci, nonne hoc palam dicis: ego, quid acceperim* (ſcil. pecuniam), *ſcio; quid dicam, neſcio* etc.

XV) *Retorſio* argumenti ab adverſario pro ſe prolati aliusve rei ita inſtituta, ut illo argumento vel illa re contra illum ac pro nobis inque rem noſtram utamur. Ineſt ſane gravitas: et, quo gravior illa res viſa eſt adverſario, eo gravior eſt retorſio:

V. c. Cic. Divin. in Caecil. 19 in. *At vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam.* (Adtende, quaeſo, quam leniter loqui videatur Cicero, *opinionem* dicens!) *Tu cum omnibus rebus inferior ſis, hac una in re mihi anteferri putas oportere, quod quaeſtor illius fueris; ego, ſi ſuperior ceteris rebus eſſes, hanc unam ob cauſam te accuſatorem repudiari putarem oportere.* Id quod deinde late demonſtrat, idque egregie: totus locus eſt perlegendus: quemadmodum omnes omnino figurae rhetoricae non ex adlatis exemplis diſcendae ſunt, ſed loca ipſa ſunt perlegenda, ut contextus ratio ſimul perſpiciatur; ab hac enim pendet judicium omne de figura aliqua vel recte vel perperam adhibita: ab hac pendet deinde etiam legitimus figurarum uſus. — Quod hic dixi, valere debet de omnibus locis hoc in libello adlatis; quia contextus omnis adferri hic non poteſt.

XVI) *Conceſſio* h. e. quando concedimus aliquid vel plura, ita tamen, ut inde nihil contra nos ſequi poſſit ſeu

ſeu ut res noſtra ejusque vel veritas vel gravitas ne minimum quidem perdat; v. c. *Faciamus*, (ſ. *fingamus*), *ita eſſe: non tamen hinc ſequitur, quod illi elicere conantur* etc. *Largior, rem non ſaepe accidiſſe: propterea tamen non ſequitur, rem plane nunquam factam eſſe vel fieri non poſſe.* Ineſt ſane gravitas, quia ſic indicamus, nos non omnia ad nos cupide trahere: quod interdum eſt ſignum malae cauſae ac ſuſpectos nos reddit: ſed paucis contentos eſſe vel tantum iis, quae certiſſima ſint, uti etc. Cicero ita ſaepius.

V. c. Ligar. 6 *Fuerint cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: ſceleris vero crimine, furoris, parricidii, liceat Pompejo mortuo, liceat multis aliis carere:* ubi *fuerint* eſt pro *concedo Pompejanos fuiſſe cupidos, iratos* etc. — Roſc. Am. 38 eſt gravis conceſſio cum conditione conjuncta: *Niſi intellexeritis, judices, nullum eſſe officium, nullum jus tam ſanctum atque integrum, quod non ejus ſcelus atque perfidia violarit et imminuerit; virum optimum eſſe judicatote.* Sermo eſt de Capitone. Cicero hic plura concedit, quam poſtulari poterant: neque vero quidquam gravius dici poterat: intelligitur enim, Capitonem fuiſſe hominem nequiſſimum omnium. — Add. Divin. in Caecil. 9 in. *Cognoſce ex me, quoniam hoc primum tempus diſcendi nactus es, quam multa eſſe oporteat in eo, qui alterum accuſet: ex quibus ſi unum aliquod in te cognoveris, ego jam tibi ipſe iſtud, quod expetis, mea voluntate concedam:* quae deinceps recenſet. Quid gravius dici poterat? Nonne hinc intelligitur, quam parum aptus ad accuſandum Caecilius fuerit?

XVII) *Praeteritio* h. e. cum confirmamus, nos multa de aliquo homine vel de re dicere aut praeterea addere poſſe, ſed conſulto ea praeterire, aut, quia per temporis anguſtiam non illa omnia adferre liceat, aut, quia e paucis a nobis dictis res ſatis adpareat, vel aliam ob cauſam. Indicat hoc, nos magna copia de re dicendi inſtructos eſſe, et auctoritatem majorem nobis conciliat, atque ita gravitatem rei adjuvat.

Praeteritio iſta eſt duplex:

1) *Vera* h. e. quando vere multa praeterea dicenda praeterimus, neque res praetereundas recenſemus, ſed tantum in univerſum confirmamus, nos praeterituros eſſe multa; v. c. *Multa praeterea hanc in rem dicere poſſim: ſed quid opus eſt, cum res jam manifeſta ſit?* vel *ſed praeterire cogor ob temporis brevitatem* etc. — Saepe ita Cicero. Roſc. Am. 33 extr. *Permulta ſunt, quae dici poſſint, quare intelligatur, ſummam tibi facultatem fuiſſe maleficii ſuscipiendi: quae non modo idcirco praetereo, quod te ipſum non libenter accuſo, verum eo magis etiam, quod, ſi de illis caedibus velim commemorare, quae tum factae ſunt iſta eadem ratione, qua Sex. Roſcius occiſus eſt, vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.* Graviter dictum: praeteritio conjuncta eſt cum tecta inſectatione aliorum. — Cic. Verr. I, 17 *praetermittam minora omnia, quorum ſimile forſitan alius quoque aliquid aliquando fecerit: nihil dicam, niſi ſingulare, niſi quod, ſi in alium reum diceretur, incredibile videretur.* — Cic. Verr. IIII, 26 in. *Nullo modo poſſum omnia iſtius facta aut memoria conſequi aut oratione complecti; genera ipſa cupio breviter attingere.* — Manil. 9 extr. *Multa praetereo conſulto: ſed ea vos conjectura perſpicite* etc. — add. Cic. Verr. I, 16, ubi excuſat ſe Cicero, quod tam breviter loquatur de criminibus Verris: *Nolite, quaeſo, judices, brevitate orationis meae potius quam rerum ipſarum magnitudine crimina ponderare. Mihi enim properandum neceſſario eſt, ut omnia vobis, quae mihi conſtituta ſunt, poſſim exponere.* — Cic. Philipp. II, 23 *notabo tamen ſingulas res: etſi nullo modo poterit oratio mea ſatisfacere veſtrae ſcientiae* h. e. *etſi non poſſum tot res vobis narrare, quot jam noſtis.*

2) *Simulata* h. e. ubi dicimus, nos res multas non prolaturos eſſe, ſed tamen ſummatim ſaltem eas recenſemus. Et de hoc genere praeteritionis in libellis rhetoricis maxime exponi ſolet. Cic. Verr. I, 12 in. *Itaque primum illum actum iſtius vitae turpiſſimum et flagitioſiſſimum praetermittam: nihil a me de pueritiae ſuae flagitiis peccatisque audiet: nihil ex illa impura adoleſcentia: quae qualis fuerit, aut meminiſtis, aut ex eo, quem ſui ſimillimum produxit, recognoſcere poteſtis. Omnia praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur: neque ſolum, quid iſtum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, conſiderabo. Vos, quaeſo, date hoc et concedite pudori meo, ut aliquam partem de iſtius impudentia reticere poſſim. Omne illud tempus, quod fuit ante quam iſte ad magiſtratus remque publicam acceſſit, habeat per me ſolutum ac liberum. Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus ac vigiliis, Lenonum,*

Lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat. Damna, dedecora, quae res patris ejus, aetas ipsius, pertulit, praetereantur. Lucretur indicia veteris infamiae. Patiatur ejus vita reliqua me hanc tantam jacturam criminum facere. Quis hujus praetermissionis gravitatem non sentit? Sed istae res proprie non praetermissae sed modo breviter summatimque enarratae sunt. — Cic. Manil. 16 *De hujus autem hominis* (Pompeji) *felicitate — hac utar moderatione dicendi, non ut* etc. ac statim: *Itaque non sum praedicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiaeque, terra marique, quantaque felicitate gesserit, ut* (i. e. quomodo) *ejus semper voluntatibus non modo cives adsenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.* Est gravis praetermissio ac gravior, quam si late singulas has res dicendo persecutus esset. — Cic. Agr. I, 7 *Non queror deminutionem vectigalium, non flagitium hujus jacturae atque damni. Praetermitto illa, quae nemo est quin gravissime et verissime conqueri possit, nos caput patrimonii publici, pulcherrimam populi romani possessionem, subsidium annonae, horreum belli, sub signo claustrisque reipublicae positum vectigal, servare non potuisse: eum denique nos agrum P. Rullo concessisse, qui ager ipse per sese et Sullanae dominationi et Gracchorum largitioni restitisset. Non dico, solum hoc in republica vectigal esse, quod, amissis aliis, remaneat, intermissis, non conquiescat, in pace niteat, in bello non obsolescat, militem sustentet, hostem non pertimescat. Praetermitto omnem hanc orationem et concioni reservo.* Hic Cicero late rem explicat, et tamen ait se praetermittere eam, quia non satis copiose, more suo, explicaverit. — Cic. Philipp. II, 25 *Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam?* Et addit causam: *cogebat egestas; quo se verteret, non habebat.* Cicero itaque excusat Antonium: quid gravius dici poterat? Et paulo post: *Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de nequissimo genere levitatis.*

Sed in hujus figurae usu tenendum, nos non debere praetermittere res, nisi vel sint leves vel fine iis oratio jam satis certa et firma sit. Stultum foret, ea ubique temere uti, et, ubi v. c. argumenta ponenda sint, ibi *praetermissione* eorum uti vel fortiora praeterire et leviora ponere.

XVIII) *Dubitatio* h. e. quando dicimus, nos nescire, ob copiam materiae vel argumentorum, unde inci-

piamus, quid primum vel praecipue proferamus, ubi desinamus etc. Gravitatem haec ratio adjuvat, et scriptori, maxime tamen oratori apud plebem (nam eruditus hoc artificio non facile capi solet), auctoritatem conciliat: putant enim lectores et auditores, oratorem vel scriptorem, qui tanta rerum et argumentorum copia abundet, rem certissimam et gravissimam tradere. Per se vero patet non nisi de re gravi usurpari istam figuram apte posse. Saepe ita Cicero.

V. c. Manil. 1 extr. *hujus autem orationis* (de Pompejo) *difficilius est exitum quam principium invenire.* Inest dubitatio tecte: quasi dicat: *dubito, qua ratione de Pompejo dicendi finem facere possim:* quod sane graviter dictum est h. e. *indicat virtutem Pompeji maximam esse.* Cic. Marcell. 4 extr. *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde* (sic Edit. Graev., sed *ne hoc — non perinde* Edit. Ernest.) *intelligi auditu possit, atque ipse cogitans sentio: ipsam victoriam videris vicisse, cum ea, quae illa erat adepta, victis remisisti.* Dubitat Cicero, an sententiam hanc: *ipsam victoriam vicisse videris* satis exprimere verbis possit: quae dubitatio indicat, quam ingens ipsi videatur illa sententia. — Alio adhuc dubitationis genere usi sunt prisci oratores, cum dicebant, se dubitare s. incertos esse, s. nescire, quid ipsi vel ii, quorum causam agebant, agerent, quo confugerent. Quo pertinet illud Gracchi ap. Cic. Orat. III, 56: *Quo me miser conferam? quo me vertam? In Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. An domum? matremne ut miseram lamentantemque videam et abjectam?* quod imitatus videtur Cicero Muren. 51 in. *quo se miser vertet? domumne? — an ad matrem* etc.?

XVIIII) *Occupatio* h. e. quando ipsi adferimus ea, quae contra nos nostramque sententiam dici vel alicui in mentem venire fortasse possint, sed ita, ut simul refutemus. Comparat ea ratio dicenti et scribenti non parum auctoritatis, quia declarat, eum in re tam certa versari, ut nihil vere objici possit, quoniam alioquin istas objectiones non tam ingenue protulisset. — Variae hic formulae usurpantur: v. c. *Scio, mihi objici posse: Fortasse tamen erunt, qui objiciant: At objecerit* vel *dixerit, aliquis*

quis etc. Sic Cicero millies. — Longiſſima occupatio eſt in Maniliana, ubi Cicero late refutat ea, quae Hortenſius et Catulus de Pompejo contra Mithridatem non mittendo dixerant cap. 17 ſeqq. — Add. ibid. cap. 20 *At enim nihil novi fiat* etc., cui objectioni Cicero ſtatim occurrit.

XX) *Praeparatio lectoris vel auditoris ad rem magnam:* v. c. his formulis: *Nunc venio ad rem ſingularem: Nunc vero adtendite ad rem extraordinariam: Iam ſequitur aliquid, quod omnia ſuperiora longe ſuperare videatur* etc. Saepius ita Cicero.

V. c. Verr. IIII, 45 in. *Audite etiam ſingularem ejus, judices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in his praeſertim ſacris polluendis* etc. Haec praemittit Cicero dicturus de ſigno Cereris per Verrem ſublato. — Sic, cum ibid. cap. 48 narrare vult, ſignum Cereris Ennenſis religioſiſſimum per Verrem quoque ſublatum, lectores ante cap. 47 ad hanc rem ſingularem audiendam his verbis praeparat: *Ad ea autem, quae dicturus ſum, reficite vos, quaeſo, judices, per deos immortales! per eos ipſos, de quorum religione jamdiu dicimus, dum id ejus factum commemoro et profero, quo provincia tota commota eſt. De quo ſi paulo altius ordiri ac repetere memoriam religionis videbor, ignoſcite. Rei magnitudo me breviter perſtringere atrocitatem criminis non ſinit.* Deinde incipit narratio ipſa. — Sic ibid. cap. 27 narraturus, quomodo Verres Antiocho regi Syriae multa egregia vaſa aurea, in his trullam et candelabrum Iovi Capitolino dedicatum, abſtulerit, incipit: *Venio nunc non jam ad furtum, non ad avaritiam, non ad cupiditatem, ſed ejusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atque ineſſe videantur, in quo dii immortales violati, exiſtimatio atque auctoritas nominis populi romani imminuta, hoſpitium ſpoliatum ac proditum* etc.

Tali ratione animi lectorum et auditorum magna rei idea ante implentur, quam res ipſa profertur: exſpectatio incenditur: cui ſi deinde rei magnitudo ipſa recte tractata reſpondet, maxime inflammetur animus audientium et legentium neceſſe eſt.

XXI) *Communicatio* h. e. cum auditores ac lectores quaſi in conſilium adhibemus de re aliqua, iisque per-

permittimus, quid de ea velint judicare; vel brevius sic: est *provocatio ad intelligentiam et judicium auditorum vel lectorum:* v. c. per formulas: *Ipsi haud dubie sentitis* etc.: *Videte, quam praeclara res sit: Ipsi judicate: Nemo vestrum erit, qui non statim perspiciat, qui non pro praeclara re habeat* etc. vel sic: *Quid de hac re statuendum sit, ipsi facile judicabitis, auditores.* — Ista ratio non modo commendat nos auditoribus vel lectoribus, quia suae intelligentiae et judicio tantum tribui vident, sed gravitatem quoque rei adjuvat. Nam lectoribus vel auditoribus judicium de re non relinquimus, nisi haec certissima sit: hinc auditor lectorve videns sibi relinqui judicium, rem pro certa habere cum oratore vel scriptore solet. — Hinc vero etiam patet, non nisi in manifesta re ista figura utendum esse. Cicero longe saepissime ea utitur: v. c. Verr. II, 4 *Ecquem existimatis unquam* etc. et statim: *Videte, quid potuerit, qui quatuor* etc. — Hinc toties in ejus orationibus est: *videtis, audistis, cognovistis, scitis, nonne videtis* etc.

XXII) *Oxymora* h. e. duae ideae, quae alibi sibi repugnant, ita junctae, ut sibi non vere repugnent, sed tantummodo repugnare videantur. V. c. de avaro eoque divite: *optat, quod habet* i. e. divitias. Inest argumentum stultitiae; quis enim optet, quod jam habet? At proprie falso dictum est: *avarus ille non optat id, quod habet* s. divitias, quas jam tenet, sed earum incrementum. Est lusus ingenii non verus: et acumen veritatis expers intelligentes vix moveat. Sic *cum tacent, clamant* est pro *clamare videntur.*

Totus locus proprie sic se habet Cic. Catil. I, 8: Cicero vult docere, senatores omnes ea, quae ipse contra Catilinam, quem hic adloquitur, dicat, probare, licet fileant; dicit ergo: *de te autem, Catilina, cum quiescunt* (h. e. cum nihil contra ea senatores dicunt, quae ego asperrime de te locutus sum), *probant: cum patiuntur* scil. me ita contra te loqui, *decernunt; cum tacent, clamant:* manifesto *probant, decernunt, cla-*

clamant dicta sunt pro *probare, decernere, clamare videntur* seu *silentio suo indicant, se probare ista a me dicta, se adeo decernere contra te, imo adeo clamare videntur:* quamquam ingenue fateor, τὸ *clamant*, si lusum ingenii excipis, parum aptum videri, et magis fervori animi Tulliani condonandum, quam inter venustates referendum esse. — Sic Iuno irarum plena de Trojanis Virgil. Aen. VII, 295 ait: *Num capti potuere capi?* Est lusus ingenii veritatis expers: nam, qui *captus est*, is capi non potuit. Sed dicere volebat: *num capti potuere capti manere?* vel *num vinci potuere?* vel *capti* est pro *capta urbe* (Troja). Ita mentem praecipitabat.

Hinc putem raro, in oratione quidem seria, oxymoris, licet lusu ingenii se commendantibus, nos uti posse. Pertinent enim inter enuntiationes minus subtiles ac tantum speciosas. Nihil veri continent, atque hominum mentem celeriter quidem invadunt, iisque ob hanc celeritatem placent: at, si deinde diligentius eorum sensum indagarunt, frigida esse reperiunt.

XXIII) *Ironia* h. e. quando de persona aut re, cujus conditio et ratio satis nota est, per simulationem aliter loquor ac verum est, ac v. c. vituperanda me laudare, laudanda vituperare, levia magni facere etc. simulo; v. c. de virtutis inimico: *videte, quanti virtutem aestimet: videte magistrum, unde virtutis et exemplar et praecepta capere possitis.*

Cic. Verr. II, 31 in. de Verre: *Retinete, retinete hominem in civitate, judices: parcite et conservate, ut sit, qui nobiscum res judicet, qui in senatu sine ulla cupiditate de bello et pace sententiam ferat.* — Cic. Verr. V, 10 de eodem Verre: *Habetis hominis consilia, diligentiam, vigilantiam, custodiam, defensionemque provinciae.* — *Ne diutius in tanta penuria virorum fortium talem imperatorem* (int. Verrem) *ignorare possitis, non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerenda celeritatem, neque ad hujus, qui postea fuit, singulare consilium, neque ad Pauli rationem ac disciplinam, neque ad C. Marii vim atque virtutem, sed ad aliud genus imperatoris* (Edit. Ern. *imperatorem*) *sane diligenter retinendum et conservandum, quaeso, cognoscite:* et ibid. cap. 11 *Quo loco mihi non praetermittenda videtur praeclari imperatoris* (Verris) *egregia ac singularis diligentia.* Gravius

ista

ista sunt, per ironiam dicta, quam si serio res dicta esset: magis ridiculus ita redditur Verres. — Cic. Catil. I, 2 *Si te jam, Catilina, comprehendi, si te interfici jussero: credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat.* Acrius *credo, erit verendum* est dictum pro *non erit verendum* etc. — Catil. IIII, 10, ubi Cicero se laudaturus, postquam de magnis imperatoribus dixit, addit: *erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae; nisi forte majus est patefacere nobis provincias, quo exire possimus, quam curare, ut etiam illi, qui absunt, habeant, quo victores revertantur.* Pro *nisi forte majus est* etc. volebat proprie dicere: *nisi forte minus est*; vel *nam forte minus* aut *non majus est.* Per *locum quem habere debent imperatores victores, quo revertantur* intelligit *Romam:* unde patet, Ciceronem se sensim praeferre istis imperatoribus.

Gravis est utique ironia, et Cicero saepissime ea cum gravitate utitur. Sed hodie tamen rarius ea utendum censuerim, in oratione quidem seria. Oratorem omninoque hominem gravem decet serio loqui. Quando vero nobis liceat hodie uti, non ausim definire. Omnia hic vertuntur in tempore, rei ratione, auditorum lectorumve conditione, ingenio denique dicentis ac scribentis. Cicero poterat ea facile uti in orationibus judicialibus, ubi tum oratores operam dabant omnem, ut adversarios ridiculos redderent; quod hodie non licet: deinde erat tum, cum Catilinariam scribebat, consul, omninoque vir magna auctoritate et ingenio: nec, quod uni licet facere, omnibus semper licet.

XXIIII) *Adjectio causae,* ob quam aliquid pro vero habendum sit. Nam, nisi res vera est, nec magna ac gravis esse potest. Dixi de adjectione causarum, quibus nihil magis necessarium esse potest, latissime supra cap. 1 de perspicuitate sect. 6 p. 528 ss., quae repetere hic non possum. Summatim sic tenendum: Omnia, nisi sint per se satis perspicua, debent confirmari causis s. argumentis, quo exempla quoque referre licet. Haec argumenta debent esse satis certa, satis multa, debent recte tractari h. e. ita, ut eorum vis adpareat; debent tandem omni occasione apte repeti.

Haec

Haec adjectio et repetitio causae s. argumenti potest fieri vel *diserte* per *Nam, cum, quia, quoniam, quo, quin* pro *quo non*, per *ut, propter, additius, motus, incitatus* etc. vel *tectius* h. e. ita, ut non a quovis statim animadvertatur, causam adjectam esse: id quod fit vel omittenda particula causali nec alia illi substituenda vel substituendo illi pronomine *qui quae quod* aut *si*, it. *Adpositione* sic dicta aut participio; it. periphrasi, in qua saepe argumentum inest; it. praeponendo adtributo rei loco causae: v. c. *quis est tam stultus, ut non intelligat* pro *quis est, qui non intelligat?* Haec omnia supra c. 1 sect. 6 p. 532 ff. late tractata sunt.

XXV) *Brevitas dicendi ea*, qua ideae ac verba nonnulla, quae e contextu intelligi possunt, omittuntur, atque ita ideae quaedam, quas arctius ob majorem gravitatem conjungere volumus, conjunguntur. Gravius enim feriuntur saepe animi auditorum et lectorum, quando statim ideas consequentes vident et audiunt. De hac brevitate dicendi supra P. I capite peculiari p. 483 ff. et 506 ff. diximus: quia vero non omnis brevitas est gravis, paucula exempla brevitatis gravis adferemus.

1) Omittitur nonnunquam notio antecedens (interdum plures) et statim consequens ponitur. V. c. *fortissime pugnans cecidit* pro *occisus est et cecidit:* nam τὸ *occidi* per se intelligitur. Sic *Regis epistola adfertur: accusati statim necantur* pro *regis epistola adfertur, in qua scriptum erat, ut accusati statim necarentur: atque ita accusati statim necati sunt.* — Cic. Verr. IIII, 40 in. *Vix erat hoc plane imperatum, cum illum* (Sopatrum) *spoliatum* (i. e. vestibus exutum) *stipatumque lictoribus videres:* ubi deest *detrahebatur de porticu*, in qua erat, et de qua in forum dejici Verres jusserat. — Cic. Verr. V, 54 *Haec cum maxime loqueretur, sex lictores eum circumsistunt valentissimi et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi: caedunt acerrime virgis* etc. pro *sex lictores eum accedunt et circumsistunt — exercitatissimi: expediunt virgas iisque caedunt* etc. At τὸ *accedere* et *expedire virgas* per se intelligitur: poterat et addere *vestes exuunt.* At Ciceroni non nisi τὸ *caedere virgis* grave isto loco videbatur: hinc celeriter hoc narrare cupiebat. — Sallust. Iug. 12 extr. de Hiempsalis caede: *cum Hiempsal reperitur, occultans*

sese

sese tugurio mulieris ancillae quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput ejus, ut jussi erant, ad Iugurtham referunt pro *Numidae igitur caput abscidunt, et hoc, ut jussi erant* etc., sed *τὸ abscidere* per se intelligitur. — Liv. I, 28 de Metio Fufetio: *Exinde duabus admotis quadrigis in currus earum distentum illigat Metium: deinde in diversum iter equi concitati lacerum corpus in utroque curru — portantes* pro *equi concitati sunt, lacerantes corpus, et corpus sic lacerum* etc. At quam languide dictum id foret? — Virg. Aen. IIII, 582 *Litora deseruere: latet sub classibus aequor* pro *Litora deseruere, classes* h. e. naves *in mare deduxere: et jam latet* etc. At illud gravius et celeritati exprimendae aptius: plura exempla vid. in cap. de *brevitate*. In primis saepe omittitur ante *enim* enuntiatio, ad quam *τὸ enim* proprie refertur: v. c. Cic. ad Div. VIIII ep. 14 §. 14 *Contigit tibi, — ut summa severitas animadversionis* (in tumultuantes) *— popularis esset. — Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae. Sed contigit magnitudine tum animi tum etiam ingenii atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius.* Verba *legi enim* etc. non sunt proprie causa praecedentium, sed debebat proprie dici: *tum etiam ingenii atque consilii: id quod* s. *quae* scil. magnitudo *e tua oratione ad populum habita elucet: legi enim* etc. Ibid. §. 9 *Nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius* etc. Ante *Nihil est enim* omissum est cogitarive potest *Hujus mei tanti amoris erga te causa sola est virtus tua,* vel simile quid. Cic. Manil. 15 extr. de Pompejo, in hibernis parcente sociis: *Non modo, ut sumtum faciat in milites, nemini vis adfertur, sed ne cupienti cuiquam permittitur. Hyemis enim, non avaritiae, perfugium nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt:* ubi ante *Hyemis enim* etc. deest aut deesse videtur *Et hac in re recte* vel *e legum praescripto agit* vel simile quid. — Sed, quidquid omissum cogitari potest, id, si additum fuisset, languidiorem orationem reddidisset. Celeriter et commoto animo loquentes non singula recensere possunt: et ex hac re judicat auditor, oratorem commotum esse, et sensim ipse commovetur. Plura exempla vid. in cap. de *brevitate* p 506 ff.

2) *Omittitur* non raro *copula* inter vocabula et membra, quia saepe impedit, quo minus ideas graves satis celeriter lector percipiat atque ita sentiat. Huc pertinet illud *veni, vidi, vici:*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0172
DFG

vici: quod gravius est, quam *veni, vidi* et *vici.* Sic Cic. Catil. I, 3 extr. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo non audiam* etc. cap. 5 *non feram, non patiar, non sinam.* Cic. Catil. II, 1 *Abiit, excessit, evasit, erupit;* quam languide dixisset *atque erupit!* Cic. Cluent. 66 *Nihil est enim mali, nihil sceleris, quod illa non ab initio filio voluerit, optaverit, cogitaverit, effecerit.* Cic. Philipp. III, 14 *Nostis insolentiam Antonii, nostis amicos, nostis totam domum. Libidinosis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis servire, ea est summa miseria* etc. Ac sic millies.

Est omnino hic mos commoto animo loquentium, ut copulam omittant, festinante animo fervido et mentem linguamque praecipitante atque festinare aeque jubente.

3) *Omittitur interdum objectum:* v. c. in illo: *veni, vidi, vici,* ubi deest is, quem *vidit, vicit,* Caesar. At facile intelligi poterat Pharnaces: atque ita tres ideas *venire, videre* (hostem), et *vincere* arctius conjungere licebat, ut victoriae celeritas et facilitas indicaretur. — At haec omissio, ut per se patet, non locum habet nisi in re satis nota. Sic illud Aristippi ap. Cic. ad Div. VIIII ep. 26 §. 6. *Habeo, non habeor a Laide:* pro *Habeo Laidem* s. *Laida:* et praecesserat *eum habere Laida.* Sic Senec. de ira I cap. 16 de adfectibus loquens: *Habent, non habentur* (i. e. *domantur*). Et Epist. 8 post init. *In quibus* (viscatis beneficiis) *hoc quoque miserrimi fallimur, quod habere nos* (ea) *putamus; habemur* scil. ab iis. Plin. VIIII epist. 30 extr. *ea invasit homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videantur;* ubi et ad *habendi* et ad *possidere* deest accusativus: qui tamen facile intelligitur. Huc pertinet illud: *Oderint, dum metuant.* Sic Virgil. Aen. IIII, 581 *rapiuntque ruuntque* ad celeritatem exprimendam: ubi accusativus ad τὸ *rapiunt* deest.

Not. quaeritur, an etiam subjectum omitti possit: faciunt hoc interdum homines prae nimia vel ira vel laetitia, ut id, de quo loquuntur, non nominent. Cicero quidem ita agit, ut v. c. Verrem saepe haud nominet, sed dicat *iste* vel *hic,* quia eum ut praesentem considerat vel etiam per contemtum. Quod an nos hodie imitari debeamus, valde dubito; nisi subjectum non longe praecessit, quia alioquin perspicuitas violetur. In forensibus orationibus Romanorum facilius hoc poterat tolerari, quia reus aderat, et auditores statim, quis intelligeretur, sentiebant.

4) *Omittitur saepe* in comparationibus id vocabulum, quod comparationi servit, v. c. *velut, quasi* etc., ut adeo ho-

mo vel res dicatur id ipsum esse, cujus tantum similis est. V. c. *pulvis et umbra sumus: honos est fumus: tu es mihi pater: dixit Iuno illa* de muliere imperiosa etc: quae omnes sunt metaphorae: unde patet, metaphoram constare sola omissione particulae comparativae, et nihil aliud esse quam genus brevitatis dicendi. — Pertinent huc quoque forsitan omnia fortiora vocabula, de quibus infra dicetur, v. c. Cic. Phil. II, 14 *agrorum nundinae* pro *venditione:* dictum est pro *quasi nundinae:* at incitate loquens omittit particulam *quasi;* ut exempla conviciantium de plebe satis docent. — Huc pertinent quoque oxymora: v. c. *cum tacent, clamant* i. e. *quasi clamant; cum ratione insanire* etc. Nam *otium negotiosum* non pertinet inter oxymora: quia *otium* hic est vacatio a munere publico: at quid impedit, quo minus homo, postquam ea, quae ad munus publicum pertinent, egit, atque nunc otium nactus est, hoc otium conferat ad alia negotia, v. c. legendos, scribendos, libros. Sic Scipio dixit, *se nunquam minus esse otiosum, quam cum esset otiosus*, Cic. Off. III, 1. Non igitur inest repugnantia, nisi in literis s. elementis. Sed omnis repugnantia debet inesse in notionibus: an quoque in literis inesse queant, viderint ii, qui illud inter oxymora referunt.

XXVI) *Brevitas dicendi ea,* qua paucioribus vocabulis plures ideae, imo singulis vocabulis totae enuntiationes, exprimi possunt. Adjuvat ea celeritatem declarandi nostras cogitationes atque ita gravitatem dicendi: nam, quo celerius illae ab auditore et lectore audiuntur et percipiuntur, eo gravius saepissime sentiuntur. Diximus de hac re late P. I in cap. de *brevitate dicendi* p. 497 ff.

Hic tantum haec in universum dicemus:

1) paucioribus vocabulis plures notiones exprimuntur, v. c. *es similis patris* pro *es tali animo, quali pater tuus solebat* vel *solet esse: vita tua respondet spei hominum* pro *tu vivis ita, ut homines credebant te vitam esse acturum:* sic *exitus non respondet meae exspectationi* pro *res non talem exitum habet, qualem ego exspectabam: primus hoc feci* pro *primus sum, qui hoc fecerim: Iste se omnibus praefert* pro *putat se esse superiorem omnibus* etc.

2) uno

2) uno vocabulo duae ideae exprimi poſſunt, ſeu unum vocabulum pro duobus poni poteſt, v. c. *quin* pro *cur non, ut non: ita* pro *hoc conſilio, hoc effectu* etc.: *hic* pro *hac in urbe: unde* pro *a quo, e quo, qua ex re* etc.: *libentiſſime* pro *ſumma cum voluptate: contemno* pro *non timeo; negligo* pro *non curo* etc.: *qui cum* pro *cum vero* (vel *igitur*) *hic: participium* pro Verbo cum particula *poſteaquam* etc. vel cum pronomine *qui: propter* et *per* cum ſuo caſu in unum vocabulum contractum, v. c. *invides meae felicitati* pro *invides mihi ob meam felicitatem: peperci hominis adoleſcentiae* pro *peperci homini ob adoleſcentiam: occupatio tua poteſt mihi denegare* pro *potes mihi denegare propter occupationem tuam: virtus tibi ſummos honores peperit* pro *per virtutem tibi peperiſti ſummos honores.* Exempla e Cicerone reperies ſupra in cap. de *brevit.* p. 471 — 483.

3) uno vocabulo tota interdum enuntiatio exprimi poteſt. V. c. a) *At* in objectionibus pro *poſſit mihi objicere aliquis* etc. v. c. pro his verbis: *poſſit mihi aliquis objicere, rem eſſe nimis difficilem; ſed reſpondeo, multos jam eam egiſſe,* poteſt brevius dici: *At res eſt nimis difficilis; At multi egerunt:* nam et in reſpondendo objectionibus τὸ *at* repeti poteſt. Sic b) *quod* pro *quod ad id attinet, quod*, v. c. *Quod autem nonnulli rem iſtam negant, manifeſto errant* ſeu *in eo manifeſte errant.* c) *ita* in jurando pro *quam verum eſt me optare, ut hoc vel illud fiat*, aut brevius: *quantopere opto, ut* etc., ſequente *ut* pro *tam verum eſt me quoque optare, ut* etc., aut brevius pro *tantopere opto quoque, ut* etc., ſi *ut* cum conjunctivo ponitur, vel etiam pro *tam verum eſt, hoc illudve accidiſſe, ſe habere* etc., ſi τὸ *ut* indicativo jungitur. Exemplum prioris generis: *Ita deus me in omnibus rebus adjuvet, ut reipublicae omnia bona contingant* pro *Quam verum eſt me optare* ſ. *quantopere opto, ut deus me in omnibus rebus adjuvet, tam verum eſt quoque me optare* ſ. *tantopere opto, ut reipublicae omnia bona contingant.* Exemplum alterius generis, ubi *ut* indicativum habet, hoc eſto: *Ita tibi omnia ex ſententia cedant, ut rem non recte egiſti* pro *Quam verum eſt me optare, ut tibi omnia ex ſententia cedant, tam verum eſt, te rem non recte egiſſe.* d) *quicunque* ſ. *quisquis venit* aut *dicit* pro *veniat, dicat, quicunque* ſ. *quisquis velit venire, dicere.* e) *participium* pro *cum, poſtquam, dum* ſeq. Verbo: v. c. *dicebat haec proficiſcens* pro *cum proficiſcebatur, proficiſci parabat.* f) *ſubſtantiva, adjectiva, praepoſitiones* cum ſuis caſibus pro *cum, dum, poſtquam* etc. ſeq. verbo: v. c. *ſenex* aut *puer, iſta didicit* pro *cum ſenex*

aut *puer, erat: Cicero hoc fecit consul* pro *cum consul erat, cum consulatum gerebat: post mortem patris, ex morte patris* etc. pro *postquam pater mortuus erat.* g) *utinam* pro *quam optandum est, ut* etc. v. c. *Quod utinam omnes faciant* h. e. *Wie sehr ist zu wünschen, daß dies jedermann thun möchte: utinam te deus salvum mox reducat! wie sehr wünsche ich* vel *ist zu wünschen, daß dich* etc. h) *falso, recte, non injuria* pro *falso dixit, egit, recte dixit, egit* etc., *non injuria hoc factum est* etc.: v. c. *Multi hanc rem pro nimis ardua habent. Falso* vel *Male:* pro *et hac in re falso* vel *male loquuntur, agunt.* Sic *Laudatur vulgo virtutis praestantia. Recte* s. *praeclare* h. e. *in eaque re recte* s. *praeclare agunt.*

De his singulis supra P. I cap. 10 de *brevitate* sect. II n. 1 p. 497 ff. latius diximus et exempla e priscis, maxime Cicerone, congessimus, quae videri possunt.

XXVII) *Abruptum dicendi genus* h. e. quando ideae non inter se cohaerent, quia idea una, interdum plures, quarum ope illae cohaerere debebant, omissae sunt. Est igitur genus quoddam ellipseos. Mos vero est hic incitate loquentium, ut eorum lingua unam alteramve ideam facile transiliat. V. c. *tale quid fieri potuisse?* ubi intell. *credibile est*, vel simile quid. Quae ratio valde gravitati prodest: indicat enim animum maxime commotum et admirationis maximae simul plenissimum: hinc ea nemini uti licet, nisi hoc animo vere sit.

Sic Cic. Verr. V, 44 med. *Hic cuncti Siculi fidelissimi atque antiquissimi socii, plurimis adfecti beneficiis a majoribus nostris, graviter commoventur, et de suis periculis fortunisque omnibus pertimescunt. Illam clementiam mansuetudinemque nostri imperii in tantam crudelitatem inhumanitatemque esse conversam? condemnari tot homines uno tempore nullo crimine? defensionem suorum furtorum praetorem improbum ex indignissima morte innocentium quaerere.* Hic ob commotum animum omissum est id, a quo verba *illam clementiam — esse conversam?* et verba *condemnari tot homines* etc. *praetorem quaerere defensionem* etc. pendeant. Intelligendum est *num credibile est* vel simile quid. — Eodem modo nostri in simili animi permotione loquuntur: *daß ich doch das gethan habe! daß ich doch nicht hingegangen bin! daß er doch nicht geschrie-*

geſchrieben hat! vel *und ich, das zu thun? und ich nicht hinzugehen? und er nicht zu ſchreiben?* et forſitan in omnibus linguis vel potius omnibus nationibus hoc uſitatum eſt. Nam ira ubique dictat verborum connexionem eandem h. e. saepe nullam. Saepius ita Cicero et alii. Cic. Roſc. Am. 22 legitur in editionibus: *Quid poſtea? Erat ſane ſuſpicioſum. Neutrum ſenſiſſe? auſum autem eſſe quemquam ſe in id conclave committere, eo potiſſimum tempore, cum ibidem eſſent duo adoleſcentes filii, qui et ſentire et defendere facile poſſent.* Hic igitur in verbis *neutrum ſenſiſſe?* et in verbis *auſum autem quemquam* etc. foret illud abruptum dicendi genus: ſed arbitror ſignum diſtinctionis poſt *ſuſpicioſum* eſſe delendum. Hoc mihi tam certum eſt, ut, quotiescunque in hunc locum inciderim, semper crediderim ſignum iſtud diſtinctionis peccato typothetarum in textum irrepſiſſe. Melius haud dubie eſt, orationem hic cohaerere. Cicero non loquitur de ſua cauſa ſed de aliena: cur Ciceroni opus erat hic animo tam commoto et incitato loqui atque abrupto dicendi genere uti? Et hoc non ubique inculcare debemus. Oratio praeclare cohaeret: *erat ſane ſuſpicioſum, neminem ſenſiſſe, et auſum quemquam eſſe* etc. — Aliud genus abrupte loquendi eſt Cic. Catil. I, 9 in. *Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam meditere? tu ut ullum exſilium cogites?* Deeſt, unde pendeat *ut*: forſitan intelligendum *fierini poteſt* aut *poſſit*, vel ſimile quid. Sic et noſtri: *du ſollteſt dich beſſern?* Eod. cap. extr. *aquilam — ſciam eſſe praemiſſam? tu ut illa diutius carere poſſis, quam venerari — ſolebas? du ſollteſt ihn lange miſſen können?* ubi *fierine poteſt* itidem intelligere licet, quamquam ob τὸ *poſſis* paulo inſolentius fit: poteſt et aliud quid intelligi. — Aliud genus abrupte loquendi eſt, quando verba ſequentia deſunt, ſine quibus praecedentia vel non vel aegre intelligi poſſunt. Vocatur in libellis rhetoricis *apoſiopeſis;* poſſis, ſi latine ac ſimul perſpicue loqui malis, vocare *ſilentium repentinum* vel *ſilentium in medio contextu orationis;* Cicero *reticentiam,* Orat. III, 53, Celſus apud Quintil. VIIII, 2 *obticentiam* appellavit: quae adpellationes iis, qui graeca inculcari nolunt, magis placebunt. — Sed haec *reticentia* eſt duplex: a) quando in ſermone familiari orationem repente abrumpimus, quia nolumus alium quendam, qui forſitan illi intereſt, audire aliquid, quod tantum auribus familiariſſimorum credimus. Item in Epiſtolis Cicero interdum orationem abrumpit, quia is, ad quem ſcribit, ea, quae omittuntur, per ſe intelligit. V. c. ad Div. XIIII ep. 3 §. 9 *Si perficitis, quod agitis, me ad*

ad vos venire oportet; ſin autem: ſed nihil eſt opus reliqua ſcribere poſt *ſin autem* deeſt *nihil perficitis* vel ſimile quid; ſed, quae deinceps ſequi debebant, nemo praeter Terentiam et liberos Ciceronis, ad quos epiſtola ſcripta eſt, intelligere poteſt. Haec reticentia non eſt gravis, niſi forte putemus prae nimio dolore Ciceronem iſta omiſiſſe: quod non incredibile. b) quando animus nimis commotus linguam mentemque ita praecipitat, ut hae nonnullas ideas et verba prae nimia feſtinatione transſiliant et omittant. Huc pertinet illud ap. Virgil. Aen. I, 135 (139) *Quos ego; ſed motos* etc. ſatis decantatum. Tali reticentia abstinendum hodie cenſeo, ſaltem in oratione ſeria; quia hominem honeſtum et gravem non decet animi permotionibus nimis abripi: hoc minuit auctoritatem. — Eſt et aliud reticentiae gravis genus, quando rem turpem, atrocem, vel nimis injucundam ſilemus, ſperantes, noſtram mentem a lectore vel auditore quodam modo intellectum iri. Sic Virg. Ecl. III, 7 ff. loqui videtur Damoetas cum Menalca: *Parcius iſta viris tamen objicienda memento: Novimus et qui te, transverſa tuentibus hircis: Et quo, ſed faciles Nymphae riſere, ſacello.* Hic ad *te* aliquid deeſt: quid? neſcimus: videtur turpitudo aliqua latere. Talis reticentia laudanda eſt. Cic. ad Div. XII ep. 6 §. 4 Caſſio ſcribit de Bruto plenus aegritudinis et angoris: *Res, cum haec ſcribebam, erat in extremum deducta discrimen. Brutus enim Mutinae vix jam ſuſtinebat. Qui ſi conſervatus erit, vicimus: ſin, quod dii omen avertant, omnis omnium curſus ad vos.* Hic ad *ſin* aliquid deeſt, v. c. *liberabitur obſidione* vel ſimile quid, quod Cicero ob rem ingratam omittebat: ſed facile intelligitur ex adjectis verbis: *quod dii omen avertant,* et e praecedentibus. Sed et hac reticentia in dicendo vel ſcribendo non facile utendum cenſeo, niſi addamus aliquid, unde omiſſa intelligi poſſint, imitantes Ciceronem, qui addidit: *quod dii omen avertant!* Tum iſtam reticentiam gravitati ſervire patet, quia, quae reticentur, ſaepe majora putantur quam ſaepe ſunt, et ipſa animi permotio, quae vel iſtam reticentiam comitatur vel inde elucet, gravitatem adfert, dummodo res ipſa ſit gravis, ne fluctus in ſimpulo excitare videamur. Auditor ſe facile accommodat ad dicentem, praeſertim ſi auctoritas, vox etc., adjuvent. Flente oratore magno facile flent quoque auditores.

XXVIII) *Oppoſitio idearum ſibi invicem contrariarum:* vulgo vocantur *antitheta.*

Haec

Haec oppositio 1) nihil aliud est proprie quam brevis comparatio duarum rerum contrariarum: hinc 2) non tam ad suavitatem, quamquam etiam ad hanc, quam ad gravitatem dicendi pertinet: nam v. c. pulchritudo rei e turpitudine alius rei addita magis elucet, et turpitudo rei, addita alius rei pulchritudine, crescere et magis sordere videtur. Est hoc rei naturae conveniens. 3) non modo ideae proprie sibi contrariae huc pertinent, sed omnes ideae, quae quadam relatione diversae sunt certoque in contextu sibi opponuntur, v. c. *abire, redire, fallere, falli* etc. 4) oppositio ista debet, quantum fieri potest, concinna esse h. e. sibi aequali numero idearum respondere, quod numeri oratorii nomine insigniri solet, v. c. si unum antithetorum una idea constat, alterum quoque una constare debet, sin unum duabus, tribus pluribusve, ideis continetur, alterum totidem ideis, atque ita totidem verbis, contineri deceat. V. c. Cic. Mil. 4 *Est haec non scripta, sed nata lex, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti, sumus:* Hic *scripta* et *nata, docti* et *facti, instituti* et *imbuti* sibi opponuntur. — Cic. Catil. II, 11 *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus* etc., ubi *pudor* et *petulantia, pudicitia* et *stuprum* etc., sibi opponuntur. It. *hinc* et *illinc* non modo sibi opponuntur ibi, sed etiam crebro repetuntur; quod auget gravitatem. — Cic. Verr. III, 92 *Vides eandem aestimationem propter temporis dissimilitudinem in illo* (Sacerdote) *laudis causam habere, in te criminis; in illo beneficii, in te injuriae:* ubi iterum est duplex oppositio in eadem enuntiatione: opponuntur enim primum *in illo* et *in te* — deinde *laudis* et *criminis, beneficii* et *injuriae.* Ibid. c. 4 extr., ubi Verres cum L. Mummio comparatur: *plures hic* (Verres) *solus villas ornamentis fanorum, quam ille* (Mummius) *fana spoliis hostium ornasse (videatur)?* Cic. Cluent. 2 *dominetur* (invidia falsa) *in concionibus, jaceat in judiciis* etc. Cic. Verr. V, 6 *ut, quam damnatis servis crucem fixeras, hanc indemnatis civibus romanis reservares.* Plura vid. supra p. 274 ff. P. I cap. 6 de *numeris oratoriis.* 5) in oppositione videndum, ut ideae sibi contrariae arctius jungantur: sic gravitas crescit. V. c. *fugiebat conventus sapientium, stultorum usu delectabatur* gravius dicitur, quam si ordinem verborum immutes. Sic *cave, ne, dum alios studeas fallere, fallaris ipse* gravius est dictum, quam *cave, ne, dum fallere alios studeas, ipse fallaris.* Sic *mortalem immortales inimicitias exercere non decet:* non *mortalem inimicitias immortales* etc. Sic *hominem decet mortales*

inimicitias, amicitias immortales, habere vel *hominem decet inimicitias mortales, immortales amicitias, habere*, utrumque recte dicitur, quia illic *inimicitias* et *amicitias* hic *mortales* et *immortales* arctissime conjunguntur. Minus grave foret: *hominem mortales inimicitias decet habere et immortales amicitias*. Sic *corpore cum simus mortali, immortalem nominis famam adpetamus*. Sic *corporis mortalitatem nominis immortalitate compensemus* vel *mortalitatem corporis nominis* etc., sed illud melius. Sic *res est haud dubie utilis, necessaria nullo modo*. Sic apud Cic. Orat. 63 e Carbonis oratione: *patris dictum sapiens temeritatem filii comprobavit:* ubi *sapiens* et *temeritatem* non sine gravitate juncta sunt: ac forsitan haec conjunctio idearum sibi contrariarum, praeter vocem, effecit, ut populus ista verba audiens tantopere exclamaret (ut Cicero ibi narrat), non ditrochaeus in *comprobavit*, ut Cicero putavit; de qua re supra p. 286 f. in cap. de *numero* dixi. — Pertinent huc oxymora, v. c. *cum tacent, clamant:* quae brevitate atque ita arctiori conjunctione graviora fiunt. Si Cicero dixisset v. c. *Cum tacent hi viri, profecto, Catilina, clamant*, omnis gravitas periisset.

XXVIIII) *Honestatis virtutumque studium per totam orationem* adparens, cum v. c. de virtute semper tanquam de re certissime praeclara ac divina, de vitio semper ut de re turpi homineque indigna, loquimur, nec unquam ambigue aliquid dicimus, unde possit colligi, nos non vere amantes esse virtutum. Sed, ut hoc studium virtutis recte declarare possimus, debemus esse illa instructi. Nam nihil est difficilius quam virtutis, qua careas, studium simulare. Ac praeterea, si homines nos norunt esse vitiorum amantes, nostra oratio, licet sit virtutum omnium plenissima, tamen fide, auctoritate et gravitate, carebit. Nemo gravius de virtute loquitur, quam qui eam tenet. Qui non rem vere et graviter sentit, quomodo is eam vere et graviter eloqui potest? Adeo verum est *pectus esse, quod disertos faciat:* ac neminem ad gravitatem dicendi omninoque ad eloquentiam aptiorem esse quam virtutis vere studiosum. Res ipsa loquitur.

XXX)

XXX) *Repetitio eorundem vocabulorum*, graves ideas continentium. V. c. *Si lacrymae nihil prosunt, quid lacrymis indulges?* gravius est dictum quam *quid iis indulges?* Sic *Si Christi nomen profitemur, nonne Christi vitam imitari debemus?* gravius est dictum quam *nonne ejus vitam* etc. vel *nonne magistri nostri vitam* etc. Sic Cicero saepissime.

V. c. Verr. III, 94 post init. *Utrum, cum judices sitis de pecunia capta, conciliata, tantam pecuniam captam negligere (potestis)?* gravis est repetitio *de pecunia capta* et *pecuniam captam: rè conciliata* hic melius, puto, abesset; et statim: *an, cum lex sociorum causa rogata sit, sociorum querimonias non audire?* recte repetitur *sociorum:* languidum *eorum* fuisset. — Cic. Arch. 2 extr. *Quod si mihi a vobis tribui concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis, a numero civium, verum etiam si non esset, putetis adsciscendum fuisse.* Egregie *civis* et *civium:* nam de hac re, an Archias pro cive sit habendus, est quaestio. Ibid. cap. 4 med., postquam Cicero docuit, civitatem Archiae, quamquam non per tabulas publicas, quia tabularium flammis interierit, tamen per testimonia virorum fide dignorum demonstrari posse, addit ad refellendum accusatorem Archiae: *Est ridiculum ad ea, quae habemus* (i. e. testimonia hominum), *nihil dicere: quaerere, quae habere non possumus* (i. e. testimonium tabularum publicarum): *et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare.* Graviter dictum *de memoria* et *memoriam*, ut ridiculos reddat eos, qui ad tabulas publicas provocent. — Cic. Phil. II, 22 extr. *Omnia perfecit* (Antonius) *quae senatus, salva republica ne fieri possent, perfecerat: cujus tamen scelus in scelere cognoscite:* ubi duplex repetitio, eaque gravis, *perfecit* et *perfecerat, scelus* et *scelere.* In his omnibus gravitas augetur arctiori conjunctione horum vocabulorum. — Sic Cic. Mil. 11 *Insidias factas esse constat, et id est, quod senatus contra rempublicam factum judicavit: ab utro factae sint, incertum est.* Gravis est repetitio *factas, factum, factae:* nec erat, quod Cel. Ernesti illam in Prolus. de *grata negligentia* pro tali negligentia haberet. Haud dubie Cicero hoc vocabulum de industria repetiit; dicit: a) *factum* constat: Cicero vero intelligit per *factum* callide *insidias*, cum senatus dixerit *caedem Clodii factam esse contra rempublicam* cf. cap. 5. b) *factum* i. e. e mente senatus *Clodii caedes*, e mente Ciceronis

insidiae, est contra rempublicam. c) *facti* vero *auctor* incertus est h. e. incertum est, uter insidias fecerit. Vides gravitatem, vides simul, quam callide Cicero mentem senatus explicet. Sic Liv. IIII, 3 ante med. e vehementi oratione Canuleji defendentis alterum consulem ex plebe fieri debere: *Si populo romano liberum suffragium datur, ut, quibus velit, consulatum mandet, et non praeciditur spes plebejo quoque, si dignus summo honore* (i. e. consulatu) *erit, apiscendi* (pro *adipiscendi*) *summi honoris, stare haec urbs non poterit?* Gravis est repetitio verborum: *si dignus summo honore erit, adipiscendi summi honoris.* Ernesti l. c. hanc quoque pro *grata tantum negligentia* habet. — Huc pertinet Hom. Odyss. τ. 204 ff., ubi quinque versibus quinquies τήκεσθαι κατατήκεσθαι h. e. *liquescere* usurpatur in suavissima et ad movendos lectorum animos aptissima comparatione genarum (ac simul animi) Penelopes, audita narratione de Ulysse, liquescentium s. tabescentium (i. e. lacrymis plenarum: sic *tabescere fletu* Catull. LXVIII, 35) cum nive liquescente. Quam repetitionem Ernesti ibidem pro grata negligentia habet, sed addit tamen ipse, hoc vocabulum aptissimum fuisse. — Ad hanc repetitionem eorundem vocabulorum gravem referre quoque possumus repetitionem eorum inversam, quae vulgo ἐπάνοδος et interdum ἀντιμετάθεσις adpellatur, v. c. Quintil. X, 7 *Qui stultis videri eruditi volunt, stulti eruditis videntur.* Plin. Paneg. 17 *Non ideo vicisse videris, ut triumphares, sed triumphare, quia vinceres.* Ceterum in his omnibus conservatio ejusdem vocabuli gravior est quam variatio. — Add. Vellej. II, 117 de Quintilio Varo: *quam* (Syriam) *pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit*: Ponas vel *copiosam* pro *divitem* vel *inopem* pro *pauperem*, et minus graviter dictum erit.

XXXI) *Mutatio languidiorum vocabulorum singulorum in fortiora.* Haec est res maxime necessaria: nam languide loqui est languide cogitare. Hic omnia vertuntur in linguae accurata cognitione, ut, quae vocabulis vis insit, satis scias, deinde in memoria felici et promta, quae statim vocabula gravibus ideis respondentia suggerat: quamquam mens rite commota rei gravitate sua sponte plerumque illa suppeditat. *Pectus enim est, quod disertos facit, et vis mentis*, ait Quintil. X, 7, et addit: *ideoque imperitis quoque, si modo sunt aliquo*

adfectu

adfectu concitati, verba non desunt. Fortiora s. *graviora verba* sunt ea, quorum ideis vel per se major vis continetur vel quibus inclusa simul latet idea secundaria gravitatem rei augens. Loquimur autem hic modo de vocabulis singulis. Exempla speciminis loco adferemus: unde deinde facile plura effingi poterunt.

A) *Vocabula vim majorem per se continentia.* V. c.

1) *Stertere* pro *dormire.*

2) *Volare* pro *celeriter ire:* sic *advolare* i. e. *celeriter venire.*

3) *Prodere* pro *periculo aliquem exponere,* quia, qui hoc facit, *fere* prodit seu proditoris est similis: v. c. *prodere vitam et pecuniam* ap. Terent. Heavt. III, 1, 69: et Adelph. IIII, 5, 58 *prodidisti te et illam miseram et gnatum:* it. pro *deserere,* quia, qui aliquem deserit, is saepe eum periculo exponit atque ita prodere videtur: v. c. *prodere urbem* de urbis obsessae *desertore.* Sic *proditio consulis tui* Cic. Verr. I, 14 de Verre, qui quaestor Carbonem, proconsulem suum, et provinciam deseruerat, ut Cicero ait cap. 13, ubi dicit *consulem deseruit,* et paulo post de re eadem *aufugerit, profugerit.* Graeci sic usurpant προδιδόναι.

4) *Nullus* pro *nullius* aut *parvi pretii* s. *parvae nulliusve utilitatis,* v. c. Cic. Amic. 26 *Nulla est igitur haec amicitia, cum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus est.* Sic Cic. dixit interdum *nulla esse judicia,* v. c. Verr. Act. I, 7 pro *non esse justa,* atque ita *parvae* vel *nullius utilitatis:* nam *non juste judicare* est fere nihil aliud quam *non judicem esse.* Sic Cic. ad Div. VII ep. 3 §. 9 de Pompejo post pugnam apud Dyrrachium: *Ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit;* ut et nostri: *er war kein Feldherr* h. e. non satisfecit officio imperatoris. Sic *nullus sum* pro *perii* per hyperbolen.

5) Cic. Fontej. 16 in. *impetus terroresque depellit* pro *removet.* Sic *detrahere* gravius est quam *adimere,* v. c. Cic. Verr. IIII, 26 *annulus de digito detractus est.*

6) Cic. Philipp. II, 4 *personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino* etc. pro *audiebantur voces ebriorum, madebant pavimenta vino:* at quanto fortius *personabant;* quod indicat maximum clamorem: et *natabant,* quod indicat maximam vini abundantiam.

7) Cic.

7) Cic. Verr. V, 52 *tu in provincia tam splendida, apud socios fidelissimos, cives romanos honestissimos, in metu periculoque provinciae, dies continuos complures in litore conviviisque jacuisti;* ubi *jacuisti* fortius erat quam *fuisti.*

8) Cic. Verr. V, 55 in. *carcer ille, qui est a crudelissimo tyranno Dionysio factus Syracusis, quae lautumiae vocantur, in istius* (Verris) *imperio domicilium civium romanorum fuit.* Grave verbum est *domicilium* pro *locus*, quasi fuerit perpetuus et proprius locus civium romanorum, quasi hi in carcere habitaverint. Sic *habitat in lecto* nostri augendae rei causa dicunt de eo, qui nimis diu et magnam adeo diei partem in lecto jacet.

9) Cic. Verr. I, 4 *tot tantisque sceleribus coopertus* pro *plenus;* at *coopertus* est longe majus; proprie enim significat, ita multitudine rerum circumdatum esse, ut conspici non possis: v. c. *lapidibus cooperiri* Cic. Verr. I, 46: Liv. IIII, 50.

10) *obvallatus* pro *munitus* Cic. Agr. II, 1 *Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum hominem novum consulem feciſtis: et eum locum* (consulatum), *quem nobilitas* (i. e. nobiles) *praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidistis virtutique in posterum patere voluistis.* Gravius est *obvallatus* quam *munitus, septus* etc., ductum e re militari, ubi castra vallo muniebantur, quod rescindi oportebat ab oppugnantibus. Sensus loci est: *Vos consulatum, quem nobiles soli habere omnibus viribus studebant, aliis omnibus, si quidem virtute excellerent, consequendi facultatem dedistis.* Peccavit tamen Cicero, quod dixit *locum* i. e. consulatum *rescidistis: locus* i. e. castra non *rescinditur* sed *vallum*, quo septus est.

11) *nundinae* pro *venditio:* Cic. Philipp. II, 14 objiciuntur Antonio *agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium flagitiosissimae nundinae:* sic *jus nundinari* v. c. Cic. Verr. I, 46 *qui ab isto* (Verre praetore) *jus ad utilitatem suam nundinarentur.* Iam *vendere* agros etc. Antonio et jus Verri erat turpitudini: quanto majori esse debet *nundinari*, quod indicat, venditionem fieri palam atque ita, ut, quicunque velit, pro pecunia accipere illas res possit.

12) *Excussus* pro *ejectus.* Cic. Phil. II, 22 *Consules ex Italia excussos* etc. Iam *ejectos* erat grave: at gravius *excussos: excutere* proprie *quatiendo ejicere, herausschütteln.* Sic Virgil. Aen. VII, 296 Iuno irata Trojanos vocat *patria excussos*, cum ne ejecti quidem proprie essent: fugerant tantum e patria, quia cremata erat. Eadem est ratio loci Ciceroniani.

13) Cic.

13) Cic. ad Div. I ep. 1 in. *ut vitam mihi acerbam putem* pro *tristem*, vel pro *ut magno pudore perfundar* etc.

14) *Dedecus* pro *homine turpi:* abstractum pro concreto. Sic *asinus* a leone vocatur ap. Phaedr. I, 21 *dedecus naturae* pro *qui dedecori es:* dictum est quasi sit *nihil nisi dedecus.*

In his omnibus, quorum nonnulla ad sequentem classem referri possint, inest superlatio veritatis s. hyperbole; ac tota ratio, si ad vivum reseces, cernitur in omissione particulae *fere*, ut adeo, si audaculi fuissemus, ad ellipsin referre illa exempla fere omnia potuissemus: v. c. *nundinae* i. e. *fere* s. *quasi nundinae, obvallatus* i. e. *fere obvallatus* etc. Cf. quae de oxymoris n. 22 dixi: nam v. c. *cum tacent clamant* dictum est pro *fere clamant:* proprie enim dicere Cicero debebat: *cum tacent, adsentiuntur mihi* etc. Et tum recte locutus esset, quia silentio adsentiri saepe solemus.

B) Vocabula, in quibus inclusa simul latet notio secundaria gravitatem augens: ut adeo non modo ideam eam, quam proprie exprimere debeant, sed et illam secundariam complectantur, atque ita una idea pro duabus seu unum vocabulum pro duobus ponatur. Si igitur vis duplex in angustum contracta et compressa fortius ferit, vocabulum unum, in quod contractae sunt duae ideae, animos magis ferire et movere necesse est. Exempla aliquot adferam: quamquam exempla prioris classis, si accuratius indagentur, fere omnia in hanc quoque classem referri fortasse possint. Sed hoc nunc non agimus.

1) Inest simul idea *effectus* s. *consequentiae:* v. c. a) *miserum me reddidit* pro *valde mihi nocuit:* — sic *perii* saepissime pro *miser sum:* sic *ridebis* pro *felix eris*, *flebis* pro *miser eris:* ut Gr. ὀλάειν de *vapulantibus* et *poenas dantibus* dicitur. b) accusator interdum a Cicerone aliisque priscis dicitur *damnare* et *condemnare aliquem* vel *urbe ejicere* pro *accusare* vel *efficere, ut aliquis damnetur atque ita ex urbe ejiciatur.* Hic igitur dicitur aliquis aliquid feciſſe, cum tamen nonnisi occasionem praebuerit. Ergo in *damnare* et *condemnare* de accusatore non modo inest idea accusationis sed simul damnationis; ut in *ejicere ex urbe* praeter hanc notionem etiam inest idea accusationis: sic *condemnare* est Cic. Verr. V, 69 in. *Nam istum paucis horis primae actionis omnium mortalium sententiis condemnavi:* sic *condemnare* est Cic. Rosc. Com. 9. Cic. in Caecil. 10: c) Cic. Manil. 12 *Qui ad vos ab exteris natio-*

nationibus venirent, captos querar, cum legati populi romani redemti sint? Hic *redemti* pro *capti;* at gravius est *redemti:* nam non modo includit τὸ *capti,* sed simul continet ideam redemtionis, quae longe acerbior et nomine populi romani indignior est. d) Virgil. Aen. IIII, 2 de Didone: *caeco carpitur igni* pro *uritur,* et hoc pro *amore tenetur:* jam grave verbum est *amore teneri* i. e. *gefeſſelt werden,* gravius *uri,* longe gravius *carpi* i. e. *sensim absumi.* Sed in *carpitur* inest τὸ *uritur.* e) Virg. Aen. VII, 303 *optato conduntur Thybridis alveo* pro *veniunt* vel *sunt:* sed vocabulo *conduntur* i. e. *teguntur* inest simul idea *securitatis.* Ergo insunt duae ideae: 1) *esse* 2) *securitas;* add. Cic. Catil. I, 10 in. *Quanta in voluptate bacchabere?* ubi *bacchabere* pro *eris* positum est, at multo gravius.

2) Inest simul notio *causae:* v. c. Cic. Agr. II, 6, ubi Cicero monet Romanos, ne credant, ipsum legi agrariae Rulli temere repugnare, tanquam inter consules et tribunos dissidium esse necesse sit, quia historia doceat, saepe consules et tribunos inter se acerrime contendisse: haec posteriora callide ita exprimit: *quia persaepe seditiosis atque improbis tribunis plebis boni ac fortes consules restiterunt, et quia vis tribunicia nonnunquam libidini restitit consulari.* Praetereo hic, Ciceronem de consulibus resistentibus dixisse *persaepe,* et de tribunis resistentibus *nonnunquam:* hic tantum de vocabulo *libidinis* sermo est. *Libidini* dixit pro *voluntati* vel *consilio:* at simul indicare vult *voluntatem* fuisse *temerariam: libido* enim est, cum, quidquid cupis, id efficere studes, neque aliorum consilium auctoritatemque nec causas justas curas, *Eigensinn, Muthwille, Caprice.* Mire, sed graviter, dixit Cicero Verr. I, 3 extr. *ut ego hunc unum, ejusmodi reum* (Verrem) *post hominum memoriam fuisse arbitrer; cui damnari expediret.* Verba: *cui damnari expediret* posita sunt pro *qui damnari praecipue mereretur, deberet* etc. At *expediret* indicat causam, cur damnandus sit, scil. quia hoc ei expediat, et indicat, eum tam improbum esse, ut non nisi poena corrigi possit. In verbis *expedit alicui damnari* inest oxymorum quoddam.

3) Inest idea *firmitatis:* v. c. *stat sententia* pro *est.*

4) Inest idea *certitudinis,* v. c. *repretus est sapiens* pro *fuit;* sed illud indicat, omnes hoc credere: sic *effecit, ut doctus reperiretur* majus est quam *ut doctus esset.*

5) Inest idea *turpitudinis,* v. c. *polluere jura* pro *violare* v. c. Cic. Rosc. Am. 23 est quasi *polluendo violare.*

6) Inest idea *rei indignae ac molestae,* v. c. *descendere ad conditiones* h. e. *conditiones licet duras accipere:* sic *descendere*

dere ad *extrema:* sic Cic. Verr. I, 38 *qui ut se periculo litium conjunctione criminum liberarent, quo ego vellem, descensuros pollicebantur;* sic et nostri *sich herablassen, herunterlassen,* de re indigna, acerba: ubi coacti eam agunt.

7) Inest idea *dignitatis* s. *meritorum:* v. c. *judicium* pro *honoribus:* at illud gravius, quia simul indicatur, *honores* merito tributos esse, atque ita eum, qui honores tribuerit, non temere, sed judicio ductum atque ita ob dignitatem tribuisse: hinc v. c. *omnes judicium regis de te laudant* gravius est dictum quam: *omnes laudant regem, quod tibi honores istos* s. *munus tribuerit:* in hoc enim nulla causa latet, cur tribuerit: hinc etiam ad n. 2 referri possit. *Iudicium* etiam de *omni honore, praemio,* dicitur ob eandem causam, v. c. Cic. ad Div. X ep. 1 extr. *teque hoc existimare volo, quidquid in eum* (Furnium, legatum tuum) *judicii officiique contuleris, id ita me accipere, ut in meipsum te putem contulisse* i. e. *honoris* vel *praemii* in genere. Sic *judicare* gravius est dictum quam *existimare;* v. c. aliud est: *Philosophi judicant rem ita esse,* aliud: *existimant, putant* etc.; illud indicat, illos *cum judicio existimare* h. e. *certis causis* ductos: hoc significat, illis fortasse causas justas deesse.

8) Inest idea *rei terribilis, atrocis:* v. c. Cic. Catil. II, 1 extr. *Iacet ille nunc prostratusque est, Quirites, et se perculsum atque abjectum esse sentit, et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget.* Hic cogitemus tantum τὸ *retorquet oculos* pro *respicit* gravissime esse dictum: quia respicitur ad belluam vel bestiam aliquam, quae praedam sibi ereptam esse fremit, et oculos modo horrendo retorquet.

9) Inest simul idea *tristitiae:* vid. v. c. locus modo adlatus Cic. Catil. II, 1 extr. *retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget.* Hic *luget* pro *videt* gravissime dictum; inest simul idea et videndi et lugendi. Est vero proprie pro *cum luctu videt;* ergo quaedam brevitas.

10) Inest idea *laetitiae;* v. c. Cic. ad Div. XV ep. 8 in. *Marcellum tuum consulem factum, teque ea laetitia adfectum, esse, quam maxime optasti, mirandum in modum gaudeo.* Hic deest notio *audiendi:* sed pro *audio* vel *audivi* maluit Cicero statim dicere, se *gaudere:* quia sciebat, tum τὸ *audio* in *gaudeo* latere. Est vero proprie pro *cum laetitia audivi,* vel *audivi et vehementer gaudeo:* ut itidem pro genere brevitatis dicendi haberi possit.

11) Inest

11) Ineſt idea *curae*: v. c. *providi, ut rem iſtum acciperes*, pro *feci, ut* etc. Ergo interdum *providere, rationem habere*, pro *facere*. Sic *providere vorbeugen, vorbauen*, pro *impedire* ponitur; atque continet et ideam impediendi et ſimul ideam *providentiae, curae, diligentiae*. V. c. *Quae ſi non aſtu providentur* etc. ap. Terent. Andr. I, 3, 3, i. e. *praecaventur* ſeu *providendo impediuntur*.

Ac ſic a quovis facile plura reperientur.

XXXII) *Adjectio vocabuli ad vocabulum* atque ita *ideae* ad *ideam*, ut hujus gravitas adjuvetur magisque ſentiatur. Sed quomodo haec adjectio inſtituitur, atque ita ex uno vocabulo duo, ex una idea duae, efficiuntur? Dictum de hac re eſt ſupra p. 397 ff. P. I c. 9 de *copia verborum* ſ. *dicendi* Sect. 2 et 3.

Hic tantum nonnulla, ad gravitatem ſpectantia, adferemus:

1) *Adjicitur* idea *effectus* ſ. vocabulum, quod *effectum aliquamve conſequentiam* continet: v. c. *captum tenere* pro *cepiſſe; voluptates eum captum tenent* gravius eſt quam *ceperunt*, quia indicat, eum nondum vinculis earum liberatum eſſe. *Tenere* eſt effectus τῦ *cepiſſe*. Ap. Phaedr. *rana rupto jacuit corpore* pro *rupta eſt*: τὸ *jacuit* rem magis oculis ſubjicit. *Iacere* eſt conſequens τῦ *rumpi*. Sic *pater aegrotans jacet* majus eſt quam *aegrotat*: nam indicat majorem vim morbi, qui illum lecto adfixum tenet: nam de leviore morbo dici illud non poteſt: ſic *morbo confectus jacet*; ſic *humi proſtratus jacet*; ſic *domus incenſa flagrat* pro *incenſa eſt*: indicat enim domum adhuc ardere. Sic *confoſſus periit* pro *confoſſus eſt*. *Flagrare* eſt effectus τῦ *incendi* et *perire* effectus τῦ *confodi*. Sed haec vocabula non addi poſſunt, niſi earum ideae conveniant rei, de qua ſermo eſt. Nam iſta ratio, ſi accurate cogitas, eſt magis genus quoddam brevitatis dicendi quam copiae: nam v. c. *captum tenent* eſt pro *ceperunt eum et adhuc tenent*: *rana rupto jacuit corpore* pro *rupta eſt et jacuit*: *pater aegrotans jacet* pro *aegrotat et jacet in lecto*: *confoſſus periit* pro *confoſſus eſt et periit*: — Poetae in primis hanc rationem frequentant, v. c. Virgil. Aen. VII, 297 Iuno per ironiam loquitur: *at, credo, mea numina tandem feſſa jacent, odiis aut exſaturata quievi*: pro *feſſa ſunt* et *exſaturata ſum*: at creſcit idea τῦ *feſſa* adjecto *jacent*, ut idea τῦ *exſaturata* per additum *quievi*: τὸ *jacere* eſt effectus τῦ *feſſum*

feſſum eſſe, et τὸ *quieſcere* τῷ *exſaturatum eſſe*. Virg. Aen. IIII, 376 ait Dido: *Heu furiis incenſa feror* pro *incenſa ſum*, ſed *feror* auget τὸ *incenſa ſum*: eſt enim proprie *feror hin und her getrieben, hingeriſſen, werden*, ut charta incenſa fertur volans in aethera. *Ferri* igitur eſt effectus τῷ *incenſum eſſe*. Ibid. 15 eadem Dido, cum dicere vellet, ſe nulli amplius viro nupturam eſſe, ait: *Si mihi non animo fixum immotumque ſederet, ne cui me vinclo vellem ſociare jugali* etc., ubi *fixum immotumque ſederet* eſt pro *fixum immotumque eſſet*. Sed *ſederet* indicat *firmitatem perpetuam*: eſtque effectus τῷ *fixum eſſe* et conſequens τῷ *immotum eſſe*. Quidquid enim *fixum eſt* v. c. in terra, id *ſedet* i. e. *firmum eſt*: et, quidquid *immotum eſt*, id per ſe *ſedere* et *firmum eſſe* cogitur. Sed et haec omnia dicta ſunt per brevitatem quandam: *feſſa jacent* pro *feſſa ſunt et jacent*; *exſaturata ſum et quievi*: *incenſa feror* pro *incenſa ſum atque ita feror*: *fixum ſederet* pro *fixum eſſet atque ita ſederet*. *Sententia ſedet* ſ. *ſtat*, de *firma ſententia* notum eſt. Exempla e profaicis ſupra p. 412 ſq. n. 5 in cap. de *copia dicendi* dedi, v. c. Liv. I, 33 *fulmine ictum conflagraſſe* pro *ictum eſſe*: Cic. Or. I, 10 *laqueis te irretitum tenerent* pro *irretiſſe* etc.

2) Additur idea *certitudinis* ſ. vocabulum ideam manifeſtam certamque eſſe declarans; talia ſunt *certum eſt*, *conſtat inter omnes*, *nemo neſcit*, *ſcimus*, *non credibile eſt*, v. c. pro: *An virtus, qua nihil praeſtantius eſt, ab homine contemnitur?* gravius dicitur: *an credibile eſt, virtutem, qua nihil eſſe praeſtantius certum eſt, ab homine contemni?* Cic. Manil. 7 *Nam tum, cum in Aſia res magnas multi amiſerant, ſcimus Romae ſolutione impedita fidem concidiſſe* pro *Romae fides concidit*: at τὸ *ſcimus* rem reddit certiorem; indicat enim ſermonem eſſe de re nota. Ibid. cap. 12 — *nobiliſſimas urbes captas memorem, cum veſtros portus atque eos portus, quibus vitam et ſpiritum ducitis, in praedonum fuiſſe poteſtate ſciatis?* pro *cum veſtri portus — fuerint*; at additum *ſciatis* indicat Ciceronem de re notiſſima loqui. — Huc pertinent formulae non *fieri poteſt ut* etc.; *non fieri poteſt, quin*; *non facere poſſum, quin* et ſimilia, quae rem certam eſſe confirmant. V. c. Cic. Verr. II, 14 extr. de Verre ubique praedam captante: *providebat, cum tanta hereditas in controverſiam veniſſet judicioque peteretur, fieri non poſſe, ut ſine praeda ipſe diſcederet*: ubi *fieri non poſſe ut* etc. graviter dicta ſunt pro *ſe non ſine praeda diſceſſurum* h. e. *ſe particula quadam illius hereditatis potiturum*: gravius eſt *non fieri*

posse etc., quia hoc indicat, quam firmiter persuasum fuerit Verri. Cic. Agrar. II, 3 *Neque enim ullo modo facere possum, ut — non sim* (non *essem*) *popularis* pro *Ego enim popularis ero* vel *debeo esse* etc.; sed illud indicat, nihil certius esse posse. Ibid. cap. 5 *negabant me adduci posse, ut ullam largitionem probarem* pro *negabant me ullam largitionem probaturum:* at quanto certius et gravius hoc exprimitur per *negabant me adduci posse, sie sagten, ich sey gar nicht dahin zu bringen* etc.

3) Additur idea *opinionis*, h. e. *sententiae incertae adversariorum*, s. vocabulum indicans, adversarios, quae contra nos dicant, tantum opinari: sic Cicero saepe uno verbo suspectos reddit adversarios: v. c. Agr. II, 3 in., ubi dicit, nobiles invidia tactos, si quid ipse perperam egisset, non modo non veniam ei daturos, sed etiam populum romanum, quod talem consulem fecerit, vituperaturos. Verba inter alia sunt haec: *Sed mihi videntur certi homines, si qua in re me non modo consilio verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi.* Dicere debebat: *si qua in re — lapsus fuero:* sed auget indignitatem rei addito verbo *arbitrabuntur*, quod indicat, illos, etiamsi Cicero non re, sed ipsorum opinione tantum, peccaverit, hoc jam pro maximo flagitio habituros. Gravius itaque in eos invehitur usu verbi *arbitrabuntur*.

4) *Additur notio argumenti* s. vocabulum argumentum rei continens. V. c. pro *deum odisse quis potest?* gravius dicitur: *deum tam benignum odisse quis potest?* Nam simul argumentum inest, cur non possimus eum odisse; sic pro *Deus talia scelera certo puniet* dicitur gravius *deus justus talia* etc.; sic pro *preces tuas pater tuus non repudiabit* dicitur *preces tuas pater tuus humanus* etc.; sic *omnes laudant Ciceronem* mutatur in *omnes laudant Ciceronis eloquentiam*, si scilicet de eloquentia sermo est. Nam nihil addere debemus, quod non contextui conveniat. Sic *ignoscere alicujus adolescentiae* pro *alicui:* sic pro *quis est, qui non videat?* dicitur: *quis est tam imperitus rerum, quis est tam stultus, qui non* etc. Exempla multa dedi P. I c. 9 Sect. 3 p. 431 ff. et P. II cap. 1 Sect. 6 p. 539 s. n. 7.

5) Additur idea *modi* s. vocabulum, docens, *qua ratione* aliquid fiat, factum sit, futurum sit etc. Huc pertinent innumerabilia vocabula: a) *necessitatis*, ut *necesse est, non facere potui quin;* v. c. *Omnis homo moriatur necesse est* pro *moritur* vel *morietur: Si deum colis, necesse est felix fias* pro *felix fies.* b) *casus*, ut *accidit* etc; v. c. *dum ista gerebat ac*

per-

perficere studebat, accidit ut moreretur pro *mortuus est.* c) *consilii*, quatenus casui opponitur; v. c. *faciendum putavit, ut patriam adjuvaret* pro *patriam adjuvit:* at hoc temere fieri potuit, illud indicat factum esse cogitate et post deliberationem; sic *illis malis occurrendum statuit* pro *occurrit;* sic ap. Virgil. Aen. IIII, 475 *decrevit mori* de Didone pro *voluit:* at *velle* potest temere accidere; gravius ergo *decrevit.* d) *consuetudinis*, v. c. aliud est *benefacere solebat*, aliud *benefaciebat*, illud gravius: sic *Verres jus vendere solitus est* gravius dicitur quam *Verres jus vendidit;* hoc indicat, eum fortasse semel vel interdum id feciſſe, illud declarat, eum perpetuo ita egiſſe. Cic. Rosc. Am. 45 non procul ab in. de Chrysogono, potente illo Sullae liberto, a quo paulo ante quaesierat, cur bona Roscii venierint, cur tantulo? etc. ita pergit: *Quae omnia si, quemadmodum solent liberti nequam et improbi facere, in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit:* pro *Quae omnia si, quemadmodum faciunt liberti nequam* etc. At *solent facere* indicat hunc morem esse libertinorum nequam, nec aliter ipsos agere posse: gravius ergo quam *faciunt:* hoc enim indicaret, eos *interdum* tantum ita facere. — Et sunt alia multa, quae huc referri possint. Unum *posse* addam, quod Cicero cum summa gravitate adjecit Act. I in Verr. 16. Loquitur ibi in genere de judiciis, quae tum invidia premebantur, quia credebantur judices pecunia facile corrumpi et improbissimos homines absolvere. Dicit: *Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit aut conetur corrumpere* pro *ubi nemo est, qui corrumpat:* at gravius *possit aut conetur;* quod indicat, judices facillime corrumpi posse, modo aliquis eos corrumpere *possit*, h. e. pecunia sit instructus ad corrumpendos, vel *conetur* h. e. *velit.* Et statim: *in hoc homine statuetur, possitne, senatoribus judicantibus, homo nocentissimus pecuniosissimusque* (i. e. Verres) *damnari* pro *In hoc homine judicabitur, an vos judices, cum sitis senatores, Verrem nocentissimum et simul pecuniosissimum damnaturi sitis.* At quanto gravius *possitne damnari*, quasi damnatio pecuniosorum hominum inter res pertinuerit, quae fieri nullo modo possent, quae maximis cum difficultatibus conjunctae essent. Sic ideae *laetitiae dolorisque* et aliae facile addi poterunt.

6) Adjicitur verbum *sum*, it. *reperior*, *invenior:* v. c. pro *quis nescit* dicitur gravius *quis est, qui nesciat?* ut etiam in nostra lingua *Wer ist wohl, der nicht wissen sollte* gravius est quam *Wer weis nicht?* Hoc debebant tirones mature discere, ne deinde crederent, *quis est, qui nesciat* significare

idem quod *quis nescit;* atque illud tantum *elegantius* (sic enim loquuntur) dictum esse. Sic *quid est quod fleas* gravius est quam *quid fles?* Sic pro *Quis non credit, cui ignotum est, quis dubitat* etc. gravius dicitur: *Quis est, quin credat, cui ignotum sit, qui dubitet* etc. Sic pro *nemo credit, dubitat* etc. gravius dicitur: *Nemo est,* vel *reperitur* s. *invenitur, qui credat, dubitet* cet. Cic. ad Div. VIIII ep. 14 §. 11 *Quis erat, qui putaret, ad eum amorem, quem erga te haberem, posse aliquid accedere?* pro *Quis putabat* vel *putaret:* at illud gravius. Cic. Divin. in Caecil. 7 *Sunt multa, quae Verres in me esse arbitratur, quae scit in te, Q. Caecili, non esse* pro *multa Verres in me esse arbitratur* etc., at illud gravius. Cic. Fontej. 14 *praesertim cum tot res sint, quae vestris animis pro hujus innocentis salute supplicent* pro *praesertim cum tot res vestris* etc. Cic. Verr. I, 3 in. *Rapiunt eum* (Verrem) *ad supplicium dii patrii, quod iste inventus est, qui e conspectu parentum abreptos filios ad necem duceret* cet. pro *quod iste e conspectu parentum abreptos filios ad necem duxit.* Sic in epistola Sulpicii ad Cic. in Cic. ep. ad Div. IIII ep. 12 §. 6 de Marcelli caede: *et, cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus est amicus, qui ei mortem adferret:* gravius dictum quam *et, cui inimici — pepercerant, ei amicus mortem adtulit.*

7) Adjiciuntur et alia vocabula, quae vulgo *synonyma* vocantur, vel potius junguntur plerumque per copulam *et, ac,* cet. (quae tamen interdum ob gravitatem abjicitur) ad ideae alicujus gravitatem adjuvandam. Vocantur synonyma, quia eorum significationes nonnunquam difficile est inter se discernere. At nulla vocabula addenda sunt ejusdem significationis, quae proprie et accurate synonyma adpellantur: hoc enim foret nugas proferre et vocabulis ludere. Semper ista vocabula, quibus una eademque idea exprimi vulgo creditur, debent inter se differre significatione, saltem quodam modo. Nam, etsi interdum nescimus, qua ratione duo vocabula inter se proprie differant, tamen sentimus, si quidem linguam callemus, eas differre: et hoc in his tenebris sufficere debet. Hinc patet, non tam unam ideam duobus vel pluribus vocabulis exprimi, quam totidem ideas fieri, quot sint vocabula, ut adeo haec synonymorum conjunctio proprie ad incrementum idearum atque recte ad gravitatem pertineat. Dixi de hac adjectione vocabulorum latissime in P. I c. 9 de *copia dicendi* Sect. 2 p. 397 ff.: quo lectores rejicio. — Hic tantum summatim loquar. Differre igitur ista vocabula debent vel tropo vel gradu vel alia ratione, ut v. c. jungi possint

duo

duo vocabula, quorum alterum indicet *causam*, alterum *effectum* vel saltem aliquam *consequentiam*; alterum *Genus* vel *Totum*, alterum *speciem* vel *partem*, ac, si plura vocabula sunt, *partes*; alterum sit *proprie*, alterum *tropice* positum, vel alterum ex hoc, alterum ex illo tropo arcessitum; alterum sit *negative*, alterum *adfirmative* positum; alterum altero denique sit saltem *fortius*. — Possunt quoque tria et plura ita jungi. Sed semper haec ratio est tenenda, ut fortius languidiori aut minus forti postponatur. V. c. Cic. Verr. I, 2 extr. *Mihi pro cetera ejus audacia atque amentia ne hoc quidem* (scil. quod adest) *mirandum videtur*. Sic ibid. cap. 1 in. *quod nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur* etc. et paulo ante: *quod iste certe statuerat et deliberarat* etc., ubi *deliberarat* per se abesse poterat; cap. 2 extr. *multa impie nefarieque commisit*; cap. 3 in. *sine furore atque amentia non sinunt*. Cic. Agr. II, 11 extr. *Reges constituuntur, non decemviri, iique ab his initiis fundamentisque nascuntur, ut — omne vestrum jus, potestas, libertasque tollatur:* ubi primum *initiis fundamentisque*, quae per se parum inter se differunt, deinde *jus*, *potestas*, *libertasque* junguntur. Cic. Phil. II, 25 in. *Venisti Brundisium in sinum quidem et in amplexum tuae mimulae*. Ibid. *Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate tantum vini — exhauseras*. Ibid. cap. 44 *Eripiet, extorquebit tibi ista populus romanus* etc., ubi *extorquebit* gravius est quam *eripiet*. Cic. Marc. 1 *Dolebam enim et vehementer angebar* etc. Ibid. paulo ante: *tam inusitatam inauditamque clementiam*, ubi etiam *mansuetudinem*, *clementiam*, *rerum omnium modum* et *sapientiam* conjungit, quae parum inter se differunt, sed differunt tamen proprie. Ibid. cap. 2 *illo aemulo atque imitatore studiorum meorum* etc.: ubi *aemulus* ab *imitatore* parum differt. Ibid. cap. 3 *debilitari frangique:* ibid. *At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum — audimus* etc. Ibid. Catil. I, 2 extr. *te speculabuntur atque custodient*. Ibid. cap. 5 *Non feram, non patiar, non sinam:* quae quomodo differant, latet: sic Cic. Catil. II, 1 *Abiit, excessit, evasit, erupit*. Cic. Act. I in Verr. 15 in. *cui loco — consulite ac providete:* et statim: *Itaque a populo romano contemnimur, despicimur;* quae duo parum inter se differunt; addit tamen statim: *gravi diuturnaque jam flagramus invidia*. Cic. Verr. I, 11 *si me non omnes noti ignotique monuissent, id agi, id cogitari, in eo laborari, ut* etc., ubi *laborari* gravius quam *agi*, *cogitari*. Cic. Verr. III, 31 *Ita ab una civitate vi, minis, imperio, injuria-*

juriaque praetoris eripiuntur etc., ubi *vi*, *minis*, *imperio*, *injuria* inter se differunt. Cic. Verr. V, 37 extr. *victa atque superata est.* Et sic sexcenta alia. — Sed in his exemplis videmus, nisi nimio in Ciceronem amore vel nimia potius superstitione capti sumus, nonnulla esse, ubi vocabula jungantur, quae plane inter se non differant: v. c. *non feram*, *non patiar*, *non sinam:* sic et *abiit* et *excessit* eadem sunt: Catilina enim *abiit* Roma, atque ita *excessit.* Redundant igitur ista vocabula; et hactenus vitiosa sunt. Quia tamen ex fervore animi proveniunt, propterea ignoscenda, imo, quia haec redundantia fervorem animi indicat (nam homo commoto animo plura loquitur, quam necesse est), hactenus quoque gravitati serviunt quodam modo. Nam saepe auditoris animus commovetur etiam animum oratoris commotum esse animadvertens. Attamen malim nostros oratores hodie abstinere tali redundantia. Gravitas enim dicendi maxime gravitate idearum rite declaranda constare debet. Add. seq.

8) Adjicitur interdum, fervore animi impellente, vocabulo vocabulum, cujus idea plane redundat et otiosa est, et tantum hactenus gravitati dicendi prodest quodam modo, quia auditor vel lector inde sentit, animum dicentis scribentisve valde commotum esse vel fuisse. Vocatur vulgo *pleonasmus*, graeco nomine, hoc est *redundantia:* v. c. *his oculis vidi*, *his auribus audivi:* ubi *his oculis* et *his auribus* abesse poterat. At fervor animi cumulare gaudet vocabula. Sic Aeneas ap. Virgil. Aen. IIII, 359 loquens cum Didone eique narrans, se Mercurii voce juberi Carthagine abire ait: *vocemque his auribus hausi*, ubi *his* per se abesse poterat. Sed sic solent homines vel incitate vel valde adseveranter cum aliis loquentes et timentes, ne sibi non fides habeatur. Sic et nostri: *Ich habs mit meinen eignen Ohren gehört*, *mit meinen eignen Augen gesehen.* — Referri huc posse paulo ante (n. 7) ex Cicerone memorata: *non feram*, *non patiar*, *non sinam: abiit*, *excessit*, jam ibi monuimus.

XXXIII) *Mutatio unius enuntiationis in plures:* diutius enim immorando iisdem ideis fiunt hae graviores. Dictum hac de re est supra in P. I cap. 9 de *copia dicendi* Sect. 3 p. 429 ff.

Fit hoc 1) quando, pluribus subjectis commune praedicatum habentibus, singulis suum praedicatum tribuimus: v. c. pro *Colophonii*, *Chii*, *Salaminii*, *Smyrnaei dicunt*, *Homerum esse suum civem* Cicero Arch. 8 dixit: *Homerum Colophonii*

tophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant. — Hoc fit in primis in partitione, v. c. pro *Omnes lugent mortem Clodii* Cicero dixit Mil. 8 *Luget senatus, moeret equester ordo, tota civitas confecta senio est, squalent municipia, adflictantur coloniae, agri denique ipsi* etc. 2) quando subjecto plura praedicata pro uno tribuimus, v. c. pro *Deus nobis vitam, sanitatem, parentes dedit* dici potest *Deus nobis vitam dedit, nos sanitate frui jussit, nobis parentes donavit* etc. Id quod fit in primis in partitione, v. c. pro *Deus nobis multa et magna beneficia dedit* dicitur *Deus nobis vitam dedit, sanitate nos frui jussit, necessitati nostrae consuluit, commoditati adeo et voluptati nostrae prospexit* etc. 3) praeponenda causa: v. c. pro *Deus omnia efficere potest* dicitur *Deus tanta est potentia, ut omnia efficere possit.* 4) addendo effectu: v. c. pro *Deus est valde potens* dicitur *Deus est tam potens, ut nihil sit, quod efficere nequeat.* 5) conjungendis duabus per copulam *et* (vel etiam sine ea) enuntiationibus, quarum alterutra sufficiebat: v. c. Cic. Catil. II, 4 *Non est jam lenitati locus: severitatem res ipsa flagitat:* ubi prior est negativa, altera adfirmativa. Cic. Rosc. Am. 24 *Sua quemque fraus* (i. e. maleficium) *et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque adficit.* 6) addenda enuntiatione causam vel consilium, quo res suscipitur, indicante. V. c. Cic. Rosc. Am. 25 *Qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio submoverentur.* Verba: *ut quos natura — submoverentur* indicant causam et consilium, quo ducti Romani excogitaverint illud supplicium ac per se abesse poterant; sed addita augent gravitatem rei. 7) addenda enuntiatione indicante id, quod ex re colligi possit, v. c. Cic. Agr. II, 5 de Rullo: *Iam designatus alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante, barbaque majore: ut oculis et adspectu denuntiare omnibus vim tribuniciam et minitari reipublicae videretur.* — Plura exempla et simul plura genera enuntiationum addendarum reperies in dicto cap. 9 Part. I.

XXXIIII) *Crebra repetitio copulae tum inter singula vocabula tum inter membra et enuntiationes.* Vocatur vulgo *polysyndeton*, et sic Quintilianus vocat VIIII, 3:

vel *polyſyndeta* i. e. ad verbum *ſaepe juncta*, int. membra vel vocabula. — Videtur hujus repetitionis hic uſus eſſe, ut, in recitandis multis rebus, earum multitudo major adpareat: nam, quo diutius in enumerandis rebus verſamur, eo plures videntur eſſe: v. c. *Deus nobis vitam et ſanitatem et pacem et mentem dedit.* Cicero ſaepiſſime ita.

V. c. Verr. II, 5 *quo reliquae tot et tantae et tam graves civitates, tota denique Sicilia plus auctoritatis apud vos haberet;* ubi prius *et* abeſſe poterat. Roſc. Am. 5 extr. *ab initio, res quemadmodum geſta ſit, vobis exponemus, quo facilius et hujus hominis innocentiſſimi miſerias et illorum audaciam cognoſcere poſſitis et reipublicae calamitatem.* Mil. 11, ubi de jure ſe a vi defendendi loquitur: *Sin hoc et ratio doctis et neceſſitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipſa praeſcripſit, ut omnem ſemper vim — a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent.* In hoc loco ſunt *polyſyndeta* et *aſyndeta:* Quae quia utraque gravitatem adjuvare dicuntur, quaeritur, quomodo differant. — Videntur *aſyndeta* valere in rebus *celerrime* ad praeſcriptum fervidi animi recitandis; *polyſyndeta* in rebus tardius recenſendis, ut earum multitudo ac ſimul pondus non modo ſentiatur, ſed etiam cogitetur: *aſyndeta* opprimunt mentem et animum ita, ut hic ardeat ante, quam illa cogitare rite coeperit; *polyſyndeta* demonſtrant rem et menti tempus relinquunt ad conſideranda dicta: ut igitur *aſyndeta* ad incitatiorem gravitatem, *polyſyndeta* ad moderatiorem, pertinere videantur.

XXXV) *Collocatio vocabulorum gravis* h. e. talis, ut vocabula eo ordine ponantur, quo majorem vim exferere poſſint. Dixi hac de re in cap. 1 de *perſpicuitate*, Sect 24 p. 624 ff. et in primis n. 2 a) p. 626 ff., quia et ad hanc referri poteſt. Et ſuus quemque ſenſus docere debet, quem locum quodque verbum occupare debeat. Hic igitur ſenſus docet, *verbum grave* interdum *praeponi* aliis, interdum *poſtponi.*

1) *Praeponitur verbum gravius.* V. c. *Civis romanus ſum,* non *ſum civis romanus*, clamat ille Gavius Cic. Verr. V, 62, cum cruci adfigebatur. Sic Cic. Agr. II, 17 *grave*

eſt

est enim nomen imperii, non *nomen imperii est grave*. Sic Cic. ad Div. II ep. 4 §. 6 *Est tibi gravis adversaria — incredibilis exspectatio* pro *exspectatio est tibi gravis* cet. Ibid. 2 *Gravi teste privatus sum* etc., non *teste gravi*. Ibid. ep. 11 §. 2 *Mirum me desiderium tenet urbis* etc., non *desiderium urbis mirum*: Cic. ad Div. V ep. 21 in. *Gratae mihi tuae literae fuerunt*: et sic in multis millibus. Cf. supra cap. I de perspic. Sect. XXIIII, 2. — Omnis gravitas pendet a contextu: neque igitur certa regula dari potest: v. c. *magnum tuum est facinus* et *facinus tuum est magnum* recte dici et cum gravitate dici potest; interdum prius, interdum posterius, est gravius, v. c. si quis de suo facinore loquitur et id pro vili habet, cum magnum sit, dicere ei debeo: *magnum tuum est facinus*: hic *magnum* est primaria notio, per quam τὸ *vili* statim refellere volo; contra, si cui dico, eum facinus commisisse et hoc facinus esse magnum, dicere debeo: *facinus tuum est magnum*: hic τὸ *magnum* praemitti non opus est. Hic ubique videndum, ut, si qua idea gravior est, et lector auditorve ad eam prius respicere debet, ea aliis praeponatur. Pertinet huc nobile illud: *stetit soleatus praetor populi romani cum pallio purpureo* cet. Cic. Verr. V, 33.

2) *postponitur* saepe *verbum gravius*: in primis ad exspectationem auditorum et lectorum opprimendam: atque ita vocabulum extremum sententiae, si quidem forte est, ceteris vocabulis praecedentibus addit aliquid fortitudinis et gravitatis. Deinde est naturae consentaneum, a tenui initio incipere et cum gravitate desinere: hinc in fine sententiae exspectatur aliquid majus et gravius. Cicero sic millies. V. c. Verr. I, 3 in. *Agunt eum* (Verrem) *praecipitem poenae civium romanorum: quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes jura libertatis et civitatis in crucem sustulit*. Grave est *percutere civem romanum securi*: at hoc saepe factum est v. c. in castris: gravius est cives *in vinculis necare*; gravissimum omnium est *in crucem illos tollere*: quae est servorum poena: atque adeo in crucem tollere eos, qui provocabant ad jura libertatis et civitatis v. c. ad legem Porciam. Recte ergo postposuit *in crucem sustulit*. Cic. Philipp. II, 25 *quid ego istius decreta, quid rapinas, quid hereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam?* ubi *ereptas* esse gravius verbum quam *datas* manifestum est. Ibid. paulo ante objicitur Antonio *in urbe auri, argenti, maximeque vini direptio*: hic *vinum* occupat ultimum locum, quia ostendere ibi vult Cicero, Antonium fuisse vinolentum et omnibus voluptatibus addictum. Hinc patet, gravitatem verbi sae-

bi saepe a contextu pendere: nam in alio contextu idea *auri* fortasse fuisset gravior quam idea vini. Pertinet huc etiam arctior conjunctio vocabulorum graviorum, de qua supra dixi n. XXVIII, v. c. *qui alios studet fallere, fallitur ipse.*

XXXVI) *Clausula gravis absolutae sententiae.* De hac re supra dictum est P. I c. 6 de *numero* p. 283 ff.: nam ad eum vulgo illa clausula refertur.

Gravitas hujus *clausulae* consistit in eo, 1) ut longius vocabulum claudat sententiam perfectam et absolutam, v. c. *amandavit, videatur, videretur* etc. 2) ut syllaba paenultima hujus ultimi vocabuli longa sit, v. c. *amandavit, fateatur, fateretur, videatur* etc.: sic Cic. Fontej. 15 in. *retinendos putetis.* 3) ut huic paenultimae syllabae insit vocalis sonora, qualis est *e, o, a:* in quibus eminet *a:* v. c. *amandatus* pro *dimissus, fateatur, existimatis, credatis, existimavit, profligavit, amavit, navigavit* etc. Sed haec tria supra P. II. c. 1 sect. 24 p. 629 f. monui magis ad perspicuitatem quam ad gravitatem et magis ad dicendum quam ad scribendum pertinere. Lector non tam curat, qualia vocabula in sententiae fine sint, quam auditor; qui si unam syllabam vel duas non audit, totum vocabulum praetermissum est. Ultima syllaba plerumque in dicendo perit: jam, si praecedens etiam periret, totum vocabulum negligeretur: hinc decet, paenultimam syllabam praeditam esse vocali sonora, ut haec saltem servetur. Iam, quo longius tale vocabulum est, eo minus timendum est, ne aures auditoris praetervolet. Quod Cicero clausulae tantam vim tribuit, non mirandum est, cum a Graecis ita sit edoctus: hinc, cum Cicero Orat. 63 dicit in Carbonis verbis *Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit* per vocabulum *comprobavit* maximum populi clamorem excitatum esse, hoc ipsius opinioni de vi summa clausulae convenit: at hunc clamorem ex alio fonte exsistere potuisse credibile est. Legenda sunt, quae hanc in rem in cap. de *numero* p. 286 f. dixi. 4) quando ultimum sententiae absolutae membrum paulo longius redditur, quod facile fit per *copiam* dicendi supra p. 280 ff. explicatam, v. c. adjectione synonymorum, ut *victa atque superata* pro solo *victa:* in primis adjectione unius vel plurium vocabulorum graviorum, ut Cic. Catil. I, 13 *gravius vehementiusque adflictantur:* Ibid. *omnia patefacta, illustrata, oppressa, vindicata esse videatis:* vel adjectione verbi ad verbum, v. c. *faciendum putavit*

tavit pro *fecit*, *retinendos putavit* pro *retinuit*; sic Cic. Manil. 1 *tribuendum censuerunt* pro *tribuerunt*; Cic. Verr. V, 37 in. *penetrare coeperunt* pro *penetrarunt* etc.

XXXVII) *Concinnitas membrorum*, quae *numerorum oratoriorum* seu *numeri oratorii* nomen optimo jure gerit. Cernitur in eo, ut singula membra, in primis sibi contraria, vel pari longitudine vel saltem idearum numero sibi respondeant. Non negari potest, hanc aequalitatem membrorum aliquid gravitatis continere: quemadmodum in cantando, numeros musicos *(den Tact)* observare est gravius, quam eos, more puerorum, negligere. Hic ad sensum cujusque provoco, ne explicare rem cogar. Exempla supra dedi in P. I c. 6 Sect. 3 p. 275 ss., ubi de tota re latissime actum est.

V. c. *non opinione, sed per argumenta adductus feci* non graviter h. e. non gravi homini convenienter dictum est: gravius erit: *non opinione sed argumentis* etc. — Sic *Non opinionis levitate sed argumentis ductus feci* minus graviter dictum: gravius est: *Non opinionis levitate sed argumentorum gravitate adductus feci.* — Sic *non opinionis levitate sed argumentorum gravitate ductus feci* minus graviter dictum est, quia *τῷ ductus* nihil respondet in priori membro. Ergo dicas: *non opinionis levitate abreptus sed argumentorum gravitate motus feci:* et sic porro: quo longius progrederis in uno membro, eo longius quoque in altero progredi decet, ut aequalitas, si quidem fieri potest, servetur. — Si tamen ob defectum vocabulorum aliamve causam fieri non potest, ignoscendum est inaequalitati membrorum, modo gravitas idearum sibi constet. Cicero enim saepe neglexit istam aequalitatem: at, ubicunque potuit, fere servavit. V. c. Mil. 4 *Est haec non scripta, sed nata lex:* hic opponit *scripta* et *nata:* recte. Si dixisset: *Est haec non scripta sed hominum animis innata lex*, peccasset: sic peccasset, si dixisset: *Est haec non a majoribus scripta sed nata lex:* quia illic membrum posterius hic prius paulo longius foret. Cic. ad Div. VI ep. 2 §. 5 *Si armis aut conditione positis aut defatigatione abjectis aut victoria detractis civitas respiraverit.* Recte: opponuntur enim sibi *conditione positis*, *defatigatione abjectis*, *victoria detractis*, tria substantiva, tria participia. Cic. Orat. I, 9 *Quis enim tibi hoc concesserit*, — *initio genus huma-*

humanum in montibus ac ſylvis diſſipatum, non prudentium conſiliis compulſum potius quam diſertorum oratione delinitum, ſe oppidis moenibusque ſepſiſſe? Egregie. Opponuntur *prudentium conſiliis compulſum* et *diſertorum oratione delinitum:* conveniunt *prudentium* et *diſertorum*, *conſiliis* et *oratione*, *compulſum* et *delinitum*. Vid. plura memorata cap. 6 de *numero* Part. I.

XXXVIII) *Delectus literarum et ſyllabarum.*

Hoc ſaltem multi gravitatem dicendi adjuvari putant. 1) *literarum:* v. c. elementum *R* putant convenire rei atroci, triſti, terribili: hinc vocabula talia, v. c. *terror*, *horror*, *horrendum* etc., in tali re praeoptanda cenſent. Hinc Virgilius Aen. IIII, 181 Famam *Monſtrum horrendum* adpellans creditur hoc de induſtria feciſſe. Quis hoc certo adfirmare auſit? Quodnam aliud quaeſo vocabulum pro τῷ *horrendum* uſurpare potuiſſet? Vocabula talia, in quibus *R* eſt, caſu exſtiterunt vel ii, qui illa formarunt, in ea re reſpexerunt ad aliquid horrendi: ut adeo a poſteris, qui originem primam vocabulorum neſciunt, pro vulgaribus haberi ſoleant. Et ſunt alia vocabula, elemento *R* inſtructa et ea innumerabilia, in quibus nihil horrendi eſt, v. c. *fortuna*, *aratrum*, *carmen*, *ergo*, *margo*, *formoſus*, *dormio*, *ratio*, *merum*, *poſteri*, *ſero*, *currus*, *curriculum*, *curro*, *curare*, *ros*, *roſa*, *auris*, *aura*, *aurum*, *veritas*, *garrio*, *amor*, *rubor*, *honor* etc. — Equidem puto, priſcos omnem gravitatem in ideis, non in ſono vocabulorum, poſuiſſe; ut taceam, nos ne ſatis quidem pronuntiationem priſcorum noſſe. Ac, ſi quis mihi *obitum liberorum meorum nuntiat*, nonne is aeque triſtis nuntius eſt, ac qui *mortem eorum?* licet in vocabulo *mortis* inſit *R*, in vocabulo *obitus* non ſit. 2) *ſyllabarum.* Cicero pedes poeticos alios aliis putat eſſe graviores, ſed ipſe incertus eſt, ut ſupra in cap. de *numeris oratoriis* p. 287 ff. monui. — Et quis in tali re, quae ab aurium iudicio pendet, non incertus eſſe cogitur? Quanto incertiores nos ſimus neceſſe eſt, qui ne ſciamus quidem ſatis, quomodo Romani ſua verba pronuntiarint. — Putant nonnulli Virgilium verſu illo lento Georg. IIII, 174 *Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt* exprimere *voluiſſe* Cyclopum operam difficilem et tarditatem quandam, cum tamen addatur *magna vi* et Cyclopes tali labori maxime pares fuiſſe credibile ſit: — ſic Virgilius alibi verſu celeri *Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum* Aen. VIII, 596 creditur a nonnullis *celeritatem* quandam expri-

exprimere *ſtuduiſſe*. Si Virgilius hoc de ſe dixiſſet, crederem. At, quantum ego Virgilium novi, hic videtur mihi omnem gravitatem dicendi in idearum gravitate, non verborum inani ſono, poſuiſſe. Ac reperiuntur multi verſus in Virgilio, ubi de re celeri vel laeta ſpondei, de re tarda vel triſti dactyli, uſurpantur, ut vel hinc adpareat nihil certi definiri poſſe: v. c. *Tityre tu patulae recubans* etc. Virg. Ecl. I, 1: *Talia voce refert* Aen. I, 212: *Multa gemens* Ibid. 469: *Illic res laetae* Aen. II, 783: *Dejecit ſaxum* VIII, 226: *Invadunt urbem* II, 265: *Caeduntur vigiles* Ibid. 266 etc. Ac profecto, quae gravitas in ipſo ſono verbi ineſſe poteſt? cum omnis gravitas, omnis laetitia, omnis triſtitia, quae in ſono ineſſe vel inde oriri videtur, ex ideis quibusdam, quae cum ipſo ſono conjungi ſolent vel conjunctae aliquoties ſunt, exſiſtere ſoleant. V. c. idem ſonus campanarum interdum eſt triſtis, interdum laetus, ut vulgo loquuntur, interdum habet aliquid magnifici, prout res eſt, quae iſto tempore cogitatur. Tempore, quo liberi noſtri ad ſepulturam efferuntur, ſonus campanarum eſt triſtis: alio tempore eſt laetus, v. c. quando feſtus quidam dies isque ſolennis et memorabilis celebratur etc. Si quis tamen ſono vocabulorum h. e. certis literis et ſyllabis gravitatem dicendi adjuvare poſſit, ejus ſtudio non invidebo: et forſitan interdum coram plebe aliquis illarum uſus eſſe poteſt: ſic Cicero forſitan illis pedibus poeticis, de quibus loquitur, interdum uſus eſt in concionibus. — Attamen tutius eſt in idearum gravitate gravitatem dicendi quaerere. Ac profecto, ſi quis ideam aliquam magnam per alias multas ideas ſecundarias explicare ſtudet et his ideis omnibus verborum ope apte exprimendis intentus eſt, is, dum illas cogitat, vix poteſt de literarum elementis, ſyllabis et earum ſono, cogitare. Ad hoc ei tempus non ſuppetit. Atque adeo, ſi de literarum et ſyllabarum delectu diu et anxie cogitaret, nonne interea illae ideae omnes effugerent? Nam, ut ferro candenti utendum eſt, e proverbio vulgari, ſic ingenio utendum eſt, dum fervet, hoc eſt, dum ideas ſuppeditat. Hae non ſunt ſemper in noſtra poteſtate. — Hinc vix crediderim Virgilium de literarum et ſyllabarum ſono cogitaſſe; quia tam egregiam Aeneida ab eo tum non accepiſſemus.

XXXVIIII) *Vocis gravitas* in dicendo multum valere ſolet. — Sunt, qui ea vocis modulatione uti ſciant, ut verbis, non gravitatem ſpirantibus, aliquid gravitatis, ſaltem coram plebe, addere ſciant: quanto magis in rebus

bus ac verbis gravitate vere ornatis? Demosthenes et Cicero hoc satis superque suis exemplis demonstrant. Quod vox in dicendo, id quodam modo efficiunt in scribendo signa quaedam distinctionis, v. c. *signum interrogationis*, *exclamationis*, *parentheseos* etc. — In primis huc pertinet lineola illa transversa, qua utuntur hodie ad gravitatem quandam indicandam vel potius abutuntur. Recte uti ea possimus ad *reticentiam* seu *aposiopesin* indicandam: modo ne nimis saepe fiat: hoc repugnaverit naturae. Animus valde commotus, qualis in *reticentia* esse solet, non diu manet tantopere commotus, sed mox defervescit. — Editores priscorum in locis, quibus talis *reticentia* inest, non ponere talem lineolam transversam miror: nam tali modo lectoribus ista *reticentia* facilius et celerius adpareret.

Haec de *gravitate* dicendi. Possint plura addi: sed, qui subsidiis illis remotioribus instructus est et aliquot Ciceronis orationes, v. c. Verrinas, Manilianam, Agrariam secundam, Catilinarias, Sextianam, Milonianam, Philippicam secundam etc., it. orationes Livianas legit, is facile, si hoc consilium serio sequitur, plura ad gravitatem dicendi pertinentia reperire potest. — Ad *gravitatem dicendi*, referri quoque possit *sublimitas dicendi*, quae est scientia apte dicendi de rebus sublimibus h. e. iis, quae propter magnitudinem singularem rarae sunt raroque fiunt inter homines. Dicuntur sublimes, quia quasi e circulo mortalium tolluntur, vel quia homines eas patrantes se supra vulgus tollunt. *Sublimitas* igitur dicendi est altior gradus gravitatis: ut adeo eadem, quae in hac observantur, in illa observanda sint. Attamen de ipsa, quia mos ita fert, infra in Append. III paucula seperatim dicemus.

CAP.

CAP. III
DE SUAVITATE DICENDI

SECT. I
Quid sit suavitas dicendi.

Suavitas orationis s. *dicendi* est virtus orationis, quae efficit, ut placeamus lectoribus vel auditoribus, atque ita libenter ab iis legamur et audiamur. Intelligitur ergo hic suavitas honesta et honesto homine digna, non ea, quae cachinnos commoveat etc. Vocari quoque potest *gratia*, it. *venustas* a *Venere:* haec enim amantes reddit suaves, h. e. amor efficit, ut amans amanti placere studeat. Hinc et *Venus* pro *gratia* dicitur; it. *veneres* v. c. *ista res habet suas veneres* h. e. *suam gratiam.*

SECT. II
De ejus necessitate.

Suavitas orationis et dicenti et scribenti summe necessaria est. Ab ea enim pendet omnis adtentio atque hinc persuasio. Orator et scriptor vult persuadere, quod maxime fit argumentis: quod ut fiat, debet illa perspicue explicare, ut auditor vel lector eorum vim intelligat. — Sed quomodo hoc fieri potest, si auditor vel lector ob injucunditatem dicentis vel scribentis non adtente legere, non adtente audire vult? Orator vel scriptor vult animos movere. Quod quomodo sine adtentione auditorum vel lectorum adsequi potest?

SECT. III
De fontibus suavitatis remotioribus.

Hanc suavitatem dicendi nemo consequitur, nisi 1) est ingenio praeclaro et hilari, ut in varias formas se vertere, ad auditores et lectores se accommodare, ac multa

multa quoque, eaque praeclara, comminiſci poſſit, et totum hoc libenter faciat. 2) niſi ſit praeditus doctrina lata et ſubtili, ut multa ſciat, quibus orationem variet, ſententiis priſcis ſaepe alium eumque ſuaviorem veſtitum donet etc. 3) niſi cognoverit animos hominum, ut ſciat, quid iis placeat, quid non. Hic docet experientia, v. c. omne inexſpectatum, omne novum, placere; vulgare, licet praeclarum alioquin ſit, tamen, quia vulgare factum eſt, displicere plerumque. Ad illorum igitur guſtum ſe accommodare atque ita aptiſſima quaeque eligere decet. — Multi putant, quidquid Cicero vel aliquis priſcorum dixerit, id per ſe et ubique pulchrum eſſe atque ita omnibus hodie placere debere. Non negandum eſt innumerabilia in illis occurrere, quae pulcherrima et ſint et per omnem aetatem manſura ſint. At hi priſci tamen erant homines, et interdum lapſi ſunt: et, ut quisque eſt ingenioſiſſimus, ita facillime labitur ob fervorem animi, celeritatem cogitandi etc. Ac profecto Cicero protulit dicta, quae ne priſcis quidem ſemper placere potuerint, v. c. *Ius Verrinum* ambigue dictum in Verrinis de *jure*, quod Verres praetor dixit; ubi ſimul reſpicitur ad *jus (Brühe)* ſ. *jusculum* e carne ſuilla factum, quia *Verres* etiam *porcum* ſignificat. Deinde, licet priſci innumerabilia egregie dixerint, tamen nonnulla, quia jam diu ſaepeque jactata ſunt, *gratiam* hodie amiſerunt: nam gratia ſaepiſſime in nova et inexſpectata verborum forma cernitur. Adjuvat et! 4) lectio librorum ſuavitate juſta conditorum ita inſtituenda, ut hanc ſuavitatem in noſtram mentem derivemus, eique nos aſſuefaciamus etc.

SECT. IIII

De fontibus ſuavitatis dicendi propioribus.

Iam indicabimus ea, per quae ſuavitas orationis propius *adjuvari* poſſit. Adjuvatur igitur illa

1) *Per-*

I) *Perſpicuitate dicendi.* Haec ipſa jam lectori et auditori ſuavis eſt, ut omnis obſcuritas moleſta. Nam primum omnis homo gaudet, ſi quid facile intelligit. Videmus hoc in pueris, laetantibus, ſi rem explicatam ſtatim intellexere. Deinde omnes homines diſcere ſuamque cognitionem augere cupiunt, pauciſſimis forſitan exceptis, qui tamen fortaſſe, ſi maturius, rectius, et cum quadam facilitate ad diſcendum et adtendendum adſuefacti fuiſſent, libenter didiciſſent ac cupiditatem diſcendi imbibiſſent. Nam, quo quis plura didicit, eo plura diſcere cupit: contra, ut quisque pauciſſima didicit, ita pauciſſima diſcere vult: et, quo quis facilius et celerius diſcit, eo facilius et libentius diſcere cupit: cum contra, quo quis difficilius et tardius diſcat, eo difficilius deinde diſcere velit. Obſcuritas multorum magiſtrorum in docendo, itemque oratorum, ut parentum negligentiam taceamus, multos a diſcendo avocat et absterret. Magiſtri, itemque oratores de ſacris rebus loquentes, hoc raro de ſe credunt, ſed malunt cauſam parvorum profectuum, quos diſcipuli et auditores faciunt, in horum vel ſtupiditatem vel ignaviam vel negligentiam vel in aliud quodcunque conferre, quam in ſe, decepti falſo ſyllogiſmo: *Quia nos rem intelligimus vel magiſtri ſumus, hinc perſpicue rem tradere poſſumus* etc. Perſpicuitas eſt lumen orationis: et oratio, omnibus venuſtatibus conferta, tamen ſine perſpicuitate non eſt venuſta. Nam, quod non intelligo, quomodo id mihi placere ac pulchrum eſſe poteſt?

II) *Gravitate dicendi* h. e. quando res ita tractatur, ut ejus magnitudo, magna pulchritudo, turpitudo etc. ſentiatur a nobis noſtrumque animum commoveat. Placet enim nobis commotio animi noſtri: placet oratio, ſi ea nos ad admirationem, ad iram, atque adeo ad miſericordiam rapit. Nam et miſericordia nobis ſuavis eſt. Lacrymae noſtrae nobis interdum placent etc.

III) *Iuſta brevitate* et *juſta copia dicendi* h. e. quando neque nimis multa neque nimis pauca dicimus. Id quod difficile eſt, nec ſine magno judicio et cognitione rei accurata fieri poteſt. *Nimis pauca* dicimus, quando auditor vel lector rem nondum plane intellexit h. e. ita, ut volebamus intelligi. *Nimis multa*, cum plura dicimus, quam ſcire cupit et res poſtulat: v. c. nimis crebra repetitione ejusdem rei vel explicatione rei non neceſſaria etc., quod taedium creat. Voluptatem quandam ſentit interdum et lector et auditor ſua ſponte reperta ſententia aliqua ſcriptoris et oratoris: et contra aegre fert, ſi ſibi ſingula ac vel minima quaeque ex ordine recenſeantur et late explicentur. Sed hic tamen et materiae et auditorum lectorumque ratio conſulenda eſt diligenter.

IIII) *Modeſte atque adeo demiſſe de nobis ac de noſtris virtutibus et factis loquendo.* Placet hoc auditoribus et lectoribus, qui omnem ſuperbiam et arrogantiam oderunt atque adeo, ſi quis vere ſe laudat, hoc pro arrogantia habent: quia, qui ſe laudat, is, quantum ſibi tribuit virtutis, tantum aliis detrahere videtur. Sic Cicero.

V. c. Roſc. Am. 1 *Credo ego vos, judices, mirari, quid ſit, quod cum tot ſummi oratores hominesque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimum ſurrexerim, qui neque aetate neque ingenio neque auctoritate ſim cum iis, qui ſedeant, comparandus.* Egregie h. e. humaniſſime dictum eſt: *qui neque — ingenio neque auctoritate* etc.: *ſurrexerim* intell. *ad dicendum:* nam *ſedent*, qui dicere nolunt; *ſurgunt*, qui dicere parant. Ibid. cap. 2 in. *His de cauſis ego huic cauſae patronus exſtiti, non electus unus, qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere, neque uti ſatis firmo praeſidio defenſus Sex. Roſcius, verum uti ne omnino deſertus eſſet.* — Huc pertinet, quando de noſtris viribus ac virtutibus dubitanter et cum quadam conditione loquimur: v. c. *ſi quid ſcio, ſi quid valeo* pro *cum multa ſciam, cum valeam* etc. Sic Cic. Arch. in. *Si quid eſt in me ingenii, quod ſentio quam ſit exiguum* etc., ubi tamen proprie dicere vult, ſe omne ſuum inge-

ingenium omnemque omnino eloquentiam ad Archiam defendendum conferre debere. Sic Manil. 1 *ſi quid dicendo conſequi poſſum* etc.

V) *Modeſtia et humanitate erga alios ubique declaranda.* Sic Cicero millies.

V. c. ad Div. IIII ep. 2, ubi Sulpicio, qui a Cicerone conſilium petierat, ita ſcribit §. 3: *quid eſt, quod audeam ſuadere tibi homini ſumma auctoritate ſummaque prudentia?* Egregie *audeam* dicit per modeſtiam ſummam pro *poſſim* aut *velim:* et addit *homini ſumma — prudentia,* in quibus verbis cauſa latet, cur nolit illi conſilium dare. — Ibid. §. 10 *Tu, ſi videbitur, ita cenſeo facias, ut, ſi habes jam ſtatutum, quid tibi agendum putes, in quo non ſit conjunctum conſilium tuum cum meo, ſuperſedeas hoc labore itineris: ſin autem eſt, quod mecum communicare velis, ego te exſpectabo. Tu, quod commodo tuo fiat, quamprimum velim venias* etc. Omnia modeſte. Senſus in univerſum hic eſt: Cicero Sulpicium, ſi idem cum Cicerone conſilium capere velit, rogat, ut ad ſe veniat; ſin minus, ut domi maneat. Haec egregie expreſſit: obſerves hic a) *ſi videbitur* int. *tibi,* h. e. *ſi tibi ita placuerit:* relinquit igitur ejus arbitrio: b) *ita cenſeo facias* pro *ita fac:* c) *ſuperſedeas hoc labore itineris* pro *ne venias ad me:* at egregie ideam *laboris* cum itinere conjuncti intexuit: hinc *ſuperſedeas:* d) *communicare mecum* pro *colloqui:* at illud modeſtius et honorificentius erga Sulpicium, quia illo indicatur, Sulpicium aliquid conſilii habere poſſe, quod proferat: e) *communicare velis* pro *communicare poſſis* vel *communices:* f) *ego te exſpectabo:* quam humane pro *veni ad me!* g) *quod commodo tuo fiat* h. e. *ſine tuo incommodo.* — Ad Div. IIII ep. 3 §. 3 *proſpexi tempeſtatem futuram* (bellum): *neque id ſolum mea ſponte, ſed multo etiam magis monente et denuntiante te:* hic Sulpicio potiſſimum tribuit Cicero, quod proſpexerit illud bellum. — Ibid. §. 10 Sulpicio, quem conſolari, ſed tecte, cupit, haec dicit: *Hactenus exiſtimo noſtram conſolationem recte adhibitam eſſe, quoad certior ab homine amiciſſimo fieres iis de rebus, quibus levari poſſent moleſtiae tuae. Reliqua ſunt in te ipſo* etc., dixit: *hactenus, quoad certior fieres* etc. egregie pro *ut docereris, ut diſceres* etc. — Ibid. §. 13 *Nihil faciam inſolenter: neque te tali vel ſcientia vel natura praeditum hortabor* etc. Non vult *hortari* illum: nam *hortari magnum virum* eſt inſolentis: hortatur tantum fere ſuperior et ſapientior inferiorem. — Sic Ibid. §. 14 *Quare non*

re non equidem te moneo. — Cic. ad Div. V ep. 8 §. 9 *Is enim tu vir es, et eum me eſſe cupio, ut — conjunctionem amicitiamque noſtram utrique noſtrum laudi ſperem fore.* Verba: *et eum me eſſe cupio* valde modeſta ſunt pro *et ego is* (h. e. talis) *quoque ſum* vel *et ego me eum eſſe fateor* etc. Et talia loca ſunt innumerabilia.

In primis in petendo humanitatem ſervare ſtudet: nihil fere petit, niſi ita, ſi fieri poſſit, ſi a dignitate amici non aliena res fuerit etc. Videantur ejus literae commendaticiae, v. c. ad Div. XIII, ubi ſub conditione tantummodo homines commendat eosque adjutos vult: v. c. epiſt. 17 §. 6 addit: *ſi tibi ſit cognitus;* ep. 26 §. 6 *quod commodo tuo fieri poſſet, te uterentur;* et §. 7 *ſi non alienum a tua dignitate putabis eſſe:* ep. 37 extr. *peto a te, ut tantum ei commodes — quantum tua fides dignitasque patietur.* Add. XIII ep. 26 §. 8 *literas ad te a M. Lepido conſule, non quae te aliquid juberent (neque enim id tuae dignitatis eſſe arbitramur), ſed quodam modo quaſi commendaticias ſumſimus.* — Omninoque hinc diſcant tirones, veram amicitiam cum quadam obſervantia nunquam non conjunctam eſſe.

VI) *Obſervanter loquendo de magnis hominibus* omninoque *iis, qui vel meritorum ſplendore vel munerum amplitudine vel generis nobilitate excellunt.* Placet enim hoc vulgo et male audiunt, qui illud negligunt.

Cicero quidem ad Craſſum ſcribens eique ſignificare cupiens, ſe non temere ac repente ipſius amicum factum, hoc ita exprimit ad Div. V ep. 3 §. 6 *De me ſic exiſtimes ac tibi perſuadeas velim, non me repentina aliqua voluntate aut fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidiſſe, ſed, ut primum forum adtigerim, ſpectaſſe ſemper* etc. Hic *amplecti alicujus amplitudinem officiis ſuis* dictum eſt cum ſignificatione magnae obſervantiae pro *amicum alicujus fieri.* Ac ſtatim ibi pergit: *Quo quidem ex tempore, memoria teneo, neque meam tibi obſervantiam neque mihi tuam ſummam benevolentiam ac liberalitatem defuiſſe.* Egregie h. e. humaniſſime et obſervanter dictum pro *neque tibi meum amorem* vel *benevolentiam neque mihi tuum amorem* vel *benevolentiam defuiſſe.* At *ſuam benevolentiam* i. *amorem* vocat *obſervantiam:* quod vocabulum includit aliquam *reverentiam* erga ſuperiores reſpondetque noſtro *Reſpect, Ehrerbietung, Hochachtung.* — Et talia innumerabilia in Ciceronis epiſtolis reperiuntur:

et

et talia interpretes earum diligenter observare et explicare debebant: nam, cur interpres in solis vocabulis corrigendis, explicandis et auctoritate plurium locorum confirmandis, quae omnia praeclara quoque sunt, versari debeat, nullam causam video. Veneres Ciceronis debemus sentire: et inter veneres praecipue pertinent humanissime dicta.

Ceterum hinc patet, quanto magis orator res sacras explicans *de Deo, de Iesu, angelis* etc. observanter loqui debeat. — Quaeritur ergo, an v. c. de *Iesu* et *angelis* deminutiva facere debeamus, quod in canticis nonnullis facilitatum videmus, v. c. *Jesulein, Engelein, Engelchen.* Suus quemque sensus docere potest, hoc dedecere. Quis de suo principe ac rege diceret v. c. *mein Fürstelein, mein Herrchen?* Quis hoc non vitio verteret et abjecte dictum esse clamaret? Qui ista per aestum quendam amoris defendere conantur, ii cogitent, ne posse quidem ullum amorem sine observantia locum habere.

VII) *Leniter loquendo de inimicis nostris.* Nemo enim liberaliter educatus rusticitatem in conviciando amat, laudat, nedum audire vel legere cupit.

Cicero, etsi interdum hic peccavit, v. c. in Philipp. secunda, nimio Antonii odio ablatus, tamen plerumque istam lenitatem prae se ferre sciebat: v. c. ad Div. III ep. 9 §. 3 Appio scribit: *intellexique in provincia multos fuisse, qui nos, quo animo inter nos sumus, esse nollent:* egregie pro *qui inimicitias inter nos excitarent; qui id agerent, ut ego te et tu me odisses.* Sic pro *odisse aliquem* dici potest *non favere alicui, non nimis ejus esse cupidum, non esse amicum ejus* etc.

VIII) *Leniter vel tecte vituperandis hominibus.* Vulgo enim placet, si vituperationes per ambages quasdam proferuntur.

V. c. Cic. Rosc. Am. 1 patronos causarum tum clarissimos vituperare vult, quod ob Sullae metum defensionem Roscii suscipere noluerint. Hoc ita exprimit: *quia, si quis istorum dixisset, — in quibus summa auctoritas est atque amplitudo, si verbum de republica fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est, multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur.* Cic. ad Div. I ep. 8 §. 9 *Amissa est* (dignitas consularis) *culpa eorum, qui a senatu et ordinem conjunctissimum et hominem*

clarissimum abalienarunt pro *culpa hominum improborum.* — Vel hinc patet, periphraseos ope tales tectas vituperationes facile concinnari posse. Huc pertinet illud Socratis, qui, cum ab adolescente quodam petulante colapho percussus esset: *Video,* inquit, *mihi in posterum cum galea incedendum esse:* pro *tu es homo inhumanissimus, tu es bellua, bos* etc. Huc pertinet illud Siculi ap. Cic. Orat. II, 69, qui, cum sibi datus esset patronus causae stultissimus a Scipione praetore: *Quaeso,* inquit, *praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis* (i. e. *des*) pro *iste patronus est nullius utilitatis* vel *stultissimus.* Huc pertinet, quando de *vinoso* dicimus: *non est inimicus vini;* de vorace: *sapit ei cibus egregie* etc.

VIIII) *Significando in omnibus, quae scribimus vel dicimus, nos esse faciles, clementes, mansuetos, justos, omniumque virtutum amantissimos.* Placet hoc omnibus, atque adeo iis, qui vitiis dediti sunt. Mirabile est, etiam virtutis non amantes tamen libenter audire virtutem laudari, eamque amantibus plerumque favere. In primis placent virtutes beneficae, v. c. liberalitas erga pauperes, misericordia, clementia erga peccantes etc. Placent propterea Senecae libri:

Sed et Cicero quam facilem, benignum etc., se ubique declarat! Quid suavius est animi grati significatione ad Div. I ep. 1 in. *Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus, mihi ipsi* (Al. *ipse*) *nunquam satisfacio* etc.? Indicat, se nunquam satis officii et pietatis Lentulo, qui ipsum revocandum curaverat, pro hoc singulari officio praestare posse. — Pertinet huc, quando officia promittimus, vid. Cic. epistolae libri primi, et ad Div. V ep. 8 §. 11, ubi ait: *polliceor eximium et singulare studium in omni genere officii, quod ad honestatem et gloriam tuam spectat: in quo, etiamsi multi mecum contendent, tamen cum reliquis omnibus tum Crassis tuis judicibus omnes facile superabo,* et sic §. 13, 14, 15 *Quamobrem satis esse hoc* etc.: — et quando dolemus, nos non posse alios satis adjuvare, v. c. Cic. ad Div. IIII ep. 13 §. 10 *et qui antea — poteram nunc P. Nigidio, uni* etc.; et I ep. 1 in., ubi dicit sibi vitam suam acerbam esse, quod non Lentulo tantum operae praestare possit, quantum Lentulus Ciceroni praestiterit. Huc pertinet, quando excusamus, quae

quae aliis ingrata esse putamus et addimus, facta esse casu nec nostra culpa, v. c. Cicero ad Div. III ep. 2 in. Appio, cui succedebat in provincia et qui diutius in ea manere velle videbatur, scribit: *Cum et contra voluntatem meam et praeter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in provinciam proficisci necesse esset* etc., ubi notes a) *contra voluntatem meam* b) *praeter opinionem* c) *accidisset* d) *necesse esset*. Sic Cicero ad Div. V ep. 8 §. 3 causam simultatis inter se et Crassum ortae confert in alios et dicit: *Neque mehercule unquam mihi tui aut colendi aut ornandi voluntas defuit: sed quaedam pestes hominum* (h. e. quidam homines perniciosi) *laude aliena dolentium et te nonnunquam a me alienarunt et me aliquando immutarunt tibi.*

X) *Vitandis plebejis vocabulis* h. e. iis, quibus nonnisi plebs uti fere solet. Parit enim injucunditatem et simul contemtum, si quem eodem modo, quo sola plebs loquitur, loqui audimus: quia videtur unus de plebe esse, a qua discere nolumus: at orator itemque scriptor erudire cupit. Quod licet maxime cadat in linguam vernaculum, tamen et in latina locum habet: quia doctis nota sunt plebeja vocabula et plebejae dicendi formae latinorum, atque ita non minus contemnunt plebejo more scribentem ac dicentem latine, quam in vernacula fieri solet. — Qui omnia vocabula e scriptoribus priscis, Cicerone, Plauto etc., promiscue pro bonis habet et usurpat, is facile in hoc vitium incidet. Excipiendus tamen est, si quis hominem plebejum loquentem inducit, v. c. in comoedia: hunc enim decet plebejo more loqui. Ad plebeja pertinent in primis ea, quorum ideae aliquid taedii adferre possunt vel sumtae sunt a rebus abjectis. Hic usus consulendus est, itemque ratio auditorum.

XI) *Vitandis vocabulis obscoenis* h. e. quae auris pudica audire non vult, quia rem vulgarem et naturalem proprie et directe indicant. — Res igitur seu idea ista vel plane omittenda est, quod saepe fieri licet, vel, si minus licet, vocabulis utendum est, quae istam ideam

tecte indicent: quod fit generali modo h. e. vel uno vocabulo generali, v. c. *natura* pro *membro genitali* ap. Cicer., vel generali deſcriptione ſ. periphraſi, v. c. *ire, quo ſaturi ſolent; pars corporis, qua ſedemus; pars, qua viri ſumus* etc. Et, quo tectius talis res indicatur, modo e contextu quodam modo intelligatur, eo ſuavius dici creditur. — An tamen medici ſemper iſtis ſimilibusque vocabulis propriis ſuperſedere poſſint, dubito. Ac profecto ipſas has res earumve ideas non turpes per ſe eſſe manifeſtum eſt, nec nos eas pro turpibus haberemus, niſi mos et educationis ratio quaedam ita ſanxiſſet. Neque ita vocabula ipſa pro turpibus haberemus, niſi vel mos iis aliquam turpitudinis maculam adſperſiſſet vel nos eorum vocabulorum plerumque puderet, quae plebis, quam vulgo contemnere ſolemus, ore celebrari ſolent. Moris tamen, quicunque ſit, auctoritati cedendum eſſe per ſe patet: nam morem negligere ſaepe turpitudini ducitur. Ac vel hinc iſtis vocabulis, quae vulgo obſcoena vocantur, abstinendum eſſe apertum eſt. — Hinc quoque rhetores metaphoram jubent a rebus honeſtis duci omnemque in ea turpitudinem vitari, v. c. Cic. Orat. III, 41 ait: *Nolo dici morte Africani caſtratam eſſe rempublicam. Nolo ſtercus curiae dici Glauciam.* Eſt genus *euphemiſmi* ſic vulgo dicti.

XII) *Vitandis iis vocabulis, quae rem ingratam proprie indicant, et commutandis cum ſuavioribus* h. e. cum iis, quorum ideae aliquid ſuavius continent. Dicitur vulgo haec ratio dicendi *euphemiſmus*.

Huc inter alia pertinent haec:

1) quando de morte, cujus idea hominibus vulgo terribilis, ſaltem ingrata, eſt, ita loquimur, ut ideae iſti aliam ideam et eam tectiorem ac ſuaviorem ſubſtituamus: v. c. *beatus tuus pater* pro *mortuus; vivere deſiit, ad deum abiit, paſſus eſt aliquid humani* etc. pro *mortuus eſt*: ſic *ſi quid ei acciderit* pro *ſi mortuus, ſi interfectus, fuerit.* Suavius eſt utique mulieri, cujus maritus in bellum proficiſcitur, quando illi dico: *ſi quid acciderit marito tuo* etc. vel *poteſt enim ei aliquid*

aliquid humani accidere, quam cum dico: *si maritus tuus occisus fuerit* vel *potest enim is occidi*: nonne illa idea est suavior vel tolerabilior? Sic nostri: *wenn Gott über ihn gebieten, ihn zu sich nehmen, sollte* etc. pro *wenn er sterben, umkommen, sollte*. Illud est humanius et suavius.

2) quando de inimicitiis alicujus loquimur, in primis, quando alicui in memoriam revocamus inimicitias, quas vel cum aliis vel nobiscum habuit. Nemo hanc memoriam libenter repetit: si tamen repetenda est, tecte facere solent homines venusti. Quam tecte Cicero ad Crassum scribens mentionem facit inimicitiae, quae inter utrumque fuerat, ad. Div. V ep. 8 §. 2 *multa varietate temporum interruptum officium cumulate reddidi*: et §. 3 *Neque mehercule unquam mihi tui aut colendi aut ornandi voluntas defuit: sed quaedam pestes hominum laude aliena dolentium et te nonnunquam a me alienarunt et me aliquando immutarunt tibi*. Quam leniter ideam inimicitiae pristinae ingratam exprimit verbis: *te nonnunquam a me alienarunt, et me tibi aliquando immutarunt!*

3) quando alicui aliquid denegamus vel aliquid ab eo nobis oblatum accipere recusamus, hocque ita facimus, ut ille aegre ferre non possit. Sic nostri venustiores munus recusantes malunt dicere *Ich danke ergebenst, bin sehr verbunden* (scil. *für das Anerbieten*), vel, si cum longe inferiori loquuntur, *es ist gut*, quam *ich will es nicht haben, behalten Sie, behaltet es selbst*. — Sic prisci venustiores (non omnes Latini; nam haec venusta forma loquendi non ad linguam universam pertinet: ut nonnulli credere videntur) dicebant *recte, benigne*. Si quis v. c. proficiscens aliquem interrogabat, an sibi epistolam ad aliquem credere vellet, interrogatus, si literarum nihil dare vellet, respondebat; *recte* pro *nolo*: proprie vero *recte* significat hic *recte facis, quod me interrogas, placet mihi tua humanitas* etc. — Terent. Eun. II, 3, 50 Chaerea narrat, se cum cognato quodam invitum esse locutum, quia interim virginem vix visam amiserit, et ait: *Dum haec dicit* (cognatus), *abiit hora; rogo, num quid velit: Recte, inquit: abeo*. In verbis postremis *rogo num quid velit: recte, inquit*, inest duplex euphemismus: a) *rogo num quid velit* h. e. *ich frage ihn, ob er noch etwas befehle* dictum est pro *abire parabam*: quia, qui ab aliquo abire festinant, sic solent saepe loqui: *haben sie noch etwas zu befehlen? verlangen sie noch etwas von mir?* etc. b) deinde *Recte* respondebat ille cognatus pro *Nihil*, ut nostri interdum inferioribus dicunt: *Es ist gut* pro *ich habe weiter nichts zu sagen*; prius posteriori esse humanius dictum, per se liquet. — Sic *benigne* ap. Horat.

rat. I ep. 7, 16 Calaber hospitem, ut edat, rogat: *Vescere sodes:* Hospes respondet: *Iam satis est:* Calaber pergit: *At tu quantum vis tolle:* Hospes respondet: *Benigne* h. e. *Nolo:* at proprie est *benigne facis, benignus es, quod me rogas, magnam habeo gratiam.* — Ibid. v. 61 Vultejus Mena a Philippo ad coenam vocatur, sed respondet: *benigne*, quo verbo indicat, se nolle venire: dictum ergo est pro *Non veniam*, sed humane. Verba sunt: *Ad coenam veniat. Non sane credere Mena* (se ad coenam a Philippo tam nobili viro vocari): *Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne, respondet.* Tum Philippus: *Neget ille mihi?* e quibus verbis clarum est, *benigne respondet* dictum esse pro *recusat venire, negat se venturum, dicit se nolle venire ad coenam.* — Sic ap. Plaut. Menaech. II, 3, 30 ait invitatus quidam: *bene vocas, magna gratia est* pro *non veniam*, ut nostri *ich danke ergebenst, vielmals* etc. Proprie vero est: *bene facis, cum me vocas et pro hac benevolentia magnam habeo tibi gratiam.* — Sic et Graeci venustiores (non omnes Graeci; neque enim hoc ad linguam graecam per se referri debet) dicebant: καλῶς; sic et ἐπαινεῖν τὴν κλῆσιν proprie *laudare vocationem* s. *invitationem ad coenam* dicitur de recusantibus Xenoph. Sympos. I §. 7, quod simile est Latino *gratiam habere, dicere recte* etc. — Pertinet huc ex Cic. Or. II, 69 supra n. 8 adlatum dictum Siculi illius, qui patronum causae sultum, sibi a praetore datum, his verbis repudiavit: *Quaeso, praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis* pro *hunc patronum nolo accipere;* proprie vero est: *da hunc patronum adversario meo: nam deinde mihi non opus erit patrono; quia tum sine patrono vincam.*

4) quando in respondendo veram causam aliamve rem, quia ingrata erit interroganti, reticemus et generali responsione defungimur: v. c. ap. Terent. Hec. III, 2, 20 mater quaerit ex filio: *Quid tu igitur lacrymas? aut quid es tam tristis?* filius respondet: *recte, mater;* h. e. *nihil est, mater,* ut nostri *Es ist nichts, es ist gut*, si veram causam dicere vel directe respondere nolunt.

5) quando tecte aliquem reprehendimus: de qua re supra n. VIII.

XIII) *Novitate elocutionis.* Omne novum placet: omne vulgare et nimis notum taedio est ac minuit attentionem auditorum et lectorum. — Sed illud non ita intelligendum, ut ubique novitati elocutionis studere

re

re debeamus: hoc enim semper fieri nequit. At saepe tamen fieri potest. Nec difficile hoc puto esse sub his conditionibus 1) si simus ingenio praeclaro et animo generoso instructi: 2) si sententiam plane et ex omnibus partibus intelligamus: 3) si verborum singulorum vim accurate teneamus atque ita sciamus, utrum sententiam exprimant recte, nec ne: 4) si justa vocabulorum recte intellectorum copia instructi simus, ut e multis aptissima quaeque eligere possimus: 5) si non simus ea superstitione infecti, ut credamus, hanc vel illam sententiam non nisi iis verbis, quibus Cicero aliusve vir magnus expresserit, exprimi debere vel non meliorem vestem accipere posse, quam vel Cicero vel alius priscorum illi circumdederit. Qui v. c. verba et sententiam recte intelligit, is, ingenio adjutus, facile multa verba, quae Cicero non junxit, jungere potest, quia sibi conveniunt et eandem sententiam exprimunt, atque adeo novas sententias deinde invenire. At, qui vel sententiam vel vocabulorum vim non accurate tenet, ac, quae vocabula sibi conveniant, nescit, sed tantum eorum conjunctionem e Cicerone novit, id quod dicitur vulgo *ex usu loquendi discere*, is nullam aliam phrasin, nisi quam apud Ciceronem legit, usurpare audeat. At nonne hoc est priscos nimis superstitiose imitari vel potius agere more puerorum, qui de rebus nihil dicunt, nisi quod pater de illis dixerit, non aliud vocabulum proferunt, quam quod pater protulerit? Multas sane novas similitudines, praeter eas, quae apud priscos occurrant, hodie proferri posse quis neget? modo aptae sint reique conveniant: quamquam etiam multa, quae prisci dixerunt, hodie pro novis haberi usurparique possunt, quia paucis nota atque ita multis nova sunt. — Novitas autem illa elocutionis commendanda est in primis 1) in *proverbiis*, ne ea ubique prisco habitu proferantur 2) in similitudinibus 3) in exemplis 4) in tropis 5) in verbis.

XIIII)

XIIII) *Variatione ſententiarum et verborum*, quae novitati illi ſaepe vicariam operam praeclare praeſtat. Omnis variatio delectat, non modo ciborum, veſtium aliarumque rerum, ſed etiam idearum et verborum. Aeque pauper eſt is, qui eandem ubique ſententiam profert et iisdem ubique verbis exprimit, quam qui quotidie eadem ſe veſte conſpiciendum praebet. — Debemus igitur ſententias varie exprimere, modo negative modo adfirmative, modo per interrogationem modo ſine ea, interdum propriis, interdum tropicis vocabulis, modo per hanc, modo per illam vocabulorum ſtructuram: et in tropis etiam variatione quadam utendum, ut v. c. in metaphora ſimilitudo rei arceſſatur v. c. modo ab hoc, modo ab illo floris genere etc. — Copia verborum hic debet ad manum eſſe, ut e multis modo haec modo illa eligamus.

V. c. quando dico: *Quamquam, qui perſpicue loquitur, valde laudandus eſt, tamen is, qui ſimul ſuaviter loquitur, magis laudandus eſt*, parum ſuavis eſt oratio, quae ſuavior fiet variatione, v. c. cum dico: *Quamquam, qui perſpicue loquitur, valde laudandus eſt, tamen is, qui cum perſpicuitate ſuavitatem orationis conjungit (conjungere ſcit* vel *qui ſimul ſuaviter loqui novit), majori laude dignus eſt cenſendus:* vel *tamen, qui cum iſta perſpicuitate ſuavitatem orationis conjungere ſciat, eum majori laude dignum eſſe conſtat* ſ. *quis neget?* etc. — Sic dicens: *Virtutis amantes quisque laudat: vitiorum amantes nemo laudat: quomodo enim laudari poteſt, qui ipſe laudanda agere non vult?* parum ſuaviter loquitur: ſuavius dicet v. c. ita: *Virtutis amantes quisque laudat: vitiorum ſtudioſis nemo laudem tribuit* etc. At verba: *quomodo enim laudari poteſt, qui ipſe laudanda agere non vult*, manere debent, ut oppoſitio *laudari* et *laudanda agere non vult* clarius eluceat. Poteſt et ita variari: *Qui virtutem amat, is laude hominum frui ſolet, quae contra vitiorum ſtudioſis deeſſe ſolet* vel *at vitiorum ſtudioſi illa carent* etc. Variatio eſt multiplex, v. c. pro *amoris cauſa, propter amorem, ob amorem* dici poteſt *amore ductus, incitatus* etc. cf. ſupra P. I cap. 8 de *variatione*, S. 10 p. 384 ff., quae late ibi tractata eſt. — Poteſt quoque interdum in collocatione vocabulorum variari, v. c. interdum *is* praeponitur *τῷ qui*, interdum poſtponitur,

ponitur, v. c. *eos, qui literis operam dant, ſemper amo*, et *qui literis operam dant, eos ſemper amo*. Sed haec variatio ordinis verborum non niſi interdum permittitur, h. e. quando uſus ordinis fixus, perſpicuitas, gravitas etc. non offenditur vel in re vulgari.

Interdum tamen variatione vocabulorum uti non licet: v. c. 1) quando alia vocabula non habemus ad rem exprimendam: v. c. *conſul dixit dictatorem; literae mihi ſunt redditae* etc. Quid pro *dixit* et *redditae* dicas? Niſi forte velis dicere *dictator factus eſt* omiſſa conſulis idea, et *literas accepi:* ubi tamen contextus ratio conſulenda. Hinc Cicero non culpandus videtur, qui ad Div. XI ep. 16 in. dixerit: *epiſtola reddita ſit*, et poſt tres verſus: *epiſtolae tibi reddendae*, et interjectis iterum duobus verſibus: *non loco redditae*. Injucundior foret haec repetitio, ſi in eadem ſententia eſſet. Sic Liv. XXX, 33 non proc. ab in. *Hannibal — elephantos inſtruxit*, et, cum deinde de cetera acie loquitur, poſt ſex verſus iterum uſurpat *inſtruxit:* ſed et haec repetitio toleranda, cum poſt ſex verſus demum fiat. Retulit haec duo loca Cel. Erneſti ad gratam negligentiam. 2) quando gravitas poſtulat: v. c. in oppoſitione, *Nec proſunt domino, quae proſunt omnibus artes* Ovid. Met. I, 523 etc. Dictum hac de re eſt ſupra in cap. de *gravitate* S. 3 n. 30, et dicetur infra etiam aliquid de *vitanda repetitione* ejusdem verbi n. 21.

XV) *Genere ſcribendi non adfectato. Adfectatum* eſt *nimis ſtudioſe quaeſitum:* et hoc indicat res et verba non bene convenire materiae. *Non adfectatum dicendi et ſcribendi genus eſt*, quando ita dicimus et ſcribimus, ut natura materiae poſtulat, v. c. *tenuiter* de rebus tenuibus, *magnifice* et *ornate* de rebus magnis et ornatu dignis. — Adfectato igitur dicendi ſcribendique genere utimur, quando de rebus tenuibus magnifice et ſublimiter loquimur, quando, quidquid pulchri ſcimus aut ſcire nobis videmur, v. c. epitheta poetica vel otioſa, v. c. *lac album*, rara vocabula, itemque deſcriptiones locorum, rerum etc., ſententias acutas, tropos, figuras, v. c. exclamationes etc., id ubique ac propterea plerumque inepte et alieno loco ponimus, omninoque ita loquimur aut ſcribimus, ut auditor lectorve facile animadvertat,

vertat, nos *voluiſſe videri pulchre ſcribere:* quod lectori et auditori ſemper moleſtum eſt. Qui *vult videri* pulchre ſcribere, is nec *videtur* pulchre ſcribere nec *ſcribit pulchre.* Lector vel auditor vult pulchritudinem ipſe ſentire ac ſua ſponte de ea judicare: non ab oratore vel ſcriptore moneri impellique ad ſentiendam. Qui ſtudet videri pulchre dicere et ſcribere, is videtur auditori vel lectori ſucclamare: *Lauda me et admirare.* Id quod ſemper eſt arrogantis et ſibi nimium confidentis. Pulchritudo vera ſua ſponte ſe oſtendit ac ſua ſponte placet; nec illam opus eſt digito monſtrari: velut forma virginis vere pulchra mox animadvertitur. Huc pertinent in primis acute dicta: quae ſi quis ita profert, ut ipſi placere videantur, vel ita, ut primus laudet aut riſu hilarive fronte excipiat, omnem, quam habebant, pulchritudinem ac ſuavitatem illa ſtatim amittunt; quia audientes, qui liberum arbitrium ſibi poſtulant, ſibi imperari, quid judicare debeant, arbitrantur. Deinde puerile eſt ubique ornatum adhibere: indicat enim, te non diu diſciplinam magiſtri reliquiſſe, te judicio carere etc. — *Adfectatus* ſermo plerumque naſcitur 1) ex ambitione ſ. vanitatis ſtudio vel etiam ex arrogantia 2) ex inopia judicii 3) ex inſcitia rei, quae tractatur, omninoque ex inopia doctrinae accuratae. Nonnemo rem nimis auget et ornat, quia majorem haud novit atque ita illam pro omnium maxima habet. 4) ex cognitione vocabulorum non accurata. Multi utuntur adfectato ſermone, ita, ut hoc neſciant: putant, ſe recte atque adeo praeclare loqui, quia ſic didicerunt. Hinc 5) in primis oritur ex inſtitutione magiſtrorum multorum perverſa, qui prius de pulchra latinitate, de ornate ſcribendo, ut loquuntur, quam de recte ſcribendo dicunt, tanquam recte ſcribere ſit nimis puerile vel nimis facile ac per ſe diſcatur; atque adoleſcentes ad pulchre ſcribendum, non ad pulchre cogitandum, impellunt, tanquam *cogitare* non ad ſcribendum ſit neceſſarium,

ceſſarium, ſed tantum ad philoſophum proprie ſic dictum pertineat. Omnes homines natura ducuntur cupiditate pulchritudinis atque ita pulchre loquendi et ſcribendi. Iam, ſi adoleſcens pulchre ſcribere ac loqui ante diſcit et ſtudet, quam pulchre cogitat, nonne iſta pulchritudo, in meris verbis, iisque raris, tropicis ac ſine ſenſu pulchritudinis rerum conquiſitis conſtans, ſit coacta et adfectata neceſſe eſt? Legunt vulgo Ciceronem, pulchre quidem ſcribentem: at ſententiam ejus ac contextum idearum negligunt, obliviſcuntur, ac ſaepe ne intelligunt quidem. Verba ſola, utcunque intellecta, uſurpare in omni contextu gaudent. Poteſt interdum in eorum verbis nonnullis vera ineſſe pulchritudo, ſi ideae pulchrae ſunt: at, quia nimis condenſantur iſtae veneres, moleſtae fiunt et adfectationi propinquae. Aromata ſunt ſuavia; at nimia eorum multitudo in cibis eſt taedio. Matrona honeſta ornat ſe, at modice et apte, et ejus forma placet: meretrix nimium ornatum adfectat, quia virtutibus ſuis diffidit nec pulchritudinem ſuam ſine illo ſatis declaratum iri putat.

Venit hic in mentem *gratae negligentiae* in ſcribendo, quam ſunt qui commendent. Dubius ſum, quid de ea ſentiam, quia in vocabulo *negligentiae* videtur eſſe ambiguitas. Omnis vera negligentia eſt per ſe vitium, indicatque lectorem ab ſcriptore, auditorem ab oratore, contemni; et tum opponitur diligentiae, quae non ſatis commendari poteſt. Sed interdum videtur aliquis negligens eſſe, comparatus cum alio nimis ornato h. e. cum eo, qui ubique ornatum, quemcunque novit, adhibet, et qui propterea vocari poſſit nimis diligens, quod ſemper vitium eſt: quemadmodum matrona honeſta, accurate veſtita et ornata, poſſit vocari negligens prae meretrice nimis ornata: quia neglexit hunc nimium ornatum. Si ſic grata illa negligentia intelligatur in ſcribendo, facile adſentior: it., ſi per gratam negligen-

gligentiam intelligatur *simplicitas* (das Ungekünstelte), quae *arti* opponitur. — At videtur vocabulum *gratae negligentiae* vulgo usurpari ad defendendos scriptores priscos, in primis Ciceronem et Caesarem, quos interdum negligenter h. e. vitiose scripsisse negari non potest. Vera autem negligentia nunquam grata erit intelligentibus et gustum habentibus: ac fortasse nomine *gratae negligentiae* priscos non defenderemus, nisi magna observantia erga eos teneremur vel didicissemus a magistris nostris, priscos ab omni vitio, quo possent, defendendos esse. — Commendavit etiam Cel. Ernesti *negligentiam gratam* in Opusc. Phil. p. 126 et adfert repetitionem multorum vocabulorum, quam ad gratam negligentiam refert: quam tamen partim vitiosam partim vel ob gravitatem vel ob inopiam alius vocabuli necessariam fuisse crediderim, ut et ex supra dictis et ex infra dicendis adparere puto. Omnino suaserim tironibus, ut magis diligentiam quam negligentiam sequendam statuant. Loca ab Ernestio ad confirmandam gratam negligentiam infra memorabo, ubi agetur de *vitanda repetitione ejusdem vocabuli*.

XVI) *Aequali scribendi genere;* quod ad proxime praecedens quodam modo pertinet. Sed *aequale genus scribendi dicendique* non ita intelligendum, ut per totam orationem ac librum vel magnifice vel tenuiter scribere debeamus: nam nulla est oratio, nullus liber, in quo non interdum graviter, magnifice ac sublimiter, interdum tenuiter dicendum sit: nam modo narramus, modo docemus, modo adfectus hominum excitare studemus etc. Sed aequale dicendi scribendique genus constat in eo, si characterem singulis dicendi generibus proprium servamus; nec verba vel modos rem tradendi ex alio in aliud genus transferamus. — Male v. c. descriptiones ac similitudines uberiores et crebriores, quae sunt poetis propriae, transferas in historiam: male vocabula rara et poetica, v. c. *altitonans*, *horrisonus* etc.,

etc., it. exclamationes in historia usurpes. — Sic contra narratio simplex historicorum h. e. omni artificio non necessario carens non convenit poetis. Genus dicendi poeticum iterum in species quasdam se dividit: aliud est dicendi genus in odis, aliud in fabulis, aliud in epicis carminibus scribendis etc. Haec genera non confundenda sunt. Sic orator aliis similibus utitur quam poeta, et alio modo tractat, atque rarius ipsa adhibet. Ridiculus est orator vel scriptor, si poetarum epicorum more repente adsurgit et statim deinde humilia verba profert, tanquam Davus in Comoedia loquatur. — Haec inaequalitas oritur ex iisdem fontibus, ex quibus adfectatum genus dicendi provenire diximus: praeterea e collectaneis quibusdam, ut vocantur. Colligunt nonnulli ex omnibus scriptoribus, quidquid praeclari ibi reperiunt vel quidquid praeclari inveniisse credunt: ac, si quid scribunt, eo confugiunt, et inde rapiunt, quidquid inveniunt. Sic facile fit, ut Virgiliana commisceantur cum Terentianis, Ciceronianis etc., verba servi cum verbis sapientis et docti etc. Melius est, quae legeris, in succum, quod ajunt, convertere tibi proprium, more apum, quae e florum succis efficiunt succum suum h. e. *mel*. Quis mel gustans novit, unde apes illud congesserint? Sic, quaecunque legimus, ita debemus concoquere, ut deinde pro nostris habeantur. Id quod facile est, modo nihil dicas, quod non accurate intelligas.

XVII) *Vegeto scribendi et dicendi genere* h. e. eo, quod lectorum et auditorum adtentionem excitet: id quod in primis opus est, si oratio vel liber est paulo longior aut materia paulo tenuior ac siccior. Nam *in opere longo*, ait Horatius, item *in tenui, fas est obrepere somnum*. Sed unde hoc consequimur? Maxima ejus pars debetur naturae, educationi et doctrinae, conventus hominum non fugienti. — Adjuvatur illud multis rebus, quas hic universas recensere non possumus; v. c. 1) *epithetis* descriptionem rei continentibus; sed haec

non otiosa esse debent: v. c. Cic. Senect. 15 *terrae natura delectat: quae cum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit, primum id occaecatum cohibet: — deinde — elicit herbescentem ex eo viriditatem* etc. Totus locus est suavis; additur hic *mollito ac subacto*, deinde *sparsum, occaecatum, herbescentem.* 2) omnino *descriptionibus* rei, efficientibus, ut ipsa oculis fere subjiciatur: de quibus mox. 3) *acute dictis*, de quibus infra. Nihil magis adtentionem excitat. 4) *interrogationibus* et *exclamationibus*, ubi tamen videndum, ut aptae sint reique conveniant. 5) metaphora pulchra. Omnis metaphora, si a re sensibus subjecta sumta est, excitat adtentionem in re subtili diu audienda. Nam, quidquid audire vel videre videmur, id mentem magis nostram ferit, quam quod cogitando consequimur. — In primis delectat *metaphora suavis*, ut vulgo non satis quidem accurate loquuntur, h. e. *in qua inest suavis imago* s. *quae a re suavi ducta est*, v. c. *a segete, vere, floribus* etc. v. c. *flos aetatis* etc. — Placet etiam metaphora a re grandi ducta: v. c. *vallum aristarum:* sic Cicero Senect. 15 loquens de segete: *et contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum.* — Maxime tamen omnium placet adtentionemque excitat et recreat metaphora, si rebus inanimatis vitam vel adeo vocem et actiones hominum omninoque animalium, atque ita etiam bestiarum tribuit: v. c. *somno oppressus*, de eo, cui somnus obrepit: *somno victus*, de eo, qui, postquam diu somno restitit, tandem dormire cogitur: *somno vinctus*, de eo, qui ita dormit, ut non facile excitari possit. Hic consideratur *somnus* ut homo, qui aliquem inimicum *opprimit* h. e. *repente invadit, vincit* h. e. *superat*, et *vincit* h. e. *ligat*. — Sic Cic. Nat. Deor. II, 33 *quippe quae* (terra) *gravidata seminibus omnia pariat et fundat ex sese, stirpes amplexa alat et augeat, ipsaque alatur vicissim a superis externisque naturis.* Cui haec legenti somnus obrepere possit? *gravidata, pariat, fundat, amplexa* etc.:

etc.: omnia praeclara et suavia. — Cic. Senect. 15 seges dicitur *niti sich auffstemmen, sich stützen*, et *adolescere*. Verba sunt: *quae* (viriditas herbescens i. e. seges) *nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta* etc. Ac paulo post *vitis* dicitur *serpens* etc. — Sic *seges* dicitur *laeta:* sic *flos* dicitur *mori:* sic *agri* dicuntur *sitire* etc. *Fontes sitiunt* dixit Cicero ad Q. Frat. III, 1 med.: et *venias ad sitientes aures* ad Att. II ep. 14 in. — At parcius tamen ita prosaici: crebrius poetae, quibus nihil frequentius; v. c. *cymba gemit, tecta surgunt* ap. Virgil.: it. *vino* vel *somno fallere curas* pro *obliviscI* Horat. Serm. II, 7, 114: sic *currus non audit habenas* Virg. Georg. I, 514. Verba sunt: *Fertur equis auriga neque audit currus habenas.*

XVIII) *Descriptionibus rerum suavibus* v. c. *montium, regionum, bestiarum, actionum, permotionum animi* etc. in primis *naturae:* v. c. Cic. Senect. 15 describit *segetem crescentem:* cf. Nat. Deor. II, 33 in. et cap. 47 ll., quae plena sunt descriptionum suavissimarum, v. c. cap. 47 *Jam vero vites sic claviculis adminicula, tanquam manibus, adprehendunt, atque se ita erigunt, ut animantes* etc. Ibid. *Jam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo, ad pastum accedunt, alia volando, alia nando: cibumque partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum: alia fugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt.* Et plures sunt capp. seqq. de singulis animalibus: at uberior est descriptio hominis a cap. 54 ad cap. 61: ubi de singulis ejus partibus dicitur, et tota quidem suavissima, ut cap. 56 *sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad usus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi, tanquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes, fungantur suo munere. Et aures cum sonum percipere* etc.: cap. 57 in. *quae* (natura) *primum oculos membranis tenuissimis vestivit et sepsit: quas*

primum perlucidas fecit, ut per eas cerni poſſet; firmas autem, ut continerentur. Sed lubricos oculos fecit et mobiles, ut et declinarent, ſi quid noceret, et adſpectum, quo vellent, facile converterent. — Munitaeque ſunt palpebrae tanquam vallo pilorum, quibus —, ſi quid incideret, repelleretur etc. Sed totus locus eſt perlegendus. — Omninoque nihil ſuavius natura, ut, qui ejus rationem accuratius cognoverit, is nullo negotio ſuaviter ſcribere poſſit: nam nulla fere eſt materia, ubi non vel ſimilitudo aliqua vel vocabulorum multitudo a natura arceſſi et uſurpari poſſit. Orator, cui natura ignota eſt, plerumque haeret in ſpinis et jejune ſcribit ac dicit. — Nec modo in Cicerone, ſed etiam in Caeſare, Livio, maxime in poetis, ut Ovidio, Virgilio etc. egregiae ſuaviſſimaeque reperiuntur deſcriptiones rerum. Animi permotionum deſcriptiones innumerabiles habent Ovidius et Virgilius, v. c. Aen. I eſt deſcriptio *irae Junonis* et *Neptuni: amoris, irae ac furoris* Didonis Aen. IIII etc. Cujusmodi deſcriptiones qui poſſit ſine adtentione ac ſine voluptatis ſenſu legere, ferreus ſit neceſſe eſt.

XVIIII) *Jocis apte adhibitis.* Qui in jocando placere vult, debet ingenio uti praeclaro et cognitione animorum humanorum inſtructus eſſe. Riſum movere facile eſt: at apte jocari non cadit in quemque.

Joci debent eſſe

1) *liberales* ſ. liberali homine digni h. e. non modeſtiam et religionem laedentes. Exſecrandus eſt, qui alios virtutis impenſis, ut ſic loquar, delectare gaudet. Rejiciendi ergo omnes joci, in quibus, quidquid ad ſacra et virtutes pertinet, deridendum propinatur. Peccarunt hic Ariſtophanes et Plautus, non item Terentius, Cicero etc.

2) *rei convenientes:* non igitur, quidquid in buccam venit, effutiendum eſt, licet modeſtiam et virtutes non offendat.

3) *non vulgares* h. e. plebi non nimis notae: debent habere novitatis aliquid.

4) *acuti*, et tamen ſimul tales, ut *non quaeſiti* videantur. Quod utrumque conjungere non facillimum eſt. *Acuti* h. e.

in

in quibus aliquid reconditi latet, non cuivis statim apertum, sed tantum prudentioribus et urbanioribus. Placet enim acumen ingenii. De *acute* dictis seperatim dicetur, quia non omne acute dictum jocus est. *Non quaesiti* videri debent h. e. tales esse oportet, ut statim in mentem venisse videantur. Ergo debet exercitatus esse in acute dictis, qui acute jocando vult placere. Aegre ferimus, si quis jocum profert, quem diu et diligenter excogitasse videtur: quia tum videtur placere velle, quod molestum est. Homines volunt videri sua sponte risisse, et ridentes ob alicujus jocum magis placent sibi propterea, quod acumen ingenii in joco intellexere, quia sic ipsi acute cogitasse sibi videntur, quam iis is placet, qui jocando acumen sui ingenii nimis aperte ostendit vel ostendere voluisse creditur.

5) *parci.* Quo crebriores sunt joci, eo magis vulgares fiunt. Qui nimis crebro jocatur, fit homo ridiculus. Peccavit hic Cicero ingenio interdum abundans, qui aliquando propterea *ridiculus consul* adpellatus est. Joci sunt genus aromatum orationis. Sed nimis crebrum aromatum usum stomachus fastidit. — Ceterum de *jocis* legi potest Cicero Orat. II, 54 — 71 et Quintil. VI cap. 4 totum.

XX) *Acute dictis*, sive per jocum sive serio adhibeantur. — *Acute dicta* sunt ea, quae non statim a quolibet intelliguntur, sed aliquid reconditi atque ita non a quovis exspectati continent. — Vocabula *acutus* et *acumen* proprie de cuspide, de gladio, cultro, similibusque instrumentis dici notum est, quae dicuntur *acuta esse* s. *acumen habere*, si non in superficie seu extremitate rerum, quas petunt, haerent, sed alte penetrant: quod si non possunt, dicuntur *obtusa* esse. Sic *mens obtusa* est, quae rei externam modo faciem cogitare et videre potest: *acuta* vero *mens* s. *acumen mentis* dicitur, quando mens in rem ipsam penetrat cogitando, vel etiam altius quam mens aliorum potest, et in ea plura videt atque observat, quam mens aliorum multorum, v. c. causam aliquam tectam causarumve causas, it. consilia et artes hominum callidorum etc. Talis igitur mens dicitur *acuta esse* et *acute moveri* i. e. *acute cogitare:* nam cogitationes ejus penetrant alte, atque ita ab hominibus,

quorum mens non aeque alte penetrat, ſed in externa rerum facie moratur, perſpici non facile vel non ſtatim poſſunt. — Facile hinc intelligitur, *acumen* de cogitando quidem, non vero de loquendo, proprie dici poſſe, ut adeo *acute dicta* proprie falſo ita dicantur: verba enim non alte penetrant in rerum intimam rationem et naturam, ſed cogitationes tantum. Quia tamen, qui acute aliquid cogitat, id dicendo declarat, et *acute cogitata* non niſi *dicendo* adparere poſſunt: hinc mos invaluit, ut homines, qui in eligendis vocabulis non ſemper ſatis accurati ſunt, eos, qui acute cogitata proferrent, dicerent *acute dicere*, quemadmodum ii, qui res ſublimes recte eloquerentur, dicebantur *ſublimiter dicere*, *ſublimitate orationis uti*. Hinc *acute dicta* ſaepe occurrunt. Proprie igitur *acute dicere* per quandam dicendi brevitatem dicitur pro *acute cogitata dicere* ſ. *proferre*. — *Acute* itaque *loqui* eſt ita loqui, ut, qui te audit, non ſtatim mentem tuam intelligat, ſed inexſpectati aliquid audiat, quod tamen rei conveniens et aptum verumque eſſe deinde animadvertit et ſentit. Omne *acutum* in dicendo eſt inexſpectatum, at ſimul rei conveniens et verum. Ergo non omne inexſpectatum pro acute dicto habendum eſt: ſed et verum reique conveniens ſimul ſit neceſſe eſt. Placere autem hominibus *acute dicta* per ſe patet, quia mens humana talis vulgo eſt, ut magis gaudeat, ſi quid intellectu difficile intellexit et conjectura adſecutus eſt, quam, ſi quid facile intellectu audit et intelligit: id quod e ſtudio hominum vulgari aenigmata audiendi et ſolvendi adparet: nam, quo difficiliora ſunt aenigmata, eo libentius audiunt; nec quidquam ſtudii facile remittunt in illis ſolvendis. — At non nimis crebra eſſe debent *acute dicta*, cum ob cauſam ſupra in *ſententiis* P. II c. 2 ſect. 3 n. VI adlatam, tum quia mentis aciem auditorum et lectorum nimis intendunt ac tandem fatigant, et praeterea, quia omne venuſtum nimia frequentatione invenuſtum fieri et taedium creare ſolet.

Omnino-

Omninoque in acute loquendo magno ingenio judicioque opus eſt, ac ſimul cognitione animorum humanorum, ut non prius in acute loquendo felices nobis videamur, quam certo ſciamus, ea, quae acute dixerimus, omnium prudentium plauſum tuliſſe. — *Acute dicta*, quae ſaepe melius *ſcharfſinniges* h. e. *ſcharfgedachtes (tiefgedachtes, einen ſcharfen Verſtand anzeigendes) Reden* (quia *Sinn* olim pro *Verſtand* uſurpabatur) quam *witziges* (a *wiſſen*) *Reden* a nobis dicuntur, poſſunt dividi in *minus* vel *magis acute dicta*, prout ad ea et proferenda et intelligenda vel majori vel minori ingenii ac doctrinae copia opus eſt. — Nonnunquam vel acutiſſime dicta famam amittunt et contemnuntur, ſi quidem in vulgus et in omnium notitiam abeunt, omniumque ore frequenter uſurpantur: id quod in multis videmus proverbiis fieri, quae vilia ſunt, quia proverbia atque ita ſententiae vulgares omnibus notae ſunt. — *Acute* tandem *dicta*, ſi vix ac ne vix quidem intelligi poſſunt, omni ratione ſunt vitioſa, quia offendunt perſpicuitatem, primariam ſcribentis dicentisque virtutem.

Plurima vel potius innumerabilia fortaſſe *genera* ſunt *acute dictorum*. Quis ſingula novit? quis recenſere poteſt? Ac forſitan indies nova cuduntur. Equidem *ſeptem* genera enumerabo: nam non omnem luſum verborum inanem, qui interdum etiam a nonnullis inter acute dicta numeratur, adferre poſſum.

A) *Primum genus eſt, quando ſpecie repugnantia profero* ſ. duas ideas ſibi contrarias ita conjungo, ut tamen propter contextus reique rationem nihil repugnantiae inſit. Dicuntur haec vulgo *oxymora;* v. c. cum dico: *dives hic eſt pauper*, ſcil. quia divitiis non fruitur, atque ita a paupere non diverſus videtur; aut de avaro divite: *optat, quod habet* i. e. divitias. — Pertinent huc paradoxa illa Stoicorum: *omnem ſapientem, licet ſit pauper, tamen divitem, et, licet ſit ſervus, tamen regem eſſe* etc. Pertinet huc illud e Cicerone: *cum tacent, clamant;* it. *ſtulta ſapientia* de eo, cujus ſapientia nihil prodeſt. Huc pertinet Flor. II, 6 §. 27 acute dictum de Fabio Cunctatore: *qui novam de Hannibale victoriam*

commentus est, non pugnare: Martial. VIII, 11 *nubere uxori*, quod indicat *ejus imperio obnoxium esse.* Verba sunt: *Uxorem quare locupletem ducere nolim, Quaeritis? uxori nubere nolo meae:* quod acutius est quam cum Ovid. Met. VIIII, 761 Iphis puella, cui pater, quia pro mare habebat, virginem desponderat, ait: *Pronuba quid Juno, quid ad haec, Hymenaee, venitis Sacra, quibus, qui ducat, abest, ubi nubimus ambae?* dicit: *abest, qui ducat* i. e. *deest vir: ubi nubimus ambae* i. e. *nos ambae sumus feminae:* nam *ducere* est virorum, *nubere* feminarum. Acute et hoc dictum quidem est, at sensus vulgaris inest, ut magis lusus vocabulorum speciosus sit. Add. Ovid. Met. VII, 604 *mortisque timorem Morte fugant.* Plenus est Ovidius; v. c. Heroid. XIIII, 105 *eadem sequerisque fugisque, Tu tibi dux comiti, tu comes ipsa duci.* Sed haec omnia, si proprie intelligerentur, vere sibi repugnarent: at alterutra idea, sive sit subjectum sive praedicatum, seu alia sit idea adjecta, non ita sumitur, ut id, quod esse dicitur, vere sit, sed ut tantum esse *videatur:* ut itaque, si vere loquimur, sit non nisi lusus vel fallacia vocabulorum. V. c. *dives hic est pauper* dicitur pro *videtur pauper esse* s. *est pauperi similis: sapientia hominis stulta* pro *quae videtur esse sapientia hominis, non est vera sapientia, sed est stultitia*, vel, si vocabulum per jocum retinere velis, est *sapientia stulta* h. e. *nulla.* In hoc: *optat, quod habet* est merus lusus vocabulorum; deest enim veritas: *avarus non optat quod habet*, sed *plus quam habet* seu *plures divitias, incrementum divitiarum.* Nec igitur hoc ad oxymora subtiliter referri potest. Referunt huc etiam *otium negotiosum:* sed hic in verborum externa forma, non in ideis, reperitur repugnantia. Nam *otium* hic sumitur pro *vacatione a laboribus statis e muneris ratione subeundis*, qui nunquam tales sunt, ut non *alia negotia* quoque suscipere possimus. Cur finitis laboribus statis, hoc est *in otio*, non possimus aliud *negotium* quoddam suscipere? Hoc tum dicatur *otium negotiosum.* Romani senatores certo anni tempore in villas suas excurrebant, quia tum Romae otium erat, h. e. senatus non conveniebat et negotia senatus cessabant. Cur igitur in villis non poterant aliquid agere atque ita *otium negotiosum* habere? At, si *otium* esset *vacatio ab omni labore*, sive muneris ratione sive alia quacunque de causa subeundo, *Müßiggang*, tum plane repugnaret huic *otio τὸ negotiosum.* Ac fortasse primus, qui *otium negotiosum* pro *oxymoro* habuit, *otium* ita intellexit, sc. *Müßiggang.* (Cf. p. 673, 4). — Ceterum oxymora caute usurpanda sunt. Dictum

tum de iis etiam ſupra eſt cap. 2 de *gravitate* ſect. 3 n. XXII p. 668 ſ.

B) *Alterum* genus eſt *ambiguitas ſententiae* ſ. *ideae ob vocabulum homonymum.* Sunt ſcilicet vocabula permulta, quae duplicem (ſaepe plures) ſententiam ſ. vim habent *homonyma* dicta, quibus utuntur acute dicturi nonnunquam de induſtria ita, ut audientes et legentes paulisper incertos relinquant, utram vim cum illis conjungere debeant: quamquam ingenium ſagax celeriter vim veram deprehendit, et omnino contextus debet eſſe talis, ut conſilium dicentis et ſcribentis intelligatur. Interdum ita ambigue loquens a paucis, iisque prudentioribus, intelligi vult. Exempla dabimus. Cicero, cum dixit de Octaviano, *ornandum* et *tollendum eſſe*, in vocabulo *tollendum* ambigue locutus eſt. Nam *tollere* poteſt eſſe tum *ad honores evehere* tum *interficere.* Octavianus dicitur hanc ambiguitatem ſenſiſſe et dixiſſe, ſe cauturum, ne *tolleretur* h. e. *interficeretur* Suet. Aug. 12. Cicero autem videri volebat vocabulum priori ſenſu uſurpaſſe. Sic ap. Sueton. Ner. 39.

Quis negat, Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem

ubi prius eſt *interfecit*, poſterius eſt *portavit kumeris.* Huc pertinet in primis hoc dictum Ciceronis: *Tertia deducta eſt.* Serviliae cuidam, quam Caeſar aeque ac filiam ipſius Tertiam amabat, cura Caeſaris praedium quoddam addictum erat parvo. Quod cum multi mirarentur, Cicero: *quo melius, inquit, emtum ſciatis, Tertia deducta eſt.* Senſus ineſt duplex, 1) *tertia pars pretii deducta adeo* i. e. *donata Serviliae eſt:* ſic multi eorum, qui haec verba audivere, intellexere, 2) *Tertia, filia Serviliae, ad Caeſarem concubitus cauſa deducta eſt:* et hoc ſignificare proprie volebat Cicero. Cf. Suet. Jul. 50. En aliud: Fauſtus, Sullae filius, cujus ſoror duos ſimul amaſios habebat, Fulvium, fullonis filium, et Pompejum Maculam, dixit: *miror, ſororem meam habere maculam, cum fullonem habeat.* Ciceronis Epiſtolae, in primis ad Trebatium in libro VII et ad Paetum libr. VIIII, refertae ſunt talibus argutiis: v. c. VII ep. 13 *Treviros vites cenſeo: audio capitales eſſe, mallem auro, argento, aere eſſent:* ubi per *Treviros* et natio quaedam Galliae, in qua tum Trebatius erat, et *Treviri* ſ. *Triumviri capitales* ac *Triumviri auro, argento, aere* intelliguntur. Ad Div. VIIII ep. 18 Paeto, quocum libenter de coenae adparatu etc. jocabatur,

scribit: *disc' jam προλεγομένας*: in quo vocabulo et prolegomena eloquentiae et jocose simul prolegomena artis coenandi intelligit. In orationibus Verrinis Cicero vocabulo *Verris* ambigue utitur, ut et praetorem illum et suem marem intelligat. Nescio, an satis apte et honeste: sic v. c. *jus Verrinum* usurpat Verr. I, 46 de jure, quod Verres dixit in praetura urbana, ubi simul respici vult ad *jus suillum*. Verba sunt; *negabant mirandum esse, jus tam nequam esse verrinum;* ac deinde: *cum Sacerdotem, qui verrem tam nequam reliquisset*, quae iterum ambigue dicta: a) *Sacerdos* est et *nomen proprium* praetoris et is *qui sacra facit:* b) *Verres* est nomen praetoris supra memorati et notat *suem marem*. It. *Verrutius* erat nomen fictum, in quo latebat *Verris* nomen: vid. Cic. Verr. II, 76. Cicero irridendi causa appendicem *utius* vocat *caudam Verris* ibid. c. 78 in. ambigue, respiciens ad suem. Ejusmodi ambiguitates, ad quas homines ingenio abundantes valde propensi sunt, saepissime in frigus abeunt sensuque carent. V. c. quod aliquis (Aristot. Rhet. II, 23) de Draconis legibus dixit: *non hominis istae sunt leges sed draconis* h. e. *serpentis*: quid hoc sibi vult? quid sunt leges serpentis? Sic ap. Plaut. Rud. I, 1, ubi aliquis *aedes illustres* vocat, quas venti perflabant. Haec sunt acute vel potius facete dicta hominum de plebe. Sic Augustus, videns multos a Cassio accusatos *absolvi*, dixit, cum architectus fori nimis diu hoc opus extraheret: *Velim Cassius meum quoque forum accuset, ut tandem absolvatur* h. e. perficiatur. Quam parum acute! quam frigide! Quid inest, nisi lusus puerilis in verbo *absolvere*? Nihil sententiae. Nam *absolvere* aliud est de accusatis dictum, aliud de foro. At *acumen* debet in sententia s. idea, non in verbi externa forma, latere. Nam, si τῷ *absolvatur* substituas *perficiatur*, quod omni jure fieri potest, nihil absurdius dici videbis. — Omninoque acumen ambiguitate vocabuli sola nitens nec simul ideam praeclaram et inexspectatam continens semper miserum esse puto. Et innumerabilia acute dicta ap. Cicer. et alios invenies, quae omni sensu carent et nonnisi lusu verborum constant.

C) *Tertium* genus est *ambiguitas sententiae per vocabuli depravationem* vel *immutationem* h. e. alienam pronuntiationem jocose quaesitam: v. c. Cato dixerat cuidam: *eamus deambulatum;* et hic ait: *quid opus fuit de?* qua re significare voluit, *ambulatum* jam sufficisse; tum Cato respondit: *Imo vero quid opus fuit te?* Narrat hoc Cicero Orat. II, 63. Paulo acutius est dictum Stilponis ap. Diog. Laert. II, 118. Qui cum vidisset hyeme Cratetem frigore rigidum, dixit ei:

ei: ὦ Κράτης, δοκεῖς μοι χρείαν ἔχειν ἱματίῳ καὶ νῷ h. e. *videtur tibi opus esse pallio et mente:* sed vocabula καὶ νῷ conjunctim pronuntiabat, tanquam esset καινῷ a καινὸς h. e. *pallio novo:* simile quid adtulit ad istum locum Menagius. — Sed notandum, hoc tantum in pronuntiando, non in scribendo, atque ita solum in sermone familiari locum habere posse; nec omnino ejusmodi acute dictis multum tribuendum: sunt enim lusus verborum, quales toto die in ore hominum urbanorum observare licet.

D) *Quartum* genus est, quando ad *alterius verbum aliquod ambiguum respondemus alio sensu* quam quo ipse illud protulit. Sic fecit Catulus ap. Cic. Orat. II, 69. Malus quidam orator, qui in epilogo misericordiam se movisse putabat, cum deinde adsedisset, quaesivit e Catulo, videreturne misericordiam movisse: *Ac magnam quidem*, respondit Catulus, *neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.* Ambiguitas erat in hoc: *misericordiam movisse:* orator ille de misericordia in clientem, Catulus de misericordia erga oratorem, loquebatur, sed de industria. Sic, cum post pugnam Pharsalicam esset, qui diceret, nondum animum esse despondendum, quia adhuc septem aquilae restarent, Cicero respondit: *Recte hortareris, si cum graculis nobis bellum esset.* Egregie, cum praesertim insit reprehensio hominis modesta.

E) *Quintum* genus est injecta brevis similitudo, vulgo *adlusio* dicta, sive sit apertior sive tectior. V. c. Furius Albinus post fugam Mutinensem interrogatus, *quid ageret Antonius?* respondit: *quod canis in Aegypto, bibit et fugit.* Egregie, quia simul inest falsa et venusta reprehensio brevitate summa simul se commendans. Sic Augustus, cum ei quidam offerret libellum trepidus et manum modo proferret modo retraheret, dixit ei: *putasne te assem elephanto dare?* praeclare pro *noli tam timidus esse.* Huc pertinet Flor. II, 6 *Capuam Hannibali Cannas fuisse* h. e. *perniciosissimam.* It. Cic. Senect. 19 *Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocunque fuerit actu, probetur; neque sapienti usque ad Plaudite vivendum.* Huc pertinent multa ex antiquitatibus vulgo ducta, v. c. *Andabatarum more pugnare, fasces submittere*, pro *cedere alicui* vel *revereri aliquem;* it., si quem perperam de re judicantem vocamus *censorem vitio creatum* etc. — In his tamen usurpandis magna cautio est, quia multa ex antiquitatibus sumta non ab omnibus intelliguntur ac temporibus nostris plerumque non conveniunt, ut alibi monuimus, nisi forte in jocando iis uti velis. Pertinet huc,

huc, quando de homine, qui, quod non efficere poterat, id ſe noluiſſe ſimulat, dicimus: *Eſt inſtar vulpis ap. Phaedrum, dicentis: nolo acerbam ſumere* vel brevius: *Eſt inſtar vulpis nolentis acerbam ſumere.* Ad tectam egregiamque ſimilitudinem refero etiam dictum Socratis ſupra memoratum: qui, cum ab adoleſcente petulante percuſſus eſſet colapho, dixit: *video mihi in poſterum cum galea incedendum eſſe*, h. e. *tu es cavendus, ut bellua, ut bos*, vel *alia beſtia.*

F) *Sextum* genus eſt *Ironia*, quando aliquid ei, quod cogito, contrarium dico, ita tamen, ut e certis ſignis vel e contextu mens mea adpareat. V. c. quando *ſapientem* voco *ſtultum* vel *ſtultum* dico eſſe *ſapientem.* Sic *laudare* pro *vituperare* et contra: v. c. quando aliquis praeclara carmina vituperat, et ego dico: *valde illa laudavit.* Sic noſtri per jocum alicui, qui valde laudatus eſt, dicunt: *Sie ſind ſehr getadelt, geſcholten, worden* etc. Pertinet huc locus Ovid. Heroid. XIIII, 120 *Quid fiat ſonti, cum rea laudis agar?* hic *rea laudis* acute dictum eſt et oxymorum. De Ironia ſupra P. II c. 2 ſect. 3 n. XXIII it. P. I c. 2 ſect. 15 dictum eſt.

G) *Septimum* genus, cum praecedente cohaerens, eſt ironica deminutio criminis alicujus vel alius rei ingratae per ſpeciem tantum facta: poſſit et vocari *tecta reprehenſio.* V. c. Africanus (ap. Cic. Orat. II, 67) tribu movebat centurionem, quia Pauli pugnae non interfuerat. Is cum ſe cuſtodiae cauſa in caſtris remanſiſſe diceret, quaereretque, cur ab illo notaretur, Africanus reſpondit: *Non amo nimium diligentes* h. e. *timidos.* Huc pertinet illud e Cic. Or. II, 69: Siculus ille, cui praetor Scipio patronum cauſae dabat, hoſpitem ſuum, hominem nobilem, ſed admodum ſtultum: *quaeſo*, inquit, *Praetor, adverſario meo da iſtum patronum, deinde mihi neminem dederis* (i. e. *des* vel *dare debes*) pro *Apage iſtum patronum, qui nil prodeſt, imo obeſt, qui cauſam non agere ſed corrumpere poteſt.*

Hactenus de acute dictis: ſunt enim innumerabilia; cf. Cic. Orat. II, 54 — 71. Non vero iſta poſuimus, ut iis cupide uterentur tirones: diſcenda et legenda ſunt, ut, quam variis modis ingenia ſe aperire ſoleant, diſcamus, ac, ſi forte in mentem veniant, apteque hoc fieri poſſit, interdum adhibenda vel ſimilia ad eorum imitationem effingenda. Teneamus, acute ſcribere et dicere eſſe rem lubricam, et, ut quisque acutiſſimus videri cupiat, ita plerumque ſtultiſſimum videri. Teneamus etiam ea acute dicta, quae ambiguitate aliqua vocabulorum cernantur, non nimis magni aeſtimanda: ſunt celeres motus ingenii, qui, more ſcintillae, celeriter oriun-

oriuntur, celeriter moriuntur h. e. oblivioni traduntur, et delectationi ad breve tempus proſunt. Nulla vera utilitas inde exſpectari poteſt. Hinc forſitan excuſabimur, quod non plura ejusmodi genera adtulimus. Pluris facienda ſunt ea acute dicta, quibus ſententia aliqua praeclarior et fortior redditur. Haec vere delectant, haec vera ſunt animorum pabula. Animi enim humani paſcuntur ideis, non verbis.

XXI) *Repetitione ejusdem vocabuli eodem ſenſu in diverſis ſed arcte conjunctis enuntiationibus.* Fit hoc tantummodo in ſententiis ac proverbiis, quia hic ſimplicitas regnat, et ubi quaedam eſt oppoſitio.

V. c. hoc Laberii ap. Macrob. Sat. II, 7 *neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.* Injucundius foret *quem multi metuunt:* variatio hic videatur res artificii atque ita quaeſita. Sic illud Publii Syri: *Cui plus licet quam par eſt, plus vult quam licet.* It. illud: *plus dat, qui cito dat;* dicas: *plus largitur, qui cito dat;* vel *plus dat, qui cito largitur* vel *tribuit;* et venuſtas ſimplex periit. Sic *cui multa credita ſunt, ab eo multa poſtulantur;* recte: perperam dixeris *ab eo non pauca* etc. ob eandem cauſam. Sic Quintil. X, 7 *ut, cum multa ſcripſerimus, etiam multa dicamus.* Cic. Phil. II, 4 *Quid eſt aliud, tollere e vita vitae ſocietatem, quam tollere amicorum colloquia abſentium?* Pertinet hoc ſimul ad gravitatem dicendi, ut ſupra P. II c. 2 ſect. 3 n. XII et XXX dictum eſt: et ea ſunt optime dicta, quae ſimul ſuavitati et gravitati proſunt. Sic Offic. II, 22 extr. *Quam autem habet aequitatem, ut agrum multis annis aut etiam ſaeculis ante poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat?* Ovid. Met. I, 519 Apollo ait de ſua et Cupidinis ſagitta: *Certa quidem noſtra eſt: noſtra tamen una* (i. e. tua, qua vulneratus ſum) *ſagitta certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit.* Recte *certa, certior.* Ibid. v. 523 *Nec proſunt domino* (i. e. mihi), *quae proſunt omnibus, artes.* Sic ſuavius dicitur: *Tu pater es, quomodo patris animum exuere potes,* quam *quomodo genitoris animum* etc. Hoc ſtultum et adfectatum foret.

XXII) *Repetitione ejusdem vocabuli ſed diverſo ſenſu:* vocatur vulgo *antanaclaſis* vel *dilogia.*

Eſt

Est duplex: 1) ea, quae mera ambiguitate nititur, nec sententiam fortiorem suavioremque reddit, sed merus lusus verbi est, v. c. Cic. ad Attic. XIIII ep. 14 *Quid ergo? ista culpa Brutorum? minime illorum quidem, sed aliorum brutorum, qui se cautos ac sapientes putant.* Est merus jocus, isque valde frigidus: nulla inest similitudo nisi literarum. — Sic Cicero Verr. Act. I, 9 ludit vocabulo *praerogativae;* dicit: *Dedit enim praerogativam* (i. e. indicium) *suae voluntatis ejusmodi, ut isti pro praerogativis* (i. e. prima tribu) *eam reddidisse videatur.* Est jocus inanis. Argumenta e similitudine vocabuli ducta sunt misera et inanes lusus. Ac sic saepe Cicero. 2) melior est ista repetitio, si priori loco nomen rei vel res simpliciter, posteriori vera rei ratio, natura ac vis indicatur. Et haec sola digna erat, quae in libris rhetoricis memoraretur: v. c. *studiosi literarum saepe non sunt earum studiosi;* inest acumen pro *qui studiosi literarum vocantur, saepe non sunt earum studiosi.* Est oxymorum. Sic *non omnes Christiani sunt Christiani* pro *non omnes, qui Christiani vocantur, sunt vere Christiani.* Sic *Romani non amplius Romani sunt* i. e. fortitudinem amiserunt: Ἀχαιοὶ οὐκ Ἀχαιοί. Sic *vivamus dum vivimus* i. e. *vivamus vere* s. *vita fruamur* etc. Pertinet haec repetitio simul ad gravitatem et suavitatem: hinc vere suavis est. Vera enim suavitas animum adficit: si suavitas non in animum penetrat, sed in vocabulorum literis haeret, non est suavitas vera, sed ficta, imo puerilis.

XXIII) *Repetitione ejusdem fere vocabuli, sed una vel pauciſſimis literis immutati cum sensu contrario,* vel apertius: *Conjunctione duorum vocabulorum sibi fere similium et tantum una vel pauciſſimis literis dissimilium, sed cum sensu contrario, saltem diverso.*

V. c. Terent. Andr. I, 3, 13 *Nam inceptio est amentium, non amantium.* Sic *amare interdum amarum est.* Sic Cicero in Philipp. III, 9 *ex oratore arator factus est.* Sic *video me a te non conveniri sed circumveniri.* Sic Cicero in Verrinis: *Sicilia te non praetorem sed praedonem habuit.* Vocatur haec ratio dicendi *paronomasia* (παρωνομασία Quintil. VIIII, 3, 67). Sed in ea debet esse oppositio quaedam studiose quaesita: atque ita tota res ad gravitatem pertinet. Graviter dictum est: *inceptio est amentium, non amantium:* cf. de paronomasia Quintil. VIIII, 3 §. 67 seqq., ubi inter alia adfert: *Amari jucundum est, si curetur, ne quid insit amari.*

amari. — Si cui itaque vocabulum aliquod excidit, quod similitudinem habeat cum proximo vocabulo, non huc trahendum est: v. c. Cic. ad Div. V ep. 12 §. 23 de Agesilao, *qui neque pictam neque fictam imaginem suam passus est esse.* Nam quomodo aliter dicere voluit ac *pictam, fictam?* Sic paulo ante §. 22 dixerat: *Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi et a Lysippo fingi volebat* etc. Hic est iterum *pingi* et *fingi.* An Cicero haec duo vocabula duntaxat propter similitudinem quandam, atque ita ob lusum verborum posuit? Nonne potius ita locutus est, quia aliter non potuit loqui? — Sic Nepos Attic. 17 dixit: *Philosophorum ita percepta habuit praecepta* etc. Quaeritur, an Nepos de industria *percepta* et *praecepta* opponere voluerit et tanquam *oppositа* posuerit. Vix credo; nihil oppositionis inest; sensus enim est: *Atticum percepisse praecepta philosophorum.* — Sic Vellej. II, 5 in. *urbiumque potitus numero, aditis, quae vix audita, Gallaeci cognomen meruit.* Hic quaeritur, an verba *aditis* et *audita* Vellejus de industria conjunxerit. Videtur casu illa conjunctio excidisse, si tamen de industria conjunxit, quod fieri potuit, quia neminis voluntatem certo scire possumus, de Velleji judicio non bene equidem existimem, quod similitudine vocabulorum ludere voluerit. Nam, si omnem ejusmodi similitudinem, quae inter literas duorum vocabulorum intercedit, pro paronomasia, figura illa rhetorica, habere volumus, debemus etiam haec eo referre: *vi victus, medicorum est mederi morbis, jure ille jurare noluit; cur curas? cur curris? nolens volens* et sexcenta alia. Non alia exempla eo referenda censuerim, quam quae Terentiano: *inceptio est amentium, non amantium,* similia sunt. Nam omnis repetitio vocabuli, nisi gravitate et excellentia ideae compensatur, est ingrata.

XXIIII) *Repetitione eorundem vocabulorum, sed inverso ordine.* Vocatur *epanodos* vulgo (ἐπάνοδος Quintil. VIIII, 3, 35, ubi ait: ἐπάνοδος dicitur graece; nostri *regressionem* vocant); ut illud: *quod sequitur fugio, quod fugit, ipse sequor.*

Cic. Brut. 39 *ut eloquentium juris peritissimus Crassus, juris peritorum eloquentissimus Scaevola putaretur:* et cap. 40 *consultorum alterum disertissimum, disertorum alterum consultissimum fuisse.* — Cic. Planc. 28 *Gratiam autem et, qui refert, habet, et, qui habet, in eo ipso, quod habet, refert:*

quae

quae repetiit Cicero Offic. II, 20 ac fere iisdem verbis Quir. p. red. 9. — Vellej. II, 117 de Vari avaritia: *quam* (Syriam) *pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Plin. Paneg. 17 *ut — non ideo vicisse videaris, ut triumphares, sed triumphare, quia viceris.* — Haec repetitio et conversio vocabulorum atque ita idearum in oppositione maxime locum habet et placet propter recte injectam comparationem, et tali modo sententiam fortiorem reddit. Quod si non fit, merus lusus verborum est, v. c. illud Lucilii ap. Gell. XVI, 9 extr. *Verum hic ludus ibi susque omnia deque fuerunt. Susque et deque fuere, inquam, omnia ludus jocusque.* Possunt et tales verborum inversiones multis placere: sed loquimur hic de prudentioribus, quibus vix placeant, nisi forsitan in jocando: hic enim nihil non licet. — Interdum etiam non tam vocabula, quam sententia invertitur, quod aeque suave est, si quidem inest non modo veritas sed in primis vera consecutio unius sententiae ex altera, v. c. Quint. X, 7 med. *et qui stultis eruditi videri volunt, stulti eruditis videntur.* Vere et egregie: poterat, si voluisset, verba ipsa invertere: *qui stultis eruditi videri volunt, eruditis stulti videntur.* Conf. de epanodo Quintil. VIIII, 3, 35 seqq. qui per hanc figuram intelligit quoque repetitionem vocabulorum eorundem eodem vel diverso sensu etc.

XXV) *Conjunctione contrariorum* s. *antithetorum:* quae, quo arctius conjuncta sunt, eo magis placent. — Pertinet ea res et ad perspicuitatem et ad gravitatem et ad suavitatem dicendi, atque ita ad universam eloquentiam. Ad perspicuitatem, quia rei rationem per oppositionem alius rei magis perspicimus: ad gravitatem, quia sic rei magnitudinem et gravitatem melius sentimus et magis movemur: ad suavitatem, quia nulla re magis natura delectamur, quam varietate rerum, in primis conjunctione disjunctorum, v. c. colorum, de quibus consuli possunt feminae elegantiores: et vel *umbra* et *lumen* in arte pictoria id docet. — Sed et hic videndum, ut magis idearum, quam vocabulorum, rationem habeamus h. e. ut veritatem, magistram et fontem pulchritudinis, sequamur. Hac conjunctione contrariorum Ovidius et excelluit et vero etiam centies peccavit.

Nam,

Nam, ut quisque est ingeniosissimus, ita maxime frequentationem antithetorum adpetit: sed, quo quis magis ea adpetit, eo magis in periculo est, ne labatur. *Antitheta* sunt Sirenes, quas dum sequimur, a vera via facile aberramus: sunt fructus nimis dulces, quibus, cum vesci homo coepit, non satiari potest. Hinc magna cautione et judicio opus est. — Quod si scriptor vel orator rem rei vere oppositam habet, v. c. *virtutem vitio*, *divitias paupertati* etc., nulla difficultas est: tum enim utraque facile, tanquam umbra et lumen, conjungi potest. Et sic Cicero Catil. II, 11 in comparanda causa Romanorum cum causa Catilinae dicere poterat: *Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus* etc. Et Cic. Mil. 4 de illo moderamine inculpatae tutelae, ut loquuntur vulgo: *Est igitur haec non scripta sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Talia antitheta ita placent, ut saepe obliviscamur indagare, an singulis verbis suae sint ideae, annon aliquid inane adsit: v. c. quid est v. c. *non docti, sed facti:* nonne *facti* est, si rem diligenter examinas, pro *nati?* etc. — Verum, si scriptor vel orator contrarias ideas ipse fingere cogitur, si quidem ejusmodi antithetis vult uti, major est difficultas: et hic interdum fit, ut verba verbis, non ideae ideis, opponantur, quod est verba vel fumum vendere. Fit hoc quando oppositio in eadem re, in eodem homine, quaeritur, ut homo sibi ipse opponatur vel potius sibi opponi videatur. Plenus est Ovidius.

V. c. Met. VII, 339 *His, ut quaeque pia est* (filiarum), *hortatibus impia prima est, Et, ne sit scelerata, facit scelus.* Videntur haec sibi repugnare, sed non repugnant, nisi verborum externa forma. Filiae istae patrem senem interficiunt, quia Medea promiserat, illi se vitam et juventutem redditu-

ram eſſe. *His* igitur *hortatibus* Medeae, *ut quaeque pia eſt*, i. e. patrem valde vel maxime amat, *ita prima eſt quoque impia* h. e. patrem interficere feſtinat; *et facit ſcelus* h. e. interficit patrem, *ne ſit ſcelerata* h. e. ut pietatem declaret, ſeu ne omittenda re, qua pietas declarari poterat, ſcelus committere videatur. Sic nulla repugnantia: ſic vero omnis pulchritudo periit. Sed delectant nos talia, etiamſi interdum a veritate ſint aliena, et ſola ſpecie ſe commendent, quia homines ſumus. — Sic Metam. VIII, 878 de Erifichthone inter alia acute dicta: *Ipſe ſuos artus lacero divellere morſu coepit, et infelix minuendo corpus alebat.* Acute *minuendo corpus alebat* ac ſimul vere. Legenda ſunt talia multa, ſed deinde vera ſententia eruenda eſt, ut videamus, ſitne tantum veſtitus pulcher, an idea praeclara. Sed idea non poteſt eſſe praeclara, niſi antea ſit vera.

XXVI) *Periodo.* — *Periodus* eſt proprie *circuitus* ſcil. ſententiae majoris ſ. primariae, quae, injecta aliqua ſententia ſecundaria h. e. illius explicationem, cauſam, conditionem etc. continente vel etiam pluribus ejusmodi ſententiis, ita diſſecta eſt, ut, qui ejus ſingulas partes, ordinem conſtructionis ſequens, colligere cupit, non niſi per circuitum quendam ſ. ambages id facere et ad illas pervenire poſſit. — Deinde *periodus* per abuſum a nonnullis dicitur tota illa ſententia primaria una cum omnibus enuntiationibus ſecundariis illam diſſecantibus. — De natura periodi et ſtructura ſupra in capite peculiari late dictum eſt P. I cap. 5. Iam haec periodi ſtructura etſi perſpicuitatem, quia tali modo ideae et enuntiationes prius cogitatae priorem locum occupant, et gravitatem dicendi, quia ſic ideae non modo ita arctius comprimuntur, ſed etiam graviores priorem locum facilius obtinent, non parum adjuvat: tamen ad ſuavitatem dicendi in primis pertinet. Nam, cum ideae inter ſe cohaerentes per injectas alias ideas vel enuntiationes ſejungantur, lectoris, ut et auditoris, animus cupide adtenteque, quid ſecuturum ſit, exſpectans exhilaratur ad finem totius ſententiae veniens, ſenſumque perfectum nunc videns ac ſaepe aliquid hic inveniens, quod

non

non exſpectaverat. Docet hoc non modo experientia, ſed et ipſa natura animi humani confirmare poteſt. Longe ſuavius eſt rei exitum poſt aliquem ambitum ſ. ambages quasdam, quam ſtatim, cognoſcere. Placet nobis, ſi animus noſter paulisper incertus ſuspenſusque eſt de exitu, et inexſpectato exitu magis delectatur quam diu praeviſo. Omnes narrationes, ſi bonae eſſe debent, ita inſtitui ſolent. Hinc in comoediis et tragoediis, quae vitae humanae conſuetudinem ſequi ſolent, itemque in carminibus epicis, hoc artificium notiſſimum eſt, ut exitus rei praeter ſpem auditorum et lectorum evevire debeat: quam in rem inſeruntur ea, quae rem ipſam, cujus exitum exſpectamus, difficilem reddere atque adeo impedire videantur: id quod ſpectatores et auditores eo cupidiores reddit. Similiter fere, ſi parva cum magnis contendere quodam modo licet, ſe res habet cum periodo. Ambitus ille ſ. circuitus, quem enuntiatio vel una vel plures inſertae efficiuut, eſt fere inſtar *nodi* illius retardantis exitum rei in dramatibus. Periculum faciat, qui velit, in periodo diſſolvenda; et languidiorem, ſaepe quidem, orationem reperiet. Sed omne languidum eſt injucundum.

Nonne, quaeſo, ſuavius eſt v. c. *quomodo deum, qui nobis inde ab incunabulis tot beneficia tribuit, odiſſe ſustineamus?* quam *quomodo deum odiſſe ſustineamus, qui nobis inde ab incunabulis tot beneficia tribuit?* Et hoc exemplum eſt paulo vulgarius: in aliis iisque majoribus magis id perſpicietur. — Cic. Arch. 6 *Quare quis tandem me reprehendat aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi, quantum ceteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipſam requiem animi et corporis conceditur temporum, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero?* Nonne hoc ſuavius eſt, quam ſi dixiſſet: *Quare quis tandem me reprehendat aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi tantum temporum mihi egomet ad haec ſtudia recolenda ſumſero, quantum ceteris ad ſuas — pilae?* — Ibid. cap. 12 in. *An vero tam parvi animi videamur eſſe omnes, qui in republica atque in his vitae periculis*

laboribusque versamur, ut, cum usque ad extremum spatium nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul moritura omnia arbitremur? Dicas pro eo: *An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica atque in his vitae periculis laboribusque versamur, ut nobiscum simul moritura omnia arbitremur, cum usque ad extremum spatium — duxerimus?* Et sentias illam sententiam *ut nobiscum simul moritura omnia arbitremur* nunc languidiorem factam, et cum ea simul totam istam verborum compagem. — Sic et in aliis minoribus, v. c. Cic. Senect. 22 in., ubi Cyrus ita loquens inducitur: *Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, cum a vobis discesserο, nusquam aut nullum fore: nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus, quas gerebam, videbatis.* Nonne hoc suavius est quam: *Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me nusquam aut nullum fore, cum a vobis discesserο: nec enim animum meum videbatis, dum eram vobiscum, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus videbatis, quas gerebam?* — Tali modo si quis per totam orationem aliquam vel librum diceret vel scriberet, nonne auditor lectorve taedio caperetur, imo ad somnum invitaretur? Sed simul notandum est, quod supra P. II c. 1 sect. 23 n. XVIII jam monuimus, periodos nec ubique nec nimis longas esse ponendas: nimia enim suavitas fit taedio: et nimia longitudo defatigat mentem audientis et legentis.

Ceterum miror artificium periodicae orationis in vernacula lingua tam raro usurpari, ut potius plerique per membra, quod ajunt, scribere gaudeant. Ac, si qui periodice scribunt, fit hoc plerumque casu, non de industria, quemadmodum Herodoto interdum periodus aliqua praeter ejus voluntatem excidit. Causa illius rei videtur esse haec, quia vulgo credunt, quidquid intra bina signa distinctionis maximae, quae *Puncta* vulgo dicuntur, inclusum sit, id esse periodum. Hinc nemo est, qui non periodice scribere sibi videatur.

XXVII) *Numero oratorio* vel potius *numeris oratoriis* h. e. partibus sententiae majoris sibi aequalibus; unde patet, *numeros* rectius quam *numerum* dici. Sententia his numeris ornata vocatur *sententia numerosa* vel etiam *oratio numerosa*, itemque *concinnitas membrorum*. — Cernuntur *numeri oratorii* in aequalitate s. proportione earum enuntiationum, quae ad se invicem referuntur

tur et idearum ratione cohaerent, in primis contrariarum, ut, ſi unum membrum uno, duobus, tribus etc. vocabulis conſtet, alterum totidem vocabula habeat, et vocabula ſibi reſpondentia ſint ejusdem generis, h. e. vel *ablativi* vel *genitivi* vel *participia* etc.

V. c. *non audivi, ſed vidi: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: Eſt haec non ſcripta ſed nata lex* etc., ubi vocabula: *ſingula ſingulis* opponuntur, *audivi* et *vidi*, *pudicitia* et *ſtuprum*, *ſcripta* et *nata*. — Sic *bina binis:* v. c. *ſpecie honeſtus, re improbus;* ubi *ſpecie* et *re*, *honeſtus* et *improbus*, ſibi opponuntur. Sic Cic. Roſc. Am. 26 *Etenim quid eſt tam commune quam ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis?* ubi *ſpiritus, terra, mare, litus* ac deinde *vivis, mortuis, fluctuantibus, ejectis* ſibi pari modo reſpondent. Quod ſi pro *fluctuantibus* ponas *iis, qui fluctibus agitantur*, vel pro *ejectis* dicas *iis, qui tandem ejecti ſunt*, ſtatim ſentias aliquid injucunditatis. — Sic *terna ternis*, v. c. *armorum vi oppreſſus* et *clementiae beneficio recreatus:* ubi *armorum* et *clementiae, vi* et *beneficio, oppreſſus* et *recreatus* ſibi reſpondent. Sic Cic. Orat. I, 9 *Quis enim tibi hoc conceſſerit, aut initio genus hominum, in montibus ac ſylvis diſſipatum, non prudentium conſiliis compulſum potius quam diſertorum oratione delinitum ſe oppidis moenibusque ſepſiſſe?* Quam ſuaviter ſibi hic reſpondent *prudentium conſiliis compulſum* et *diſertorum oratione delinitum!* Mutes aliquid et dicas v. c. *per prudentes* pro *prudentium conſiliis* vel *per diſertos* pro *diſertorum oratione* vel omittas *compulſum* aut *delinitum:* et facile ſentias aliquid deeſſe, et ſentias ſimul aliquid injucunditatis. Res eſt manifeſta: et ſuavem eſſe iſtam membrorum aequalitatem per ſe patet. Omnis enim aequalitas partium, omnis proportio placet et pulchra habetur, ut in aedificiis, ita in ſonis, verbis etc. — Ad *numerum* referunt quoque vulgo, quod membrum ſententiae extremum, niſi aequale, at paulo longius, ſaltem non multo brevius, ſi quidem fieri poteſt, eſſe debet. Sed hoc magis ad perſpicuitatem et gravitatem retulerim. — Referunt illuc quoque, quod ultimum vocabulum productius eſſe et paenultimam ſyllabam longam habere debet. Sed et hoc magis ad perſpicuitatem et gravitatem quam ad ſuavitatem referendum puto, niſi forte hactenus ad hanc referendum cenſeas, quia perſpicuitas et gravitas ipſa ſuavis eſt. Sed de tali ſuavitate hic non loquimur.

Ceterum de *numeris* ipsis eorumque natura supra in peculiari capite dictum est P. I cap. 6, ubi simul monuimus, non nimis adfectandos, sed in iis semper idearum rationem habendam esse.

XXVIII) *Vitanda inani vocabuli ejusdem, multo magis plurium, repetitione, praesertim crebra.*

Repetitio vocabuli inanis est, quae fit sine majori perspicuitate et gravitate: v. c. *homo, qui alios amare non potest, aliorum amorem exspectare non potest*, injucundum est ob inanem repetitionem verbi *potest;* suavius erit; *qui alios amare nequit, aliorum amorem exspectare non potest* vel *qui alios amare non potest, aliorum amorem exspectare nequit;* nisi alia variatione uti malis. — At repetitio, si gravis est, placet. V. c. Ovid. Met. I, 523 *nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes:* est enim oppositio. Sic *pater es: quomodo patris animum exuere potes?* rectius hic *patris* quam *genitoris.* Sed, ut ista repetitio inanis displicet, ita magis displicet, si crebra est; v. c. si quis dicat: *Non fratri tuo liber placere potest, quia non intelligere eum potest, ac ne satis quidem legere potest.* — Excusanda tamen ista repetitio inanis est, si aliud vocabulum non exstat, v. c. *legem ferre, promulgare, perferre, suadere* etc. *concionem habere, epistolam reddere, epistolam scribere, legere; bibere, stare* etc., ubi variatio difficillima est et plerumque affectati quid continet. V. c. Cic. τὸ *est* crebro repetit Verr. IIII, 42 *Quid? ubi est? praesto est: testis est. Proagori Sopatri jussu. Quis est hic? qui ad statuam adstrictus est. Quid? ubi est? testis est.* Sed quid, quaeso, vocabuli τῷ *est* substituere debuit ac potuit? ut taceam istam repetitionem ad gravitatem dicendi referri posse. — Excusatur etiam ista repetitio, si vocabulum non statim repetitur, sed interjectis pluribus verbis, praesertim in materia tenui ac vulgari: v. c. *Non potest ille liber fratri tuo placere, quia sententias, quae illo continentur, intelligere non potest:* melius quidem fortasse posteriori loco foret *nequit*, at tamen tolerabile sit quoque *non potest.*

Ceterum, ipsos priscos in ista repetitione inani negligentes fuisse et peccasse, sexcentis eorum locis ostendi possit, v. c. Cic. Orat. 13 *Me autem, qui Isocratem non diligunt, una cum Socrate et cum Platone errare patiantur:* ubi posterius *cum* abesse poterat. — Ibid. cap. 59 in. *Solet autem quaeri, totone in ambitu verborum numeri tenendi sint, an in primis partibus atque in extremis;* ubi *in* ter repetitur; postremum

remum saltem abesse poterat, salva sententia. — Et statim: *Est autem, ut id deceat, non id solum. Ponendus enim ambitus* etc., ubi pro posteriori *id* dicere poterat *hoc*. Est igitur negligentia. — Nec longe post: *Id autem bona disciplina exercitatis, qui et multa scripserint et, quaecunque etiam sine scripto dicerent, similia scriptorum effecerint, non erit difficillimum:* ubi est *scripserint, scripto, scriptorum*. At vix aliter dicere poterat. — Cic. ad Div. V ep. 12 §. 14, 15, 16 ter usurpavit *enim: Nihil est enim* etc. *Habet enim* etc. *Quem enim nostrum* etc. — Ibid. §. 21, 22, 23, 24 ter *neque* et quater *enim* legitur: *Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias* etc. *Neque autem ego sum ita demens* etc. *Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle* etc. *Nec minus enim est Spartiates Agesilaus ille perhibendus* etc. *Unus enim Xenophontis libellus* etc. Est negligentia: poterat *nam* quoque ponere. — Cic. ad Div. VI ep. 1 quatuor priores periodi per *etsi* incipiunt: a) *Etsi ea perturbatio est omnium rerum* etc. b) *Nam etsi, quocunque in loco quisquis est* etc. c) *Quare etsi multarum rerum* etc. d) *Etsi enim cum magna* etc. Ciceronem vitium negligentiae hic commisisse nemo sanus neget: poterat enim *quamquam, licet* etc., quoque dicere. Oblitus ergo sui est paululum. Et injucundum est hanc crebram repetitionem legere. Sed quis non interdum peccet? — Cic. ad Div. XI ep. 16 in. *Permagni interest, quo tibi haec tempore epistola reddita sit: utrum cum sollicitudinis aliquid haberes, an cum ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei praecepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolae tibi reddendae. Nam, quemadmodum coram, qui ad nos intempestive adeunt, molesti saepe sunt, sic epistolae offendunt non loco redditae:* ubi *reddita, reddendae, redditae*. Sed vix aliud aptum verbum habuit. Hinc excusandus. — Sic Liv. I, 3 *Is sepultus in eo colle, qui nunc est pars Romanae urbis, cognomen colli fecit:* hic est *colle, colli*. Gronovio patri haec repetitio non placet; malitque ipse *colle* omissum esse. At primum, si omnes scriptores accurate ubique loqui debent, et nihil redundantiae concedatur, quid non corrigendum sit? Sic enim et Livius I, 53 perperam dixisset in his verbis: *concepit animo eam amplitudinem Iovis templi, quae digna deum hominumque rege, quae romano imperio, quae ipsius etiam loci majestate esset. Captivam pecuniam in aedificationem ejus templi sepposuit.* Hic etiam non opus fuisset *templi* repetere. Deinde in priore Livii loco τὸ *colle*, quod Gronovius abesse cupit, salva perspicuitate abesse non recte potest. An credibile est Livium, scriptorem tam accuratum

et apertum, ponere *in eo*, sine substantivo, et velle, ut lectores e vocabulo *colle*, quod post septem demum vocabula sequitur, *colli* ad τὸ *in eo* trahant? Et in altero loco repetitio *templi* perspicuitati consentanea erat. Aliud frigidus Criticus cogitat, aliud scriptor, fervido et occupato materia apte conjungenda ingenio scribens. Add. Liv. I, 41 *Interim Servio Tullio jubere populum dicto audientem esse. Eum jura redditurum, obiturumque alia regis munia esse.* Ingrata est haec repetitio verbi *esse*, et omitti poterat: plura exempla hujus repetitionis habet ibi Gronovius. — Sic et Caesar, isque in primis: v. c. B. Gall. I, 6 extr. *Omnibus rebus ad profectionem comparatis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Is dies erat a. d. V Kal. Apr.* etc. Hic vocabulum *diei* crebro repetitur. Ibid. cap. 49 *ultra eum locum, quo in loco Germani consederant, circiter passus quingentos ab his, castris idoneum locum delegit, acieque triplici instructa ad eum locum venit.* Haec repetitio vocabuli *loci* tam crebra est inanis et ingrata: poterat Caesar dicere: *ultra eum locum, in quo Germani consederant, circiter passus quingentos ab his, castris idoneum locum delegit, acieque triplici instructa ad eum venit.* Sic bis omisisset. Sed celeritate scribendi abreptus non adtendit ad ea, quae supervacanea essent. Sic Ibid. B. G. V, 50 *Caesar consulto equites cedere seque in castra recipere jubet; simul, ex omnibus partibus castra altiore vallo muniri, portasque obstrui, atque in his administrandis rebus quam maxime concursari et cum simulatione timoris agi jubet:* ubi *jubet* repetitur, quae tamen repetitio post tot interjecta verba tolerari potest. — Caesar omnino, ut vere est scriptor elegantissimus, h. e. optima quaeque verba ad ideas exprimendas eligit, resque quam diligentissime ac brevissime describit, sic in verborum repetitione valde negligens fuit; quae negligentia non nisi ex ipsius cupiditate res celerrime literis mandandi orta est. Hactenus ei ignosci debet. Negligentiae hujus specimen insigne dedit Bell. Gall. I, 3 *Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt, in tertium annum profectionem lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur* etc. Hic quatuor adeo verba *Ad eas res conficiendas* parvo spatio interjecto repetuntur. Sed, qui Caesaris celeritatem scribendi cogitat, quae non singula accurate perpendit, ei nec illud mirum videbitur. Quidquid igitur est, repetitiones istas indicare negligentiam haud dubium est: sed negligentiam non suavem esse posse est aeque manifestum. Nostrum igitur, qui non simus Caesares, est illam cavere. — Sed Cel. *Ernesti* ejusmodi

modi repetitiones vocabulorum inanes ad *gratam negligentiam* refert, in proluſione quadam de illa ſcripta, ut adeo de illius ſententia non tam vituperandae quam laudandae videantur: quidquid enim *gratum* eſt, reprehendi nequit. — Sed, ut pauca hac de re dicamus, primum omnis negligentia ſcribentis et dicentis indicat contemtum lectorum et auditorum, atque ita quandam arrogantiam. Deinde *ſimplicitas*, quae eſt orationis quaedam virtus certiſſima, h. e. *fuga omnis artificii*, non confundenda eſt cum illa ſic dicta grata negligentia. Verum quidem eſt, placere ſcriptorem et oratorem, qui magis ad res, quas tractat, quam ad verborum curam reſpiciat: ſed in verbis debet tamen quoque eſſe quaedam diligentia, ſed non nimis adparens, ſed talis, ut verbum quodlibet ſe ſua ſponte obtuliſſe videatur. Et haec eſt illa *ſimplicitas, ſimplex venuſtas*. At haec *ſimplicitas*, haec *ſimplex venuſtas*, majorem ſaepe curam ac diligentiam poſtulat, quam omne *artificium* adparens. Latet autem vere in iſta ſimplicitate artificium quoddam et majus, at *tectum: ars tegitur arte*, ut ſic loquar. Matrona ſimplicitate ornatus gaudens non abjicit diligentiam: imo haec adeſt, ſed tecte. Ac profecto vellem, Cicero nunquam vocabulo *gratae* ſeu *non ingratae negligentiae* uſus eſſet: ſic enim nemo cultorum ejus et ad hunc et ad alios ſcriptores, qui interdum vere, non jucunde, negligentes fuere, defendendos iſtud vocabulum uſurparet. Cf. Cic. Orat. 23 prope fin., ubi etiam de iſta negligentia ait: — *non negligenter tractanda ſunt: ſed quaedam etiam negligentia eſt diligens* etc. Ergo Cicero nobiscum facit. — Tum Cel. Erneſti inter exempla gratae negligentiae, quam commendat, non modo repetitiones inanes ſed etiam neceſſarias gravesque numerat. Exempla ejus ſunt 1) Hom. Odyſſ. τ. 204 ff., ubi quinque verſibus quinquies τήκεσθαι et κατατήκεσθαι i. e. *liqueſcere* occurrit. At ipſe Erneſti concedit, hoc omnium aptiſſimum fuiſſe. Narratur ibi, *Ulyſſem, hominis incogniti et mendici perſona indutum, ad Penelopen veniſſe et narraſſe, ſe vidiſſe et cognoviſſe Ulyſſem* etc.: *his verbis auditis e Penelopes oculis lacrymas fluxiſſe, et ipſius genas liquefactas eſſe* (ſ. *tabuiſſe* i. e. plenas lacrymarum fuiſſe: ſic *tabeſcere fletu* Catull. LXVIII, 55), *quemadmodum nix ſoleat liqueſcere in altis montibus, quando eam Eurus liquefaciat et Zephyrus defundat* ſ. *dejiciat*. Egregia deſcriptio et ſimilitudo! Decebat utique in comparando Penelopes animo commoto vultuque triſti ac lacrymis fere tabeſcente cum nive liqueſcente vocabulum *liqueſcendi* retinere, ut ſimilitudo magis adpareret et vim ſuam in ani-

mis lectorum exſereret. Magnam artem in conſervatione hujus verbi agnoſco. Si quis tamen ſimplicitatem naturae magis hic agnoſcat, ei non repugnabo. Ars enim tum demum magna eſt, cum imitatur exprimitque naturam. At negligentiam, licet gratam, tamen quidem non adpellaverim. — 2) alter locus eſt Cic. ad Div. XI ep. 16 in., quem ſupra jam attuli. Ibi in tribus ſententiis plenis et per ſe abſolutis ter occurrit vocabulum *reddendi* de epiſtola: primum *reddita*, deinde *reddendae*, tandem *redditae*. At primum eſt verbum proprium in iſta re; deinde aliquot verſus intercedunt inter ſingulas repetitiones, ut talis repetitio, praeſertim in epiſtola et in re vulgari, valde excuſanda ſit. An vero aliquam *gratiam* habeat, dubito. Si Cicero aliud vocabulum habuiſſet, haud dubie poſuiſſet. — 3) tertius locus eſt Cic. Mil. 11 *Inſidias factas eſſe conſtat: et id eſt, quod ſenatus contra rempublicam factum judicavit. Ab utro factae ſint, incertum eſt: de hoc igitur latum eſt ut quaereretur.* Hic repetitur *factas, factum, factae*. At haec repetitio, ſi quid video, gravitati ſervit, nec eſt inanis. Senatus decreverat, caedem Clodii contra rempublicam factam eſſe. Cicero callidus illud decretum hic ita explicat, tanquam non ipſa caedes, ſed inſidiae factae ſint contra rempublicam, ut, ſi inſidiae Clodio tribui poſſint, Milo liberetur. Theſis igitur Ciceronis demonſtranda nunc fit haec: *ab utro factae ſint inſidiae?* Vocabulum *factae* retinere debebat, ut ipſa vocabula decreti retinere videretur. Tria igitur hic dicit Cicero: a) *factum ipſum* h. e. e mente ſenatus *caedes Clodii*, e mente Ciceronis *inſidiae* conſtant, b) *factas eſſe has contra rempublicam quoque conſtat*, quia ſenatus ita judicavit; c) *de facti* vero *auctore* adhuc quaeritur, hic incertus eſt, ſeu *ab utro inſidiae factae ſint, incertum eſt*. Si Cicero alia vocabula ſumſiſſet, gravitati cauſae ſuae offeciſſet. Cf. P. II c. 2 ſect. 3 n. XXX — 4) quartus locus eſt Caeſ. B. G. V, 50 ſupra p. 744 adlatus. Hic eſt *recipere jubet*, *ſimul* etc. ac poſt quatuor verſus *agi jubet*. Sed haec repetitio *rē jubet* poſt quatuor verſus cui tolerabilis non videtur? Quis enim Caeſaris celeritatem haud novit? Sed tamen eſt negligentia: an grata? vix putem. Mihi ſaltem ea, quae excuſatione indigent, non placent. Supra illuſtriora negligentiae Caeſarianae ſpecimina dedimus. — 5) quintus locus eſt Liv. XXX, 33, qui ſic ſe habet; nam oculis conſpici debet, ſi negligentiae Livii veniam dare cupis: *Hannibal ad terrorem primum elephantos — inſtruxit: deinde auxilia Ligurum Gallorumque, Balearibus Maurisque admixtis: in ſecunda acie Carthaginienſes Afrosque et Macedonum*

donum legionem; modico inde intervallo relicto subsidiariam aciem Italicorum militum (Bruttii plerique erant, vi ac necessitate plures quam sua voluntate decedentem ex Italia secuti) instruxit. Hic post quinque versus repetitur *instruxit:* at a) erat aptissimum omnium verbum, b) tanto intervallo. — 6) sextus locus est Liv. II. 32 *Ea frequentior fama est, quam, cujus Piso auctor est, in Aventinum secessionem factam esse.* Repetitur *est* et tam modico intervallo: est ergo negligentia: at quomodo Livius dicere voluit? An sic: *quam, quam Piso tradit?* hoc multo injucundius fuisset. Sed non omnia ad vivum resecanda sunt in rebus minutis. — 7) septimus locus est Liv. IIII, 3, ubi Canulejus acerrime disputans contra patres de altero consule e plebe eligendo: *Si populo romano liberum suffragium datur, ut, quibus velit, consulatum mandet, et non praeciditur spes plebejo quoque, si dignus summo honore* (i. e. consulatu) *erit, apiscendi* (pro *adipiscendi*) *summi honoris, stare urbs haec non poterit?* Salse et acerbe dictum. Repetitur hic *summi honoris:* at hoc fit ob gravitatem, quia de *summo honore* i. e. *consulatu* quaestio est: haec est primaria idea. Poterat quidem dicere vel *si dignus erit* vel *apiscendi ejus:* at quanto fortior est repetitio? — 8) octavus locus est Liv. XXXII, 21. Aristaenus praetor Achaeorum, hanc gentem Romanis jungi cupiens, post alia multa, quae hoc suadeant, tandem ait: *Nolite, quia ultro Romani petunt amicitiam, id quod optandum vobis ac summa ope petendum erat, fastidire:* post adlata deinde argumenta, et interjectis duodecim (non igitur paucis) versibus repetit eandem sententiam his verbis: *Nolite, si, quod omnibus votis petendum erat, ultro offertur, fastidire.* Hanc repetitionem numerat Ernesti ibidem inter inanes repetitiones. At a) de re gravi sermo est, quae ut repeteretur, digna Aristaeno videbatur: ergo ad gravitatem dicendi pertinet; b) repetitio fit aliis verbis; c) post duodecim demum versus. — 9) nonus locus est ibid. cap. 22 *Dymaei ac Megalopolitani et quidam Argivorum prius, quam decretum fieret, consurrexerunt ac reliquerunt concilium, neque mirante ullo neque improbante.* Deinde causae memorantur; tandem post septem vel octo versus pergit Livius: *Ob haec* (i. e. ob causas memoratas) *concilio, quod inclinaverat ad romanam societatem jubendam, excesserunt; veniaque iis hujus secessionis fuit et magnis et recentibus obligatis beneficiis.* Hanc repetitionem, quae tamen longe aliis verbis fit, numerat Cel. Ernestius etiam inter repetitiones inanes. An ita plane nihil repeti debet, sed singulae ideae semel tantum proferendae sunt? Ejusmodi repetitiones

tiones aliis vocabulis factae ſaepe perſpicuitati ſerviunt: et ſic non modo oratores, ſed et hiſtorici, poetae etc. Haec ſunt loca ab Erneſtio laudata. Quae deinde Vir Celeberr. de negligentia grata in collocatione verborum, v. c. *pleniore ore* etc., dicit, infra n. XXX et XXXI memorabuntur.

XXVIIII) *Vitanda repetitione ejusdem ſyllabae, praeſertim crebra.* Et, quo propior ſibi eſt iſta repetitio, eo injucundior eſt.

V. c. *monet et hortatur*, ubi *et* bis eſt; quod facile excuſatur atque a plerisque lectoribus aut auditoribus ne ſentitur quidem: *at ad illum* etc. vel *at ad Adolphum veniamus* etc., ubi *ad* ter eſt; quae repetitio eo plus injucunditatis habet. Nolim dicere: *Utinam ille tibi non modo polliceatur, ſed et det;* malim *ſed etiam det.* Nolim dicere *per perbreve tempus* ſed *per tempus perbreve.* Nolim dicere: *cum cum patre locutus eſſem*, ſed *ubi cum patre locutus eram* etc. — Peccarunt hic priſci interdum, ſi hic loqui decet, v. c. Cic. ad Div. IIII ep. 3 §. 3 *ſed multo etiam magis monente et denuntiante te;* ubi *te* repetitur continuo: ſic *de te* Cic. Acad. I, 4 in. Cic. Tuſc. IIII, 27 med. Cic. ad Div. XIII ep. 26 §. 7 *ſi eos, cum cum ſenatore res eſt, Romam rejeceris;* nam, etiamſi ſcribas *quum cum* pro *cum cum*, tamen eadem fuit priſcis pronuntiatio. Cic. Quint. 26 in. *An antequam poſtulaſti* etc. Sic ſaepiſſime Cicero dixit *qui quia* etc. At hic concurſus ſyllabae ejusdem, ſi non creber eſt, ſi pulchra vel gravi idea compenſatur, facile excuſatur et vix a legente et audiente animadvertitur. Si crebrius fit, ſentitur inſuavitas. — Magis injucundum videtur in pluribus vocabulis continuo ſe excipientibus. V. c. Cic. Divin. II, 69 extr. *viſus eſt in ſomnis amicae eſſe amictus amiculo:* qui locus tamen ab Erneſtio refertur ad gratam negligentiam.

XXX) *Vitanda eadem terminatione plurium vocabulorum*, quae, quo crebrior, eo inſuavior eſt.

Eſt duplex: repetitur vel una ſyllaba vel duae.

1) *Repetitio ejusdem terminationis in una ſyllaba;* v. c. *pulchram illam ſententiam:* quod injucundum videtur: injucundius vero, cum dicitur: *pulchram illam magnamque ſententiam nunquam quisquam protulit.* Huc pertinet illud poetae ap. Auct. ad Herenn. IIII, 12: *Quidquam quisquam cui-*

cuiquam quod conveniat, neget. Tale quid vitandum est. — At peccarunt hic priscorum optimi quique, v. c. Cic. Verr. V, 36 prope fin. *Unam illam jolam noctem* etc., ubi *am* ter adparet: et ibid. paulo ante: *tum flagitiosa illa convivia*, ubi tria vocabula in *a* definunt. Cic. Philipp. II, 4 *quantam jam proferam.* Cic. Verr. II, 30 extr. *privato illo judicio transacto aut dilato* etc.: ubi quinque vocabula in *o* definunt. Cic. Orat. I, 19 prope fin. *Haec autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita.* Cic. ad Div. VI ep. 6 §. 24 *etiam externos multos claros viros nominarem:* quod in primis injucundum est. Cic. Offic. I, 20 in. *fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur:* qui locus ab Ernestio l. c. laudatur, ubi ejusmodi repetitio inter genera gratae negligentiae refertur, et Gronovius ad Liv. XXXI, 22 citatur, cujus exempla e priscis tamen vulgaria nec valde notabilia sunt. Ovid. Met. I, 327 *Innocuos ambos, cultores numinis ambos.* Et sic plura reperiantur facile. — Hanc repetitionem injucundam esse ac negligentiam quandam indicare, quis non sentiat? Verum ista exempla, licet non commendanda sint, tamen videntur excusanda. Cui enim tale quid non excidat rem acriter meditanti? — At major est injucunditas, si duae posteriores syllabae in duobus vocabulis repetuntur: de qua re statim.

2) *Repetitio* ejusdem terminationis in *duabus syllabis* seu *repetitio duarum syllabarum in duobus* vel *pluribus vocabulis:* quae valde injucunda est a) in vocabulis junctis, v. c. *rebus duabus* vel *duabus rebus* Cic. Off. I, 20, quod tamen fortasse vix animadvertitur; hinc injucundus est versus Ciceronis: *O fortunatam natam me consule Romam.* Possit et huc referri *duabus filiabus* Liv. XXIIII, 26. Huc pertinet illud in primis ap. Auct. ad Herenn. IIII, 12 *Flentes, ploruntes, lacrymantes, obtestantes,* quod aures valde offendit. Cic. Offic. I, 18 prope fin. *pleniore ore:* quem locum Ernesti l. c. adfert et ad gratam negligentiam refert. Cic. Phil. II, 28 *quod natum, conflatum* etc., quod valde injucundum. b) interjectis aliquot verbis, v. c. *injucundum non erat faciundum;* quod insuave est. c) in membrorum, praecipue brevium, fine, v. c. Nolim dicere: *Quamquam te semper amavi, magni aestimavi et tibi viam ad felicitatem monstravi:* τὸ *avi* toties repetitum aures forsitan offendit. Huc pertinet illud Cic. Tusc. I, 35. III, 19 e poeta vetere: *haec omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari. Jovis aram sanguine turpari;* Cicero addit, praeclarum esse carmen. Sic et Cic. Verr. V, 57 in. *Quem postea quam inanem locum offenderunt, et*

prae-

praetorem commovisse ex eo loco castra senserunt, statim sine ullo metu in portum ipsum penetrare coeperunt: ubi repetitio *tẽ erunt* paululum ingrata est: sic Cic. Quint. II ante med. *quicum contraxisset, recessisset et ad heredem pervenisset, non heredem, cum primum vidisset* etc.

XXXI) *Vitando nimio concursu ejusdem literae.*

V. c. *Si ii igitur*, ubi quater *i* reperitur: Cic. Orat. I, 22 *hodieque faciunt, ut nulla* etc., ubi *u* ter est. Sic *dolo novo oppressus.* Sic *si mihi id vis indicare.* Cic. Verr. V, 36 extr. *statuerant, sese, si ea* etc., ubi *sese si* paulo injucundius. Horat. Art. 36 *pravo vivere naso:* ubi tria *v* aures offendunt. Sed haec singula, modo egregiis ideis compensentur, facile excusantur. — Idem de tribus istis Ciceronis locis judicandum, quae Ernesti l. c. laudat et ad gratam negligentiam refert. Sunt haec: primum Cic. ad Div. XII ep. 2 med. §. 7 *tres esse consulares, qui, quia, quae de republica bene senserint, libere locuti sunt, tuto in senatum venire non possint:* ubi *qui quia quae* notandum. Deinde Cic. Quint. 11 post med. *qui, quia, quod debitum nunquam est, id datum non est, non pecuniam modo* etc., ubi *qui quia quod* occurrit. Et tandem Cic. Nat. Deor. I, 20 ante med. *Quod (non qui) quia, quemadmodum natura efficere sine aliqua mente possit, non videtis:* ubi *quod quia quemadmodum.* At in his tribus locis nihil video negligentiae neque gratae neque ingratae. Artificium connexionis, de quo supra, ita postulabat: ac, si singulas repetitiones tanto vitio vertere volumus, quis scriptor hic non peccasse dicendus sit? nam sic ne *sese* quidem dici possit, it. *quemquem, quisquis, quoquo, ubiubi* etc. it. *ii; quaeque, tartarus, intendentem, contendendum* etc. — Videndum tantum, ne nimis crebro fiat; ac cavendum, ne lectori auditorive videamur de industria ejusmodi inanes repetitiones feciisse. Qui enim de industria hoc facit, videtur aliquid in eo quaerere sibique valde placere, quod est signum arrogantiae, quae nec lectoribus nec auditoribus unquam placet. Iure igitur displicet versus illius poetae ap. Auct. ad Herenn. IIII, 12 *O Tite, tute, Tati, tibi tanta tyranne tulisti:* Omne enim nimium vertitur in vitium.

XXXII) *Vitando aspero vocabulorum concursu, et contra laevi sequendo.*

De

De hac re magis hic loquor, ne quid deesse videatur, quam quod in nostra tempora valde cadere existimem. Laevis duorum vocabulorum concursus dicitur, quando vel prius in vocalem exit et posterius consonante incipit vel prius consonante terminatur ac posterius incipit vocali: v. c. *Nemo debet ita statuere de rebus istis.* Asper contra est, quando binae vel consonantes vel vocales se excipiunt, v. c. *ego ivi ad patrem nostrum;* vel *nullus sic debet statuere* etc. Et, quo plures consonantes in tali conjunctione concurrunt, eo asperior esse creditur conjunctio; v. c. *nam species,* ubi tres; *post triduum, trans fluvium,* ubi quatuor; *post strepitum, amans struere,* ubi quinque conjunguntur consonantes. At

1) hoc nemo observavit; nec observare quisquam potest, nisi omnem sententiarum pulchritudinem evertere velit. Nam laevis ista structura vocabulorum haec suo ordine per gravitatem aliamve causam iis debito privaret: et cui meditanti res et sententias earumque justam explicationem ac vocabula justa etc. tempus suppetat ad laevem istam vocabulorum conjunctionem observandam? Et haud dubie ista diligentia foret ingratissima et maxime putida. — Exempla dabimus ex ipso Cicerone, praeceptore istius rei, e quibus videbimus ipsi accidisse, quod vulgo hominibus accidere solet, ut, quae praeceperint et commendarint, ipsi non agant, et, ut facilius sit praecipere quam facere. Orat. I, 22 *Graeculo otioso et loquaci et fortasse docto atque erudito* etc. cap. 23 *ex rebus penitus perspectis planeque cognitis* etc. En laevem scilicet structuram! Et sic millies: etiam in orationibus, v. c. in Philippica illa secunda cap. 28 extr. *bellum, quod natum, conflatum, susceptum* etc. cap. 29 in. *bello tum propter timiditatem tuam tum propter libidines defuisti: gustaras civilem sanguinem vel potius exsorbueras* etc. ac paulo post: *persecutus trucidaras. Quibus rebus tantis, talibus gestis, quid fuit causae, cur in Africam Caesarem non sequerere, cum praesertim belli pars tanta restaret?* Et sic fere ubique. — Et, quam parum Romani isti laevitati conjunctionis studere voluerint, docent ipsa eorum vocabula tum simplicia tum composita: v. c. *ii, eo, abiit, euntium, fructuum, artium, mensium, constructus, congregavit, abstraxit, distraxit, transgressus, transscribo* vel *transcribo, transcriptus* etc. ut *stlata, stlis* pro *lata, lis* etc., it. *ab* praepos. ante consonantem etc. praetermittatur.

2) Hinc Cicero ipse, sui ipsius conscius, qui ejusmodi concursum tantopere damnarat, alibi eum adeo laudat, loquens de submisso et Attico oratore: dicit Orat. 23 *Habet enim*

enim ille tanquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis. At bonus Cicero sibi non constat: vid. cap. 44, ubi inter alia ait: *Nam, ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet, quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. — Quod quidem latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, quin vocales nolit conjungere.* Dicit ergo hic, neminem tam rusticum esse, qui non vitet concursum vocalium duarum. Recepit tamen Ernesti hoc loco *qui vocales* cet. pro *quin vocales* cet. et *conjungere* explicat *contrahere* scil elidenda altera vocali. — Sed res haec in lingua latina sic se forsitan habuit, ut in vernacula, et fortasse in omnibus linguis se habet, ut in loquendo homines, etiam de plebe, omittant ultimam vocabuli vocalem, quando sequens vocabulum incipit vocali: v. c. in vernacula vulgo dicitur *Dies' Art, eine schön' Art, Fried' und Freud' und Ruhe* etc. pro *Diese, schöne, Friede, Freude* etc. An vero haec omissio vocalis ultimae laevem conjunctionem vocabulorum efficiat, non ausim definire. Nam

3) ne intelligimus quidem satis, quid sit asperum, quid laeve, in conjunctione vocabulorum. Pendet haec res ab auditu: et hujus suavitas et facilitas pendet et a consuetudine audiendi et a pronuntiatione aliorum. Qui v. c. asperum quorundam sonorum concursum in re musica audire diu consueverunt, iis ille non tam asper videtur quam aliis: res hic propter angustiam loci non potest late demonstrari: exemplum agricolarum et nationum in ultima terra habitantium docere quodam modo id potest. Deinde pronuntiatione multa aspera asperitatis suae multum amittere queunt. Sunt, qui conjunctionem multarum consonantium, quae vulgo aspera vocatur, tam presse et facile pronuntiare possint, ut nihil laevius esse videatur; cum contra alii vel laevissima quaeque tam vaste tamque aspere exprimant, ut nihil injucundius esse possit: consulatur hic sermo populorum singulorum gentis theodiscae vel etiam, si mavis, graecae. — Quidquid de asperitate vel laevitate conjunctionis vocabulorum dicitur, videtur adhuc inter hypotheses pertinere, quarum fundamentum certum nondum repertum est ac fortasse nunquam reperietur. Sed hoc parum curabunt ii, qui id tantum agunt, ut omnem pulchritudinem et suavitatem in ideis, non in verbis, quaerendam existiment.

4) Si quis iamen concursus literarum fugiendus est, eum puto fugiendum esse, qui ambiguitati faveat et perspicuitati noceat.

noceat. Videndum igitur eſt, ne vocabulum facile eadem conſonante terminemus, qua ſequens vocabulum incipiat: v. c. in noſtra lingua *mit dem Namen* ſaepe fere ſonat ut *mitten Namen: der Baum muß* etc. ut *der Bau muß* etc. *nahm mich* ut *nahm ich* etc. Sic et in latina *res ſibi* ut *res ibi: dicit deinde* ut *dicite inde: ſalutis ſatis* ut *ſaluti ſatis* etc. Hoc tantummodo de pronuntiando valere per ſe patet.

5) Sunt tamen nonnulla vocabula, quae non conjungere nobis liceat pro libidine: v. c. *e republica*, non *ex republica*, dixiſſe veteres ob iſtam laevitatem Cicero credit Orat. 47. An laevitas iſta cauſa ſit, dubito, quia priſci *ex* ſaepe ante literam *R* ponere ſolent: v. c. *laborare ex renibus* Cic. Tuſc. II, 25: *ex re iſtius* Terent. Phorm. V, 7, 76: cur in *ex republica* illam tantum ſpectarint? Annon Cicero forſitan erravit hic, ut in aliis? Et occurrit *ex republica* in ipſo Cicerone v. c. Rabir. Poſt. 9 poſt init.: *ex reip. tempeſtate*, Balb. 27 poſt med. — Deinde tenenda ſunt in primis duo vocabula *ac* et *neque*. a) *Ac* rarius ſeq. vocali apud priſcos reperitur, plerumque ſeq. conſonante; v. c. *ac pater*, *ac me* cet.; rarius vero v. c. *ac ego*, *ac ille* cet. pro quibus dicendum putant *atque ego*, *atque ille* cet. Cauſa latet: litera *c* non poteſt cauſa eſſe, quia *nec enim*, *ſic enim*, *hoc enim*, *huc enim* etc. ſaepe dicitur: b) deinde *Neque vero* priſci libentius h. e. longe crebrius dixerunt quam *neque autem*. Occurrit *neque autem* ſemel, quod ſciam, Cic. ad Div. V ep. 12 §. 21 *neque autem ego ſum ita demens* etc. it. *nec autem* Lucret. V, 779. Sed cauſa, cur *neque autem* longe rarius uſurparint quam *neque vero*, latet. Euphonia, quo vocabulo ad quidlibet defendendum, ſi non intelligunt, uti vel abuti multi ſolent, locum non habet. Nam, quodcunque rectum et conſuetudine invectum eſt, bene ſonat: et cur priſci alibi *neque* ſequente diphthongo *au* poſuerunt? v. c. Cic. Roſc. Am. 1 in. *neque auctoritate:* Catil. I, 1 extr. *neque auctoritas*. Virgil. Georg. I, 514 *neque audit* etc.: ergo in ſyllaba *au* non poteſt culpa eſſe: unde videtur cauſa non niſi uſui dicendi tribuenda eſſe. Nam quis omnium rerum cauſas novit? V. c. cur priſci *nam* praeponere, *enim* poſtponere, alii vocabulo ſoleant? cum tamen *nam* et *enim* ſint ejusdem ſignificationis et ejusdem originis eſſe videantur. Sic *verum* praeponitur, *vero* poſtponitur; cujus rei cauſa aeque latet. Sic et *mecum*, *tecum* etc., pro *cum me*, *cum te* etc. Euphonia ſi regula deberet eſſe, quam fallax eſſet? quia alii jucunde alii injucunde eadem res ſonat. Iudicium aurium eſt valde diverſum, niſi certis legibus et regulis adſtrictum iisque adſuetum eſt.

XXXIII) *Cavendo, ne sententiam orationis prosaicae absolutam clausula poetica terminemus*, v. c. *dicere possit, atque videbat* etc., vel *nobis in oratione prosaica totus versus poeticus excidat.*

At nec hoc grave vitium esse existimem, modo ne data opera tales claufulas talesque versus immiscеamus. Nam 1) hoc vitium, si quidem vitium est, per se non injucundum est, sed tantum hactenus, quia videtur de industria tale quid quaesitum et adfectatum: et omne adfectatum seu studio quaesitum displicet, quia arrogantiam sapit, et orator scriptorve in illo magnam laudem ponere videtur. 2) Hoc olim poterat vitium aliquod esse, quia prisci, qui in vulgari sermone vocabula latina aeque ex syllabarum quantitate atque in carmine pronuntiasse videntur, facilius versum poeticum in oratione prosaica agnoscerent, quam a nobis hodie fieri potest, qui syllabas multas aliter in scansione, ut loquimur, aliter extra eam legimus: ut adeo ne timendum quidem facile sit, ne talis versus, si nobis excidisset, a multis hodie animadvertatur. 3) difficile est talem versum ubique evitare. — Priscis adeo ipsis multi hexametri, ut de aliis nihil dicamus, exciderunt: v. c. Sallust. Cat. 19 §. 4 *Cnei Pompeji veteres fidosque clientes.* Liv. Praef. in. est dimidius hexameter: *Factturusne operae pretium sim.* Tacit. Ann. 1 in. est totus hexameter: *Urbem Romam a principio reges habuere.* Etiam Ciceroni exciderunt, v. c. Arch. 1 in. *in quo me non insitior mediocriter esse* etc. Orat. III, 45 in. est hexameter dimidius: *Non est res tam difficilis, quam* etc. — Quod vero Cortius verba Ciceronis ad Div. XVI ep. 14 §. 3 *Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis*, pro hexametro integro habet in nota ad h. l., in eo errat; quia syllaba prima verbi *valere* brevis est. Sic Heinecc. in fundam. styli p. 64 ait Ciceronem Orat. III, 5 totum distichon inseruisse: *Complexi, plus multo etiam vidisse videntur, Quam quantum nostrorum ingeniorum acies:* sed in Cicerone legitur non *plus multo*, sed *multo plus:* saltem sic est in editione Ernestiana et forsitan in omnibus. — Ac plures hexametri, si quaerere vacaret eque re hominis cujusquam esset, facile invenirentur: cui enim non excidunt? Ut taceam de aliis versuum generibus, v. c. *jambicis:* quos in primis saepissime occurrere verisimillimum est. Quis conquirat? et cui bono? Si igitur prisci evitare non potuerunt, quanto minus nos poterimus? Facile igitur ignoscitur, si cui tale quid excidit, modo oratio ejus praeclaris sententiis ornata reperiatur. Quia tamen sunt, qui, quidquid prisci pro vitio habue-

habuerint, etiam hodie pro vitio habendum putent, atque ita talem versum vel etiam clausulam versus poetici, si cui exciderit, culpandum arbitrentur: suaserim omnibus, qui latine dicant vel scribant, ut, quantum possint, illam rem caveant. In minimis etiam placere homini humanum est.

XXXIIII) *Vitando omni concursu syllabarum vel literarum, qui cum vocabulo aliquo obscoeni quid indicante similitudinem habeat, atque ita hanc ideam obscoenam in lectoris auditorisve mente excitare possit.* Omnis enim obscoenitas displicet, atque adeo memoria ejus injucunda est. Exempla adferre nequeo. Sed nec hoc fortasse nimis ad vivum resecandum est: alioquin peccassent Cicero et omnes prisci, qui *penates, Fidenates, Marianus, Caesarianus, Tullianum* etc. dixerunt: nam posteriores syllabae horum vocabulorum aliquid obscoeni continent; quo pertinent quoque *nato, natas, penes, penitus, animus* etc., in quarum priore parte inest, si quis quaerere vult, aliquid obscoeni: quamquam puto ista vocabula omnia a priscis saepe audita et lecta esse ita, ut de obscoenitate non cogitarent, et recentiores quoque eadem vocabula ac similia saepe legisse ita, ut nihil obscoeni iis in mentem veniret: nec minus a nobis hodie leguntur et audiuntur sine offensione aurium. Totam rem cujusque judicio permitto.

Ceterum huc refert Cicero Orat. 45 *nobiscum*, et dicit, sic ad evitandam obscoenitatem dici: nam in *cum nobis* literae obscoenius concurrerent. Sed supra P. I cap. 3 de *ordine verborum* sect. 1 n. 6 p. 215 ff. monuimus, causam istam Ciceronis ab obscoenitate ductam nullius pretii esse: quia prisci 1) dixerunt *cum nostri, cum nominis* etc., in quibus tamen eadem obscoenitas inest, quae in *cum nobis* esse dicitur: 2) quia et dixerunt *secum, mecum, tecum, vobiscum* pro *cum se, cum me, cum te, cum vobis*, in quibus tamen nulla obscoenitas inest: hinc *cum* adverb. et conjunct. seu *quum*, quod tamen aeque pronuntiatum est ac *cum* praepositio, occurrit

apud priſcos ſequente *ſe, me, te, vobis:* v. c. *cum te ſummis laudibus ad coelum extulerunt* Cic. ad Div. VIIII ep. 14 §. 2 etc. — Cicero quidem l. c. ait, *mecum, tecum,* dictum eſſe, ut ſimile eſſet illis *vobiscum* atque *nobiscum.* Egregiam cauſam! Videtur potius ordinis inverſi in *mecum, tecum, ſecum, nobiscum, vobiscum* (it. *quocum, quacum, quicum*) ratio eſſe eadem: et haec res vel caſu orta, ut apud nos nonnulli *Zweifels ohne, der Sache wegen,* pro *ohne Zweifel, wegen der Sache* dicunt, et vulgo dicitur *meinetwegen, deinetwegen, ſeinetwegen,* ubi nemo cauſam novit, cur *wegen* poſtponatur; et ut apud Graecos nonnullas praepoſitiones ſuis caſibus poſtponi notum eſt. Cauſa latet: ſed ſic et *quo de* pro *de quo* cet. occurrit. Iudicent acutiores! conf. ſupra P. I cap. 3 ſect. 1, ubi latius iſta res tractata eſt.

Hactenus de *ſuavitate dicendi:* in qua tamen ſuaves praeclaraeque ideae principatum obtinent. Sapiens enim magis ideis quam verbis delectatur: nec tamen cultus verborum ei displicet, modo idearum praeſtantia ornata reperiantur. Virgo pulchra, negligenter veſtita et ornata, tamen valde placet: magis placet, praeclare ſimul veſtita et ornata.

FINIS PARTIS POSTERIORIS

APPEN

APPENDIX I

DE SUBSIDIIS QUIBUSDAM STYLI BENE LATINI

Quamquam e supra dictis natura styli bene latini satis superque cognosci potest, ut fere non opus sit quidquam addere: tamen, ut plane nihil omisisse videamur, aliquot etiam subsidia paucis memorabimus. Ea sunt in universum duo 1) *lectio priscorum* 2) *exercitatio in scribendo.*

SECT. I

De lectione priscorum.

Lectio priscorum est primum ac praecipuum subsidium styli bene latini. Ex illis enim praecipue discenda est bene latine dicendi scribendique ratio. Hic duo notanda:

1) *Lectio bonorum scriptorum debet esse adsidua.* Nam, si non multa quotidie legimus, quomodo ea omnia, quae ad bene scribendum pertinent, et quorum est ingens multitudo, colligere et discere possumus? deinde, quo plura legimus, eo crebrius eaedem res, eadem verba, iidem connectendi modi etc. redeunt, atque ita firmius in mente inhaerent. Legendi in primis sunt scriptores aureae aetatis, ut Cicero, Caesar, Livius, Terentius: in his scribendi genus est naturale et ab adfectatione fucoque alienum: spectarunt enim magis res quam verba: cum contra scriptores posterioris aetatis sub imperatoribus, adulandi necessitate invecta, verborum ornamenta et lenocinia magis quam rerum veritatem ac pondera curaverint, et, libertate sentiendi amissa, coacto fere scribendi genere et adfectato usi sint, pauciſſimis

forsitan exceptis. — In primis tamen Cicero legendus 1) quia multos varii generis libros reliquit, in primis tales, quales hodie scribere solemus. Caesar et Livius scripsere libros historicos. Quotus vero quisque hodie est, qui historiam conscribat? Terentius comoedias: sed et has pauci hodie scribent. At Cicero scripsit epistolas, orationes, itemque de rebus ad doctrinam pertinentibus, v. c. de eloquentia comparanda, de philosophorum placitis, de officiis, de senectute, amicitia etc., ut ejus libri multis prodesse possint. Magnam quoque partem historiae temporum suorum v. c. de Catilina, Caesare, Octaviano, Antonio, Lepido etc. intexuit libris suis, v. c. epistolis, in quibus multa singularia reperiuntur, quae alibi non occurrunt. 2) quia fuit homo egregie doctus et egregio ingenio ornatus: hinc ex ejus libris multa discere, in primisque eorum lectione judicium nostrum acuere, possumus. Nam, quo quis est doctior, eo subtilior est in dicendo et scribendo, eoque magis acuunt ejus libri mentem lectorum. 3) quia fuit vir magnae experientiae, sapiens, Consul etc. Hinc ex eo prudentiam possumus nobis comparare et discere, quid ii, qui rempublicam gubernant, sentire, quid spectare, soleant, qualis eventus huic vel illi consilio respondere possit vel soleat etc., quae omnia nobis prosunt ad multa vel cavenda vel imitanda. Deinde, quo quis est ordine, loco, ac dignitate aliis superior, eo magis consuetudine hominum similis conditionis utitur, eoque venustior ejus est dicendi ratio: id quod in Ciceronem cadit: qui cum consul esset et familiaritate Pompeji, Caesaris, aliorumque principum civitatis frueretur, nonne venustius scribere poterat, quam si homo vulgaris conditionis fuisset, qui non nisi vulgaribus hominibus uti solet, e quorum usu parum venustatis acquiri potest? Nec dubitandum, quin nostri oratores majores oratores futuri essent, si principum et regum consuetudine quotidie uti possent vel ipsi summo

summo loco nati essent. 4) quia fuit omnium Romanorum disertissimus h. e. perspicue, graviter, suaviterque dicendi peritissimus. Ex illo igitur artem perspicue, graviter, suaviterque dicendi ac scribendi, atque ita aptissima quaeque verba eligendi, uno verbo eloquentiam, per omnes ejus libros fusam, haurire possumus. 5) quia Romae plerumque mansit, ut senatui interesset; nec, nisi in Ciliciam provinciam, abiit, idque in unum annum. Hinc sequitur, ejus dicendi genus mansisse urbanum, nec peregrinitate ulla corruptum esse. Accedit 6) quod singulis fere diebus dicendum ei erat vel coram senatu vel in judiciis vel coram populo: hinc exercitatio in bene dicendo erat ipsi tam familiaris, ut, quidquid deinde diceret vel in sermone familiari, jam antea ab ipso bene dictum esset. Hoc non omnibus oratoribus contigit, ut tanta exercitatione uti possent, eaque coram auditoribus talibus.

Totum igitur Ciceronem saepe legere debemus a) *Epistolas ejus*, in primis *ad diversos*, it. *ad Q. Fratrem*, b) *Orationes*, v. c. pro *Rosc. Am.*, *Verrinas*, *Manilianam*, *Agrarias*, *Catilinarias*, pro *Murena*, pro *Archia*, ad *Quir. post reditum*, pro *domo*, pro *Sextio*, pro *Milone*, pro *Marcello*, pro *Ligario*, *Philippicas* etc. c) libros de *Finibus bon.* et *mal.*, *Quaest. academ.*, *Quaest. Tusculanas*, de *nat. deorum*, de *divinatione*, de *officiis*, de *senectute*, de *amicitia* etc. d) *libros rhetoricos*, ut de *inventione*, de *oratore*, *Brutum*, *oratorem* etc.

Cum hac Ciceronis lectione lectio Caesaris, Livii, Terentii crebra conjungenda, utpote qui, quod ad verba adtinet, omninoque in apte venusteque dicendo Ciceronis sunt simillimi, atque ita bonae latinitatis culturam valde adjuvant et confirmant: itemque Nepotis et Sallustii lectio haud plane negligenda: etsi paululum discedunt a ratione Ciceronis, in primis Sallustius, qui in stylo singularia quaedam sectatur. Nec Plautus plane omittendus est: nec Varro de *re rust.* Huc accedere

dere debet lectio poetarum, Virgilii, Horatii, Ovidii etc., quae bonae latinitatis studioso propterea opus est, ut poetica a prosaicis discernere atque illa fugere sciat. Nam, ut *ignoti nulla cupido*, sic *ignoti nulla fuga est*. Possunt etiam isti poetae nostrum ingenium acuere et variis pulchrisque ideis locupletare. Haec de aurea aetate, in qua Terentium non male posuimus. Ex argentea aetate legi merentur *Quintilianus* et *Phaedrus*: item *Suetonius* et *Tacitus* ob historiam, et alii. Potest ex iis quoque disci, quid sit discriminis inter scriptores aureae et inter scriptores argenteae aetatis: quod valde prodest ad firmius inhaerendum in Ciceronis latinitate et stylo. Ceterum lectio haec *Ciceronis, Caesaris, Livii, Terentii*, debet esse crebra: in primis Cicero saepe est perlegendus, saltem ejus Epistolae et praecipuae orationes. Nam semel legere nihil prodest, ac ne bis quidem. — At non sufficit Ciceronem legisse, debes eum quoque recte intelligere. Hinc

II) *Lectio priscorum, maxime Ciceronis, debet esse quoque accurata* h. e. prisci ita legi debent ut plane intelligas singula verba, et scias, quid in singulis cogitaverit scriptor. Dupliciter haec lectio accurata instituenda:

A) Primum *praeeunte magistro in lectionibus publicis*, ut vocantur. Nam sine magistri ope hic vix quisquam initio recte proficiet. — Quaerunt nonnulli, utrum hic lectio *stataria* h. e., ubi singula accurate explicantur, an *cursoria* h. e., ubi celeriter scriptor perlegitur, instituenda sit. Hic haud dubie magni refert, quales sint discipuli. Equidem puto utramque apte conjungendam, in difficilioribus locis utendum *stataria*, in facilibus et per se expeditis *cursoria*. Sed magni quoque interest, quali magistro utare, utrum hic sciat, quid difficile sit, nec ne, et an rem quamque perspicue explicare possit. Sunt, qui in cursoria lectione rem quamque, licet breviter, at longe accuratius explicent, quam

alii

alii in stataria, qui interdum, omissa justa rerum (nam hae in primis explicandae sunt) et vocabulorum explicatione v. c. ex usu loquendi, ex etymologia, ex antiquitatibus, historia, e contextu, locis parallelis etc. arcessenda, in lata rerum inutilium et alienarum tractatione haerent ac v. c. scholiastarum et grammaticorum veterum saepe ad locum non facientium lata verbosaque recitatione, etymologiarum variarum, earumque saepe incertissimarum, nec ad loci explicationem pertinentium longis disquisitionibus, phrasium variarum operosa extractione et dictatione, tempus ita consumunt, ut vix paucos versus intra horae spatium absolvant, nec tamen satis explicent. O! talem lectionem stataria deus avertat ab omnibus scholis! Huc pertinent alii, aeque infelices, qui facilia latissime explicant, difficilia, tanquam facillima, praetermittunt. — Imo peritus magister nihil aliud aget, quam ut discipulus locum scriptoris plane intelligat et in hujus mentem animumque penetret; hinc nihil omittet, quod ad singula intelligenda pertineat. Quam in rem a) contextum totius loci, imo totius libri, epistolae, orationis etc. a discipulo ubique consuli jubebit. Nam sine contextu nulla intelligentia rei est certa. Docebit, quid quaque sententia contineatur; adtendi jubebit, an et quomodo singulae sententiae singulaque verba tum inter se conveniant tum cum praecedentibus et sequentibus cohaereant. Si hoc omittitur, si discipulus ad contextum sua sponte adtendere non mature discit, mens ejus non acuitur; ipse modicos facit progressus in discendo, et nihil certi discit. b) examinabit sententias (hoc non ubique fieri debere per se patet), an verae sint, an pulchrae, acutae, vulgares etc., et cur: it. argumenta, exempla, similitudines, descriptiones etc., an aptae sint. c) non modo verba sed etiam res explicabit. Non enim verbum intelligo, nisi rem intelligo in verbo latentem. Verbum a se explicari putant multi, quando vernaculum verbum

ei respondens recitant; v. c. gubernare *steuern* etc, At hoc non est *explicare* sed *vertere*. Locus potest saepe recte verti, nec recte intelligi atque explicari, et contra. Saepissime in loco explicando discipulo oritur difficultas inde, quod rem non intelligit: v. c. nescit, quid sit *navis*, quid sit *prora*, *carina*, *puppis*, *gubernaculum*, quid *clavus gubernaculi*; nescit, utrum prisci in adpellenda nave proram an puppim adverterint litori; nescit eas artes, e quibus innumerabilia vocabula in sermonem latinorum vulgarem translata sunt; nescit ritus priscorum, res gestas eorum etc. Quomodo is verba ipsa intelligat? nam non semper contextus hoc declarare potest. Iam, si ne ipse quidem magister rem intelligit, quomodo verbum illam exprimens explicare possit? Et hoc saepe accidere ac saepe a coeco coecum duci non mirum est. Hinc fit, ut multi magistri in explicanda phrasi *adpellere puppim litori* dicant *puppim* pro *tota nave* positam, et ut *clavum gubernaculi* per *gubernaculum ipsum* simpliciter explicent, omninoque duo substantiva pro uno posita saepe dicant, quia alterum non intelligunt. Magister saepe debet vocabulum per definitionem, non modo *nominalem*, ut vocant, sed in primis *realem*, explicare. Ego fateor, me multa loca priscorum non satis intelligere, quia res ipsas non satis intelligo. Et credo, si omnes omnino artes, etiam sellularias, recte intellegerem, me multo plura loca accuratius intellecturum. Nam, omnes ritus priscos, ad quos fortasse respicitur in loco quodam difficiliori, a nobis intellectum iri, nulla spes est: quod idem de historia prisca dicendum. — Errant igitur, si qui putant, linguae latinae accurata cognitione nos posse eo pervenire, ut rēs a priscis traditas plane intelligamus. Imo vero res ante sint notae necesse est, quam possis verba atque ita linguam accurate intelligere. Loquor hic de rebus difficilioribus, quas prisci ipsi non explicarunt. Sic res se habet in nostra lingua, sic se habet in omnibus linguis. d) explicabit

vero

vero etiam ubi opus erit singula verba, et docebit sintne propria an tropica, et an tropus sit aptus et pulcher, ubi propria vis vocabulorum, ut per se patet, explicabitur: nam sine ejus cognitione non nisi nugae exsistunt. e) in homonymis docebit, quaenam significatio contextui isti conveniat, et cur: ubi interdum videre discipulum jubebit, an ceterae significationes locum habeant, et cur non habere possint. f) Addet quoque saepe, utrum vocabulum hoc vel illud necessarium fuerit, et cur; an omitti potuerit: it. an egregia sententia cum eo conjuncta sit, an sententia per id fortior facta sit. It. an saepe occurrat vel omnino vel ista significatione. Hoc in primis est necessarium: nam nihil fere est, quod non occurrat apud priscos, at raro: et rariora fere inter vitia numerantur. Nec Lexicon hic ubique sufficit. Unde discipulus discet? nonne a magistro? Hic debet esse optimum Lexicon. It. an Verbum vel adjectivum conveniat substantivo. Neque enim omnia vel adjectiva vel Verba cum substantivis conjungi possunt; v. c. *gradus magnus*, *gradum accipere:* quae conjungi nequeunt. g) ostendet etiam connexionem vocabulorum, enuntiationum et sententiarum absolutarum, v. c. per duplex *et*, *neque*, *qui* etc. h) periodos Ciceronis interdum resolvet, docebitque, cur enuntiationes insertae sint vel inseri debuerint. i) numeros oratorios notabit. k) in vertendis scriptoribus priscis curabit, ut singula verba, quoad quidem fieri possit, exprimantur. Versio sensum universum exprimens non est versio. l) Singula, quae recte explicata et versa sunt, imitari statim discipulum jubebit, ut videat, an recte intellecta sint. m) Omninoque singula frequenter et diversa ratione repetenda curabit etc.

Haec et plura magister peritus et fidelis aget, ut discipulus totam formam styli Ciceroniani perspiciat atque imitari discat.

At

At non sufficit *bona* scriptorum notasse, debent et *vitia* in iis occurrentia, sive ipsorum sive librariorum culpa commissa sint, diligenter animadverti, ne per ea discipulorum mens in errorem inducatur ac pro virtutibus illa habeat, sed, ut caveat. Vitia sunt duplicia, alia in rebus s. ideis, alia in verbis. Utriusque generis exempla sunt in priscis: pauca tantum hic notabimus. Tali vitiorum a priscis commissorum notatione, si a magistro saepius instituatur, nihil esse adcommodatius ad acuendos tironum animos tam certum est, quam quod certissimum.

1) Vitia in *rebus* s. ideis ac sententiis:

a) Cicero Rosc. Am. 27 et 29 repugnantia dicere videtur: priori enim loco ait: Roscium Romae fuisse, at non diu ibi mansisse: posteriori plane negat Roscium Romae fuisse. Verba sunt cap. 27: *unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit, neque unquam plus triduo fuit?* et cap. 29 *Roscio — objicient, et illam sicariorum multitudinem — huic crimini putabunt fore? qui non modo Romae non fuit, sed omnino, quid Romae ageretur, nesciret, propterea quod ruri adsiduus — fuit.* Debebat dicere: *qui non modo Romae non tum* (s. *isto tempore*, quo pater occisus est) *fuit* cet. — In ead. oratione cap. 25 Ciceronem nimis copiose ac fere pueriliter de parricidii atrocitate et poena dixisse, eandemque rem, augendi causa, nimis saepe verbis inanibus, licet ornate concinneque effictis, enuntiasse, hodie in confesso est. Paucula tantum de isto loco celeberrimo dicam. Posteaquam Cicero dixerat, majores sanxisse, ut, qui parentes necasset, in culeum insutus in flumen dejiceretur, exclamat: *O singularem sapientiam! nonne videntur hunc hominem ex rerum natura* (i. e. ex mundo) *sustulisse et eripuisse, cui repente coelum, solem, aquam terramque ademerunt?* Male. Culeo insutus tamen in mundo manet. Causam deinde ingeniose comminiscitur, cur primum non feris objecerint, deinde cur non nudos in flumen dejecerint. *Noluerunt*, inquit, *feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus* (i. e. tam scelestum hominem) *adtigissent, immanioribus uteremur.* Quomodo bestiae parricida *adtingendo* (Ern. in clave explicat *devorando*, quod non opus est, imo illud gra-

gravius dictum) immaniores fieri possunt? Pergit: *non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent* etc. Tandem ait: *Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de coelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita jactantur fluctibus, ut nunquam abluantur: ita ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.* Quam argute! quam speciose! a) si animam, h. e. spiritum, *de coelo ducere* nequeunt, quomodo vivere possunt? nonne hoc est repugnantia loqui? b) terra quidem ossa eorum non potest *tangere;* at culeum *tangit,* in quo corpus est. Sic nec apud nos corpora humatorum terra *tangit,* quia loculo (*im Sarge*) inclusa jacent. At quis hoc pro magna miseria habet? Imo miserum haberur, si corpus sine loculo humetur atque ita terra illud tangat. Sic nec magna miseria est, quando corpora illorum fluctibus non *abluuntur* etc. — Cic. Fontej. 17 ante med. rogat judices, ut Fontejum propter Fontejae sororis, quae Vestalis erat, lacrymas absolvant. Id praeter alia his exprimit verbis: *Prospicite, ne ille ignis aeternus, nocturnis Fontejae laboribus vigiliisque servatus, sacerdotis vestrae lacrymis exstinctus esse dicatur.* Grave sane argumentum! Sic fortasse nullus frater Vestalium damnari potuit, si ista vis lacrymarum timenda sit. — Cic. Verr. III, 98 ait: *Totae autem res rusticae ejusmodi sunt, ut eas non ratio* (h. e. nulla praecepta oeconomica, nulla ars,) *neque labor, sed res incertissimae, venti tempestatesque, moderentur.* Quid? ars, sapientia et labor nihil profint agricolae? Cicero saltem debuisset addere *saepe, saepissime,* vel etiam *plerumque.* — Cic. Manil. 10 Pompejum, patronum suum, nimis hyperbolice hisce laudat verbis: *qui saepius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico* (mit einem Privatgegner) *concertavit* (v. c. in foro, in curia), *plura bella gessit, quam ceteri legerunt, plures provincias confecit, quam alii concupiverunt, cujus adolescentia — non stipendiis* (i. e. Feldzügen, Kriegsdiensten) *sed triumphis est erudita?* O magnum adulatorem! An credibile est, Pompejum plura bella gessisse, quam alii legerint? Intra paucos dies multa bella legere, at non gerere, licet. Ut uno verbo dicam, omnia nimis aucta sunt. — Cic. Marcell. 7 extr., postcaquam satis adulatorie dixerat, in Caesaris vita consistere rempublicam, addit: si insidiae, quas Caesar timere dicebatur, hujus vitae vere parentur: *quem deum, si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus?* Quid magis adulatorie et simul impie dici potest? Et Cicero

tamen

tamen alibi dixit, potentia divina omnia gubernari, et rempublicam sola deorum ope contra Catilinarios defensam et servatam esse. Nec post Caesaris caedem quisquam audivit Ciceronem dicere: *rempublicam periisse*. — Contra historiam peccasse videtur Cicero Dejot. 7, ubi dixit, Attalum fuisse liberalem erga P. Africanum. Pro *Attalo* constat legi debere *Antiochum*. Multi ad defendendum bonum Ciceronem malunt librarios peccasse et Attali nomen pro Antiocho posuisse. Alii Ciceronem ipsum erroris accusant. Et quidni Cicero errare potuerit? Nemo mortalium est, qui non interdum memoria labatur.

b) *Virgilius* confundit Scyllas Eclog. VII, 74. Vocat ibi *Nisi filiam*, quam *Phorci* nominare debebat. At poetas in Mythologia, quam ipsi maximam partem excogitarunt, peccasse non mirum est. — Narratio de Palinuro, quem Somnus deus in mare dejecerat Aen. V extr., et qui deinde in orco ab Aenea conspicitur, nunquam, puto, omni difficultate carebit. Aeneas ibi ita illum adloquitur Aen. VI, 341: *Quis te — deorum — sub aequore mersit? — namque — hoc uno responso animum delusit Apollo, qui fore te ponto incolumem finesque canebat venturum Ausonios.* Ille contra: *Neque te Phoebi cortina fefellit — nec me deus aequore mersit* etc., ubi deinceps narrat, se traxisse secum gubernaculum et, tres noctes diesque vectum aquis, tandem quarto die adnasse Italiae, sed crudelitatem incolarum expertum esse etc. Hic non ego cum Servio haereo in verbis: *nec me deus — aequore mersit* h. e. *nullus deus fecit, ut perirem fluctibus*, sed in eo, quod Palinurus Aeneae de falso Apollinis oraculo conquerenti dicere audet: *Neque te Phoebi cortina fefellit.* Nam utique fefellerat. Non enim satis erat, eum venire ad Italiam; debebat etiam *incolumis* venire. Et, qui tres dies noctesque maris undis fertur, vestibus gravatus, an eum credibile est vivum manere posse? Nihil hac de re ill. Heynius: nec video, quomodo Palinurus oraculo Phoebi fidem fecerit, quod Heynius credit. Sophistice magis quam vere respondisse videtur Palinurus. Nam τὸ *incolumem* refero quoque ad *venturum fines Ausonios.* Et sic Aeneas ipse retulit: nisi dicamus Phoebi oraculum fallax fuisse, ipsumque praedixisse, Palinurum in ponto incolumem fore, et ad fines Ausonios venturum: sed, utrum incolumis eo venturus esset nec ne, non addidisse. Tali modo respondisset eventus oraculo. Attamen semper haec duo sunt mira, a) Aeneam intellexisse oraculum de *incolumitate* Palinuri in ad-

ventu

ventu in Italiam: b) Palinurum tres noctes diesque vivum manere potuisse. — Deinde sui oblitus videtur poeta Aen. VI, 445, ubi Eriphylen *in lugentibus campis ponit*, in quibus tamen eos esse dixerat v. 442 *quos durus amor crudeli tabe peredit*, cum tamen illa non *duro amore pere sa* sed *a filio occisa* fuerit, neque ita jure campos illos teneat, nisi dicamus, campos lugentes non tantum misere amantes sed plures infelices heroinas complexos esse, et Poetam hoc dicere oblitum, nec satis subtiliter locutum. Cf. cel. Heyn. exc. 8 — Quod tandem poeta Aeneam lib. VI extr. per *portam eburneam* h. e. eam, unde falsa somnia mortalibus immittuntur, orco emittit, eruditi omnes eum damnant, quia sic indicare videtur, omnia, quae in illo libro egregie et cum magnae eloquentiae ac doctrinae laude tradiderit, nihil aliud fuisse quam somnium. Excusat eum ill. Heynius ita, ut crimine negligentiae non liberet. Ait, poetam istud posuisse parum memorem, quid inde sequeretur, aut hoc fuisse inter ea, quae Maro aliquando emendare voluisset. Ac sane, cum sciamus, quam imperfectum Maro opus Aeneidos reliquerit, in eo judicando haud nimis acres censores esse debemus.

c) *Ovidium*, ut omnino ingenii copia, ita maxime in descriptione rerum peccasse tralaticium. Memorabo tantum duo: 1) notissimam illam fabulam de Narcisso Metam. III, 406 — 510. Narcissus, adolescens egregiae formae, cum in limpido fonte, ad quem bibendi gratia procubuerat, faciem suam vidisset, repente, quia non suam sed alius hominis esse opinabatur, amore hujus faciei atque ita sui ipsius vehementer arsit. Hactenus bene: nam credibile est, aliquem tali modo per imprudentiam sua ipsius forma capi et ardere amore posse: et totus locus est longe suavissimus. At postea adolescens sensit, se esse eum ipsum, cujus amore flagraret: et hic desinere poeta debebat, quia naturae humanae conveniens est, aliquem, si errorem suum senserit, talem amorem abjicere. At poeta, ut fit, ingenium suum coercere non poterat. Narcissus pergit sui amore ardere, et sic tandem periit inque florem sui nominis mutatus est. Haud dubie poeta hoc fecit, ut acutas sententiolas adferre posset: v. c. *flammas moveoque feroque; roger anne rogem? quod cupio, mecum est; inopem me copia fecit:* quae omnia pulcherrima forent, modo res ipsa verisimilis esset. 2) Halcyone Met. XI, 700 marito, qui, ipsa inscia, naufragio perierat, per somnum viso, ita domi secum loquitur: *Nunc absens pereo, jactor*

nunc

nunc fluctibus absens et, sine me, me pontus habet. Dicere volebat: *maritus me absente perit, maritus fluctibus jactatur me absente, pontus maritum sine me habet.* Pro *marito* ponit *se ipsam.* Haud dubie istud est ingeniosius et acutius dictum, at non vere. Nam, licet interdum proverbio dicantur conjuges esse duae dimidiae partes unius corporis, tamen hoc in cogitatione sola, non in re, consistit. Et uxor non ubique pro *viri* nomine *se* nominare potest.

Ejusmodi igitur vitia (qualia et supra passim notavi) in priscis obvia discipulis indicari diligenter debent, ut eorum mens acuatur, adtentionique mature adsuefiat, ac scriptores priscos, non propter eorum nomen ac famam, nec propter vocabula bene sonantia, sed ob sententias veras ac pulchras admirari discat.

2) Vitia *verborum* vel duras locutiones speciminis loco subjiciemus:

a) in *Cicerone.* Verr. IIII cap. 35 med. *Quid hoc tota Sicilia est clarius, quam omnes Segestanas matronas et virgines convenisse* etc. *τὸ hoc* ineptum est, quia jam sequitur *quam omnes* etc. Eadem tamen redundantia occurrit saepius ap. Ciceron. v. c. Cic. Acad. I, 12 post med. *neque hoc quidquam esse turpius, quam — praecurrere:* Cic. ad Attic. IIII ep. 8 med. *Quid enim hoc miserius, quam eum — fieri non posse?* Cic. Or. I, 37 post init.: *quid ergo hoc fieri turpius — potest, quam* etc.: et Divin. I, 39 extr. *quid vero hoc turpius, quam quod idem nullam sensit* etc. In his locis *τὸ hoc* manifesto redundat: sic et *quo,* v. c. *Quo quid absurdius, quam — adficere* etc. Cic. Nat. D. I, 15 post init. Sic et Xenoph. Cyrop. VIII, 7, 25 Τί γὰρ τούτῳ μαχαιρώτερον τῇ γῇ μιχθῆναι, ubi τούτῳ similiter abesse poterat. — Agrar. II, 3 med. *Neque enim ullo modo facere possum, ut — non essem popularis:* debet esse *sim* pro *essem.* Et sic recep. Ernesti. — Ibid. cap. 35 *Ex hac copia atque omnium rerum adfluentia* (Campanorum) *primum illa nata sunt: arrogantia, quae a majoribus nostris alterum Capua consulem postulavit; deinde ea luxuries* etc. Verba *primum illa nata sunt* debent hoc ordine legi: *illa nata sunt: primum arrogantia* etc. Nihil manifestius esse putaverim. Nihil monuit Ernesti. — Muren. 29 *Et quoniam non est nobis haec oratio habenda aut cum imperita multitudine aut in aliquo conventu agrestium* etc. Pro *cum*

videtur

videtur legendum *coram*. Attamen sic Caes. B. G. VII, 47 in. *legionisque decimae, quacum erat concionatus* etc. — Arch. 12 *An, cum statuas — multi — reliquerunt, — virtutum effigiem nonne multo malle debemus* etc.? *An* hic redundat: est igitur vitium negligentiae, nisi *ac* legere velimus. Ernesti *non* pro *nonne* dedit. — Flacc. 26 in. *Quis ignorat, qui modo unquam mediocriter res istas scire curavit, quin tria Graecorum genera sint vere?* ubi notes, *quin* post *ignorat* poni pro *tria Graecorum genera esse*. Sic tamen τὸ *quin* etiam post *negare* est Liv. XXXX, 36 in. *negare non posse, quin rectius sit:* et post *suspicio*, Caes. B. G. I, 4 *non abest suspicio, quin ipse sibi mortem consciverit.* — Dom. 30 med. *Quod si non fuit* (h. e. si Sedulius Romae illo die non fuit), *quid te audacius, qui in ejus nomen incideris?* Viri docti vel *in* omittendum vel *aes* post *in* excidisse putant. Utrumvis recte. Sensus est: *quod nomen Sedulii in lege illa posueris, tanquam is eam in primis sciverit* s. *jusserit*. Leges in aes incisas esse notum est. Ernesti, illo sensu non contentus, vulgatam praefert (in Clav. Cic. v. *incidere*) et intelligit *legem*, ut sensus sit: *quod ejus nomine legem scripseris* s. *scribi curaveris*. At primum durum est *legem* intelligere, cum hoc vocabulum non praecesserit: ac simpliciter *incidere* sic non dici potest. Deinde dubito, an Latini dicant et dicere possint *in nomen ejus* pro *nomine ejus*, licet vernacule dicamus v. c. *auf eines Namen lügen, borgen*, quod Ernesti exempli causa adfert. At totus locus docet, Sedulium fuisse, qui legem sciverit, non qui scripserit: sequitur v. c. *sin autem is primus scivit* etc. et paulo post: *si Sedulii centum se velle et jubere dixerint* etc. — Ad Div. II ep. 19 §. 6 *Quamobrem, quaecunque a me ornamenta in te proficiscentur, ut omnes intelligant, a me habitam esse rationem tuae majorumque tuorum dignitatis.* Si *quaecunque* esset *omnia*, sensus facilis foret. Verum semper ap. Ciceronem est *omnia, quae:* hinc τὸ *ut* non habet, unde pendeat. Locus est vel vitiosus vel mancus. Editores nonnulli ad sensum perficiendum ante *ut* inserunt *elaborabo*, quod in nullo codice reperitur: de eo igitur monendi sunt discipuli, plerumque utentes editionibus levioribus, ne credant *elaborabo* certo profectum esse a Cicerone. — Ad Div. VI ep. 6 §. 24 peccatum est contra suavitatem: *externos multos claros viros nominarem;* ut supra P. II c. 3 sect. 4 n. XXX monitum. — Ad Div. VI ep. 3 §. 6 *quam quemvis aut eorum, qui discesserint: alteri dimicant, alteri victorem timent:* ubi haud

haud dubie membrum deest respondens verbis *aut eorum, qui discesserint*, quidquid Cortius contra dicat. Editores propter sensum addiderunt, *aut eorum, qui remanserint:* haec igitur verba non certo esse a Ciceronis manu, admonendi sunt discipuli. — Ibid. ep. 4 §. 3 legitur: *Equidem, cum haec scribebam, aliquid jam actum putabam, non quo, sed quod difficilis erat conjectura.* Sic Codd. habent, sed sine sensu: hinc editores ad sensum complendum ita dederunt: *non quo ego certo sciam* (Ernest. *scirem*), *sed quod haud difficilis erat conjectura.* Add. Sulpic. ad Cic. in epp. ad Div. IIII ep. 12 in. *visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores facere.* Aut debebat esse: *faciendum, ut vos certiores facerem*, aut potius: *visum est — vos certiores facere*, omisso *τῷ faciendum*, quod manu aliena invectum videtur. Certe *visum est faciendum facere* est soloecismus. Cortio adeo elegantiam videri potuisse miror: quamquam hic vir, quidquid rari et duri reperisset, id inter elegantias referre et ineptis saepe exemplis defendere solitus est. — Cicero habet quoque quaedam rariora, v. c. *absque* pro *sine*, v. c. Invent. I, 36 in. *absque adprobatione;* ubi Ernesti pro *absque*, quod ei vix latinum videbatur, *sine* edidit; et Attic. I, 19 in. *absque argumento;* ubi, quod miror, Ernesti nil monuit. it. ad *placandum deos* Catil. III, 8, pro quo usitatius *placandos.*

Ceterum hinc patet, quam necessaria sit studioso latinitatis ars critica, quamque errent, qui putent, hanc non esse rem adolescentum. Sine ea saepe nescimus, utrum vocabula a Cicerone profecta, an a librariis vel typographis efficta, explicaremus.

b) In *Nepote* multa vitia vel etiam dura aut saltem singularia deprehenduntur; quae nisi a magistro diligenter indicantur, nunquam tiro certam latinitatis ideam nanciscitur, praesertim cum hic scriptor fere primus sit, qui latinitatis studiosis explicari soleat. Nonnulla, partim ab editoribus jam notata, memorabimus: In praefat. *Nulla Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non ad scenam eat mercede conducta.* Haec sensu vitiosa esse sensuque carere notum est. Nam primum *ad scenam ire* vix significare potest *comoediam agere, actorem esse:* actores enim non *ad scenam* sed *in scenam eunt* seu *prodeunt.* Et ipse Nepos paulo post *in scenam prodire.* Deinde incredibile est, *viduas nobiles* h. e. stirpe generosa ortas *in scenam prodiisse mercede conductas.* Nec quisquam demonstravit, hoc unquam factum esse. Hinc Barth. pro *scenam* legit *stivam,*

Alii

Alii malunt *coenam*. At neutrum explicari satis potest. Venit mihi aliquando in mentem legere: *quae non ad lenam eat mercede conductam*, ut Nepos dicat, matronas honestissimas post maritorum mortem non puduisse ad lenam ire, ibique ad libidinem explendam consuetudine virorum uti.*) — Milt. 4 extr. *civibus animum accessurum, cum viderent, de eorum virtute non desperari:* debebat esse *de sua virtute;* et statim: *et hostes fore tardiores, si animadverterent, auderi* etc. pro *animadvertissent*. Sed sic saepius Nepos. — Themist. 4 §. 3 *tam angusto mari conflixit, ut multitudo navium explicari non potuerit* pro *posset*. Sed sic saepius et Nepos et alii. — Ibid. 10 §. 2 *ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam hi poterant, qui in Persida erant nati*. Debebat esse *possent* pro *poterant*, et *essent* pro *erant*. — Alcib. 1 in. *In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta:* rectius *posset*. Quamquam fortasse nec *possit* plane spernendum scil. *in universum*. — Epam. 8 §. 2 *Omniaque, quae collegae dixerunt, confessus est*. Ut taceam *omniaque quae* injucunde dictum, pro *dixerunt* debebat esse *dixerant*. Et Heusingerum sic edidisse didici post tum ex cl. Harlesii nota ad h. l. tum ex cl. Fischeri libello variarum lectionum repetitae Bosii editioni adjecto. — Ibid. *Sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo inscriberent* etc. Vocabulum *periculo* est crux Criticorum. Sunt, qui mutent in *sepulcro, cippo, titulo, pariculo* etc. Alii retinent *periculo* et explicant *Commentariis publicis*, quos *Protocollum* vulgo vocant, quia Ciceronem Verr. III, 79 putant *pericula magistratuum* ita dixisse. At hoc est e loco obscuro locum obscurum illustrare: ac praeterea diversus est valde utriusque loci contextus: nam in Cicerone dicuntur *tabulae publicae* (i. e. Protocoll) *periculaque magistratuum scribarum fidei committi*, ubi forsan, si locus salvus, ad *periculum* proprie dictum respici potuit, quod in Nepote locum non habet. Si Nepos scripsisset *columna*, ut Plutarchus de eadem re loquens ait, vel simile quid, nihil difficultatis esset. — Ages. 5 §. 2 *tantum*

*) Postea didici ex Edit. Nepotis Harlesiana, I. M. Heusingerum itidem *lenam* pro *scenam* legendum putasse. Neque enim ipse Editione Heusing. unquam usus sum. Id quod hic monendum duco, ne quis homo praecipitis malignive ingenii forte opinetur, me istam conjecturam ex Heusingero, nomine ejus dissimulato, hausisse. Talem fraudem committere est hominis illiberalis et a mea persona alienum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0271
DFG

tum abfuit ab insolentia, ut commiseratus sit pro *commiseraretur:* at sic et alii. — Eum. 1 extr. *praefuit alterae equitum alae* etc. Sic Codd. et edit. Bos. pro *alteri:* et sic Caesar B. G. V, 27 *ne qua legio alterae legioni subsidio venire* etc., ut Oudend. e codd. recepit. Sic et Colum. V, 11 §. 10. Sic et *altero fratri* pro *alteri*, Cic. Nat. D. II, 26 in. — Eum. 6 in. *Ad hunc Olympias — cum literas — misisset in Asiam consultum, utrum repetitum Macedoniam veniret — et eas res occuparet: huic ille primum suasit* etc. Hic *utrum* ponitur non sequente *an;* at non semel ita Cicero, vid. Lexic. aut etiam Observ. in Script. prisc. ad h. l. — Ibid. 13 extr. *Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus sepeliendum tradidit. Hi militari honesto funere comitante toto exercitu humaverunt, ossaque ejus in Cappadociam ad matrem — deportanda curarunt:* Quomodo Eumenem *humare* et deinde ejus *ossa* in Cappadociam *deportare* potuerunt? Hinc nonnulli pro *humaverunt* leg. *cremaverunt:* alii *humaverunt* explicarunt per *cremaverunt*, quia fortasse viderunt, *sepelire* pro *cremare mortuos* dici. At *humare* est non nisi *humo tegere:* docet hoc etymologia et usus priscorum. Credit quidem Cel. Ernesti in clave Cic. h. v. *humare* ap. Nepot. dictum esse pro *cremare*, fretus loco Cic. Legg. II, 22. At Cicero ibi tantum dicit, sua aetate omnes sepultos i. e. crematos (nam *sepelire* est *cremare*) dici *humatos* h. e. humo tectos; quia scilicet ossa post cremationem humo teguntur atque ita humantur. Non vero hinc sequitur, *humare* esse *cremare*. Nam *esse* et *dici* saepe differunt. Sic nos omnem *mortuum* possumus hodie post aliquod tempus vocare *humatum;* quia omnes mortui apud nos humantur: sed propterea *mori* et *humari* non sunt eadem. Verba Ciceronis sunt haec: *et quod nunc communiter in omnibus sepultis tenet* (sic equidem lego pro *penitus*, quod sensu omni hic caret), *ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegeret.* Et semper *humare* a priscis pro *humo tegere* dicitur et a *cremare* distinguitur. Sic Cicero ibid. paulo post: *Nam, priusquam in os injecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis. Injecta gleba tum et illic humatus est et gleba vocatur* etc. Recte igitur leg. *cremaverunt*, nisi forte dicere velis, propinquos Eumenis cineres modo humasse ac deinde ossa in Cappadociam misisse. — Eum. 8 §. 4 *Hoc Antigonus cum comperisset, intelligeretque* etc. pro *intellexisset*que. Quamquam hoc tolerabile. — Hannib. 1 in. *Si verum est — ut populus*

populus romanus etc. durum est τὸ *ut*. Sed sic *ut* post *verisimile est*, Cic. Rosc. Am. 41: Sext, 36: Verr. IIII, 6; post *inusitatum est*, Cic. Manil. 21; post *certum est*, v. c. *nihil esse certius, quam ut* etc. Cic. Att. X, 4 med.; post *accedit*, Cic. Or. I, 8. — Ibid. 6 in. *Hic bellum gessit adversus P. Scipionis filium, quem ipse — fugaverat.* Tò *quem* debet, postulante historia, ad *Scipionis*, non ad *filium*, referri, quod durum est. — Ibid. 13 *Hujus bella gesta* etc. est pleonasmus; et paulo post: *tempus est facere finem* pro *faciendi*. Sic tamen prisci saepius, vid. supra P. II c. 1 sect. 23 n. XV. — Attic. 4 *noli, oro te, inquit Pomponius, adversus eos me velle ducere:* ubi not. *noli velle ducere* pro *noli ducere:* ubi *velle* redundat. Sic tamen saepius, v. c. *nolite velle experiri*, Liv. VII, 40 prope fin.: Cf. Cic. Balb. 28 ante med.: Coel. 32 prope fin.: Philipp. VII, 9 ante med. — Attic. 12 *tantum abfuit a cupiditate pecuniae, ut nulla in re usus sit* etc. pro *uteretur:* sed sic saepius Nepos etc.

c) Neque est scriptor, in quo non ejusmodi vel vitia vel durae locutiones occurrant, v. c. Caes. B. Civ. I, 65 *Quos ubi Afranius procul visos cum Petrejo conspexit* etc., ubi *visos* abesse debebat, licet Heinecc. in fundam. styli I, 1, 20 pro elegantia habeat. Clarkius editor Caesaris, ut hunc de more editorum defendat, explicat ita, ut dicat. hostes prius *procul visos esse*, quam eos *conspexerit* Afranius. Coacte satis et frigide. — Sallust. Cat. 30 §. 3 occurrit *senati decreto* pro *senatus:* Liv. II, 35 *bellum romanum* i. e. *contra Romanos:* sic III, 19 *divina* et *humana scelera* i. e. contra deos etc. — Horatius Epod. 17 Hectorem vocat *homicidam*, cum hic fuerit *virorum interfector* et apud Homer. dicatur ἀνδροκτόνος, quod vertere voluit Horatius. Hectori vero honorificentius erat viros *(Männer, Helden)* vincere ac prosternere, quam homines in universum: hoc est etiam latronum. Curtius duplex *an* usurpat pro *utrum, an:* pro eo Tacitus dixit *sive, an* etc.

Ejusmodi igitur vel vitia vel singularia discipulis indicanda esse manifestum est, nec solum, quando occurrant, sed, etiamsi prisci recte loquantur, tamen saepe dicendum est, alios interdum aliter ac vitiose pro eo loqui: v. c. quando occurrat *sine ulla dubitatione* etc., dixerim usitatius sic dici, quam *sine omni dubitatione* etc. Quando accusat. cum infinitivo post verba sentiendi, cogitandi, significandi et sperandi occurrat, monuerim, alios hodie *quod* hic male

usurpare: it. quando *arcesso*, *vindico*, *deverto einkehren* v. c. in villam, *auctor* etc. occurrat, moneam, male hic alios scribere *accerso*, *vendico*, *diverto*, *author* vel *autor* etc.

At cavendum quoque est, ne, quae vitia non sint, pro vitiis habeamus et venditemus: quod a magistris imperitis interdum fieri solet, v. c. 1) *si aliquis*, *si aliqua res*, recte quoque dicitur pro *si quis*, *si qua:* it. *si qui*, *si quae*, rectum est. Triplici enim hoc modo locuti sunt prisci. Alterum tamen usitatissimum omnium. 2) *fructu*, *luxu*, *casu*, *usu* recte quoque dicitur pro *fructui*, *luxui*, *casui*, *usui* etc. v. c. Cic. ad Div. XIII ep. 71 *magno usu fuisse:* et Planc. ad Cic. in Cic. epp. ad Div. X ep. 24 §. 6 *subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat:* Caes. B. G, VI, 42 *casu locum relinqui* etc. 3) Sallust. Iug. 38 §. 6 *locum hostibus introeundi dedit: eaque Numidae cuncti irrupere.* Hic *eaque* rectum est, intell. *parte:* nec legendum *eoque* scil. *loco.* Sic Caes. B. G. V, 51 *obstructis portis, quod ea* etc., int. *parte.* Sic saepius: it. *qua*, int. *parte*, pro *ubi wo* saepissime occurrit. 4) Varro R. R. III, 16 §. 7 dixit: *his diis* (i. e. Musis) *Heliconem adtribuerunt homines* pro *deabus.* Omninoque terminatio in *abus* v. c. in *equa*, *dea* etc. rarior est, nec fere a priscis usurpatur, nisi, ubi sexum aliter discernere nequeunt: v. c. Cic. Rab. perd. 2 *diis deabusque.* At *duabus filiis*, *asinis* etc., malim fere dicere quam *duabus filiabus* etc. sed et *duabus filiabus* recte dicitur; sic dixit Liv. XXIIII, 26 in. 5) *cadere humi* recte dicitur pro *humum*, licet motum, non quietem, indicet: sic *ponere in terra* recte dicitur etc. Haec hactenus. — Innumerabilia sunt, quae, cum recta sint, ab imperitis magistris pro vitiis habeantur, atque in discipulorum speciminibus, quae *Exercitia* vulgo dicuntur, corrigantur; cum contra, quae aperte falsa sint, saepissime tolerentur, imo inter elegantias referantur. Hinc illae lacrymae! Hinc fit, ut discipulorum mens in di-

judi-

judicanda latinitate vagetur, nec, quid bonum malumve sit, certo sciat, praesertim si ipsi varios magistros habent, quorum alius id damnat, quod alius laudat. — Huc pertinet, quod priscorum sententias variare aliis verbis conantur: Variare licet in nostris quidem: at non semper in alienis, praesertim si haec tam accurate sint efficta, ut aliam formam non desiderent.

B) *Deinde accedere debet domestica lectio*, h. e. tum repetitio crebra lectionis in scholis institutae tum lectio aliorum librorum in scholis non tractatorum, ut discipulus ipse discat periculum facere scientiae suae, et, quae desint, suppleat. Neque enim in scholis omnes scriptores, imo ne Cicero quidem totus perlegi potest. Haec igitur domestica lectio debet aeque accurata esse, h. e. eodem modo institui, quo scholastica praeeunte magistro bono fuit. Ac solet quoque accurata esse, si bonum magistrum nactus es. Nam, qui bene coepit, bene pergit. — Ut autem ista eo felicior fiat, utendum est bonis veterum scriptorum editionibus cura *Criticorum* et *Philologorum* bonorum factis. Bonarum editionum duplex esse solet genus. Alterum pertinet ad textus integritatem, quod *criticum* vulgo dici solet: alterum ad explicationes locorum difficiliorum, quod *philologicum* dici possit. *Critica* editio est, in qua auctor codicibus bonis aut paucis aut, quod melius est, multis ac simul editionibus antiquis vel ipse vel, si haec inspectio non ei contigit, lectionibus inde per alios fide dignos viros excerptis usus est, atque vel has lectiones tantummodo recenset, judicio de iis non addito, vel, quod melius est, de iis simul judicat, atque harum ope aut lectionem vulgatam stabilit aut aliam, eamque certiorem et meliorem, in textum recipit, causis justis ubique indicatis. *Philologica* editio est, ubi difficiles loci e contextu, historia, antiquitatibus etc. explicantur, explicatioque usu loquendi, ubi opus, confirmatur, ac simul, quid in singulis locis pulchrum, grave, languidum

dum etc. sit, indicatur. — *Critica* editio, praesertim ubi judicium additur, semper est bona, licet explicationibus careat: atque adeo eae sunt bonae editiones, quae ad ejus exemplar confectae sunt: et talibus contenti possunt tirones esse, magistrum bonum audientes. Nec sine *critica* potest *philologica* multum utilitatis adferre, quia lector semper dubius est, an verba, quae legit et explicat, e Codd. ducta et a manu scriptoris ipsius profecta sint. At si utraque, et *critica* et *philologica*, conjungitur, eo melior est adolescentibusque, qui ejus ope crescere cognitione cupiunt, utilior. Non enim iis sufficit, videre locum recte constitutum, sed cupiunt etiam illum intelligere. Notae *philologicae* conjunctae cum *criticis* sunt instar magistri, et ex illis non minus quam per hunc doctus fieri adolescens potest.

Aliquot *bonas editiones* scriptorum nominabo ex eo ordine, quo ipsi legi soleant. Consuli hic possunt *Fabricii* biblioth. lat.; it. Clar. *Harlesii* Introductio in ling. lat. etc.

1) *Nepotis*, non a pueris solis, sed etiam ab adolescentibus, imo viris ob historiam legendi editiones bonas habemus: *Bosii*, qui, praeter notas, copiosum indicem adjecit: in primis *Augustini van Staveren*, quae est cum notis variorum suisque, it. *Heusingeri*: nec contemnenda est *Cellariana*, quae saepe repetita est. Bona etiam est editio Cl. *Harlesii*, 1774, quam notis *Augustini van Staveren* suisque instruxit: it. Clar. *Tzschuckii*.

2) *Cicero* varie est editus.

a) *Epistolas* ad *diversos* seu, ut alii loquuntur, *ad familiares* edidit *Graevius* cum suis et aliorum notis, at paucis, v. c. *I. F. Gronovii*; et adjecit commentarium *Pauli Manutii* utilissimum sane: it. *Cellarius* cum notis, ut solet, brevibus, ad geographiam, historiam, et latinitatem pertinentibus: rei criticae non valde rationem ipse habet, sed nititur fere editione et judicio Graevii. *Cellarianam* repetit *Gottl. Kortte*, suisque notis criticis et philologicis auxit: sed in his persaepe explicat res facillimas et tralatitias, omittit difficillimas, interdum defendit vulgatam valde contorte et coacte, usus in hanc rem interdum locis poetarum omnis generis et scriptorum posteriorum saepe non

non textui Ciceronis similibus, ac Graevii lectiones labefactare studet, sed et hic et omnino in explicatione non valde felix fuit. Et tamen haec editio *Cellario-Kortiana* saepe recusa est, quia parabilis est, nec forsitan iisdem sumtibus melior comparari potest. Edidere postea b. *Strothius* alique. Ceterum hae epistolae in primis legi merentur.

b) *Epistolae ad Atticum* editae ab *Graevio*. At hae epistolae sunt saepe intellectu difficiles ob res, quas continent: saepe ad ea respicitur, quae nobis ignota sunt.

c) Libri de *officiis*, de *senectute* et de *amicitia*, ejusdem *Graevii* cura editi sunt: it. a *Pearcio*, Anglo: inprimis libri de *officiis* a b. Iac. Frid. Heusingero cum suis suique patrui animadversionibus Brunsv. 1783 8 maj.; quae editio ob summam diligentiam in contextu tum constituendo tum explicando adhibitam superioribus omnibus melior haberi mea sententia videtur.

d) *Orationes* edidit *Graevius* cum egregiis notis variorum eruditorum. Selectas quasdam, v. c. pro *Roscio* Am., pro lege *Manil.*, pro *Milone* etc. nonnulli edidere; ut *Cellarius*, *Heumannus*, et doctiss. *Otto* 1777.

e) Libros de *oratore* edidit *Pearce*.

f) Libros de *inventione* una cum libris incerti Auct. ad *Herennium* edidit *Burmannus* secundus 1761.

g) *Quaestiones academicas*, libros de *finibus* bonorum et malorum, quaestiones *Tusculanas*, libros de *natura deorum*, de *divinatione* et *Fato*, edidit *Davisius*, Anglus. *Quaestiones Tuscul.* separatim prodierunt e recens. Clar. *Wolfii*, Prof. Hal., 1792, ubi textus aliter est constitutus atque in ceteris editionibus. Libros de *divinatione* vernacule vertit Clar. I. I. *Hottingerus*, qui postea criticam eorum editionem dedit. Libros de *nat. deorum* edidit Clar. *Kindervater* et luculentis animadversionibus illustravit.

h) *Opera omnia* edidere Iac. *Gronovius* (quam editionem bis repetiit *Ernesti*, una cum varietate lectionis Graevianae et Davisianae et indice), *Verburgius* 1724 et *Olivetus* 1740; recentissima editio est *Ernestii* cum notis ipsius, quae Halis Saxonum 1773 — 1776 cum Clave prodiit octonis, constans IIII Volum. praeter Clavem.

Addi hic meretur *Gesneri* Chrestomathia Ciceroniana, liber utilissimus et saepe editus: et *Nizolii* Lexicon Ciceronianum, auctum a *Facciolato*; it. *Corradi* Quaestura.

3) *Iul. Caesar* scripsit libros VII de bello gallico et tres de bello civili: ceteri sunt ab alio. Editiones sunt *Davisii*, *Clar.*

Clarkii, Oudendorpii, qui Davisii, Clarkii, et Dion. Vossii notas addidit. Nec contemnenda est *Cellariana*, brevibus notulis et mappis geographicis instructa, sed ad criticum usum, ut omnes Cellarianae, parum utilis. Nuper *Sam. Fr. Nathan. Morus*, Prof. Lipsi., sed praematura morte cum omnium dolore vivis ereptus Caesarem edidit e recens. Oudendorp. quidem, sed cum ipsius notis utilissimis, Lipsi. 1780, 8.

4) *Livium*, e cujus 140 libris priores decem, deinde ab 21 ad 45, superstites habemus (omissos supplevit Freinshemius), edidere in primis 1) I. Fr. *Gronovius* 2) Iac. *Gronovius* filius, qui patris editionem repetiit et suis notis auxit: repetita ea est Basileae 1740. 3) *Doujatius* in usum Delphini cum notis et supplementis Freinshemianis. 4) *Clericus* cum pauculis notis, itemque supplementis modo dictis: quam editionem, omissis his supplementis, repetiit *Gesnerus*. 5) *Creverius* cum notis et supplementis. 6) praestantissima et copiosissima est *Arn. Drakenborchii*, Tomis VII constans, quaternis: in qua praeter suas congessit priorum editorum et aliorum notas: in quibus, praeter Sigonium et Gronovium utrumque, Perizonii et Dukeri animadversiones sunt sane egregiae et acutissimae: adjectis quoque supplementis Freinshemianis. Haec editio, quia ob magnum pretium non ab omnibus cupientibus emi potest, repetita est, omissis tamen et notis et supplementis, a Cl. *Aug. Wilh. Ernestio*, Prof. Lipsi., qui tamen ad damnum illud quodam modo resarciendum adjecit Glossarium. Sed utinam possit aliquis notas Gronovii utriusque, Perizonii, Dukeri, Drakenborchii in compendium redigere, ut possint pluribus prodesse! 6) *Strothius*, Rect. Gothanus doctissimus coepit Livium per partes edere, suisque egregiis animadversionibus illustrare, sed totum Livium absolvere ob praematuram mortem non potuit.

5) *Sallustii* editiones habemus a) *Wassianam*, quam repetiit *Haverkampius*; b) *Cortianam*, in qua *Kortte* more suo saepe nimis praeter rem copiosus est: c) *Tellerianam*. Auct. est celeberr. ille W. Abr. *Tellerus*, Antistes Berolinensis, cujus merita in remp. literariam nemo est quin sciat.

6) *Varronis* libros de re rustica, suavissimos sane, edidit *Gesnerus* una cum scriptoribus rei rusticae, Catone, Columella, Palladio: quae editio postea cura *Ernestii* repetita est, tandemque ante paucos annos Cl. *Schneiderus*, Prof. Francof. istos libros suis superiorumque interpretum commentariis illustratos edidit 1794, 8 Lipsi. ap. Fritsch.

7) *Terentius* et *Plautus*, licet ante istam aetatem vixerint, tamen ad eam quodam modo pertinent, in primis *Terentius*

rentius creberrime legi meretur, ob praeclaras sententias et ob latinitatem. Terentium edidit a) *Lindenbrogius* cum notis haud satis multis b) *Bentlejus;* quae est critica editio. c) *Westerhovius:* qui animadversionibus suis, additis Donati et Calpurnii scholiis, illustrare studuit: d) Clar. *Schmiederus*, Rect. Gymn. Hal. At hae editiones adolescenti non sufficiunt ad Terentium recte intelligendum. Hinc versio *Daceriae* francogallica valde commendanda est: itemque versio vernacula Clar. *Schmiederi.* Qui Terentium edere vult, debet esse rei dramaticae peritissimus. — *Plauti* editionem habemus *Taubmannianam*, et in primis *Gronovianam.* Sed neutra sufficit ad intelligendum Plautum. Utinam aliquis eruditorum accuratiorem ejus editionem nobis donet: Plautus bonus quidem id mereatur.

8) *Virgilium* edidere a) *de la Cerda*, Hispanus, cum egregio doctissimoque commentario. b) *Emmenessius* cum notis. c) *Taubmannus* cum notis e Servio vel aliunde petitis, nec satis subtilibus: congerit multa, nec ipse judicat. d) *Ruaeus* in usum Delphini cum bonis animadversionibus. e) recentissima est Cel. *Heynii:* et multis de causis praeclarissima, praesertim edit. secunda. Legi etiam merentur duae versiones Georgicorum Virgilii a) *Martynii*, Britanni, quae in linguam theodiscam translata est 1759: b) in primis *Io. Henr. Vossii*, poetae satis noti, quae prodiit 1789.

9) *Ovidii* editio optima adhuc est *Burmanniana*, in qua sunt *Heinsii* notae: *Heinsianam* repetiit Clar. *Fischerus*, Lipsi. 1758. Edidit etiam Ovidium I. P. *Millerus*, Rect. Ulm. sine notis, subjecto tamen Glossario, in qua mythologia et interdum latinitas difficilior explicatur. Ad totum Ovidium accurate edendum vix quisquam accedet, quia est longissimus liber: quotus quisque est, cui tempus suppetat ad illum saepius legendum: et tale quid postulatur ab eo, qui istum librum tam magnum edere cupit. Minores libri, v. c. Anacreon etc., facilius leguntur, intelliguntur, eduntur et venduntur. Libros *Tristium* et *ex Ponto* separatim cum notis edidit Clar. *Harlesius* 1772. Libros *Metamorphoseon* cum notis edidit Clar. *Gierig.* Libros *Fastorum* olim docte illustravit *Neapolis;* quae editio paulo rarior est. In primis legendi sunt libri *Metamorphoseon*, itemque libri *Tristium*, ex *Ponto*, *Fastorum*, et *Epistolae Heroidum.*

10) *Horatii*, qui *odas*, librum *Epodon*, libros *satirarum* s. *sermonum*, et *Epistolarum*, ac libellum de *arte poetica* s. *Epistolam* ad *Pisones* scripsit, editiones bonae sunt a) *Baxteriana*, a *Gesnero* praeclaris adnotationibus locupletata. b)

Bent-

Bentlejana c) *Torrentiana* etc. Edere etiam Horatium coepit Clar. *Iani*, Rect. Isleb., nuper mortuus, qui tamen nonnisi libros IIII odarum edidit, has latissimo commentario illustravit. Memorandae hic quoque sunt versiones theodiscae *Satirarum* et *Epistolarum* Horatii a *Wielando*, poeta nobili profectae.

11) *Tibullus* et *Propertius*, quorum uterque scripsit elegias, editi sunt a *Passeratio* et *Broukhusio*: in primis *Tibullum* praeclaris notis illustravit Cel. *Heynius*; ac *Propertium Fr. G. Barthius*, Rect. Portensis, nuper mortuus, Lips. 1777. Cum *Tibullo* et *Propertio* vulgo conjungi solet *Catullus*, quem separatim doctis notis illustravit Isaac *Vossius*; itemque Clar. *Doering*, Rect. Gymnasii Gothani, 1788.

12) Nec *Lucretius* negligendus: quamquam hodie non a multis legitur: edidit eum *Creechius*, Anglus: it. *Lambinus*.

13) *Quintiliani institutiones oratorias* omnes studiosi latinitatis legere debent: edidit eas *Gesnerus*, cum notis non nimis multis, et *Burmannus* una cum *declamationibus* Quintiliani nomen vulgo gerentibus.

14) *Phaedri* fabulae in primis lectioni adolescentum commendandae: ediderunt eas a) Tan. *Faber* b) *Scheffe-rus*, cujus notae tirones egregie docent propriam vim vocabulorum, c) ditissima ac notissima est *Burmanni*, quae duplex est, una octonis cum notis *Fabri*, *Schefferi*, *Heinsii*, *Gudii* etc., altera quaternis cum perpetuo Burmanni commentario.

15) *Suetonius* in primis quidem prodest ad historiam, sed etiam ad latinitatem. Edidere illum v. c. *Casaubonus*, *Graevius*, *Ernesti*, et inprimis *Oudendorpius*, cujus editio omnium optima est.

16) *Plinii Epistolae* et *Panegyricus*. Edidit epistolas simul cum *Longolio**) *Kortte*, et deinde cum Panegyrico *Gesnerus*, quam editionem paulo auctiorem repetiit Clar. A. W. *Ernesti*. Nec contemnenda est editio *Cellariana*. *Plinii* Panegyricum separatim cum notis variorum *Arntzenius* edidit 1738 et postea *Schwarzius* Altorfinus, philologus notissimus, 1746.

17) *Gellius* scripsit *noctes Atticas*, opus studioso latinitatis legendum. Edidit a) *Gronovius* cum notis, quam editionem *Conradi* repetiit Lipsiae, b) *Longolius*, sine notis, at cum indice bono.

18) *Cur-*

*) Proprie *Longolius*, quia *Kortte* jam vita excesserat, edidit 1734, quaternis, cum selectis notis superiorum interpretum.

18) *Curtii* editio optima est *Snakenburgii*. — Haec hactenus. Non omnes scriptores nec omnes editiones hic memorare adtinebat. Qui latiorem hujus rei cognitionem nanciscì cupit, adeat v. c. Fabricii biblioth. lat. auctam per Cel. *Ernestii*, item Clar. *Harlesii* introduct. in linguam latinam.

Ceterum, qui scriptores priscos notis virorum doctorum instructos legere cupit, is notet haec:

1) ne statim notas in loco difficili inspiciat; sed prius locum accurate et ex omnibus partibus contempletur, videatque, an suis ipsius viribus adjutus eum explicare possit. Ubi sensum nullo modo ad extremum extorquere potest, tum demum notas adeat: quae sic magis proderunt, quam statim consultae. Interdum tali modo videbit, ubi ipse haereat, ibi haerere quoque editores, et hos saepe nihil in difficillimo loco monuisse, quia facilis iis visus est. Etiam suavius est, sensu sua sponte reperto, interpretes consuluisse, ut videamus, utrum eorum explicatio, si qua addita est, nostrae explicationi similis sit nec ne. Haec est via ad subtilem linguae rerumque cognitionem. Qui mature id agunt, ut, simul locum non intelligunt, statim interpretes consulant, hi nunquam recte explicare scriptorem discent; hi per omnem vitam auctoritate aliorum nitentur, et non nisi citationibus doctorum res explicabunt, quia ipsi cogitare nesciunt.

2) Alia subsidia conjungere debet, v. c.

a) *bonum Lexicon*. Hic non nisi *Thesaurus Gesnerianus* vel *Faber Gesnerianus* vel *Lexicon Forcellini* memorari meretur. Iam multorum tironum paupertatem tantam esse scio, ut non facile unum horum Lexicorum sibi emere queant. Sed, cum ista Lexica non ubique satis accurate scripta sint, ac praeterea care vendantur, ego ipse, postquam ante aliquot annos Lexicon minus ad formam libri memorialis *Cellariani* edideram, 1783 Lexicon edidi majus, quod inscribitur: *Ausführliches und möglichst vollständiges lateinischdeutsches und deutschlateinisches Lexicon* cet., in quo pro viribus curavi, ut omnes vocabulorum significationes accurate et ordine justo traditae reperirentur, et simul pretium libri tale esset, ut et a pauperibus emi posset, quod postea longe auctius et emendatius prodiit 1788; ac, si quando denuo edendum sit, longe auctius emendatiusque prodibit. Sed ut pauperibus eo magis consuleretur illud in Compendium redegi, quod Compendium inscripsi *Lateinischdeutsches und deutschlateinisches Handlexicon*

lexicon etc. — Huc pertinet etiam magni Ernesti *clavis Ciceroniana* multa praeclara continens, *Horatii Tursellini liber* de *particulis* egregius, auctus per Schwarzium et postea per Ernestium, *Noltenii Lexicon Antibarbarum*, aliique minores libelli de lingua latina, ut *Goclenii*, *Hadriani Cardinalis*, *Gisanii observationes in linguam latinam* etc. In primis legenda est ei, qui accuratam tenere cupit linguae latinae cognitionem, *Sanctii Minerva*, egregiis magni Perizonii animadversionibus aucta (inde ab anno 1714). E quibus animadversionibus quantum discì possit, vix dici potest. Nam, si quis eruditorum linguam, ut graecam, ita latinam accurate intellexit, is fuit praecipue *Iac. Perizonius*. Ubique judicium ejus est subtile, causis nixum, sanum et veritatis amans. Equidem, quidquid fere boni habet vel *Sanctius* vel *Perizonius*, inserui *Grammaticae* meae latinae.

b) libellos quoque eruditorum, in quibus multa scriptorum veterum loca explicantur, illustrantur, vindicantur, emendantur: v. c. *Gronovii observationes*, *Cuperi observationes*, *Bosii animadversiones in scriptores nonnullos*, *Victorii*, *Mureti*, *Canteri*, *Rutgersii* cet. *varias Lectiones*, inprimis *Observationes Miscell.*, quae Burmanni et Dorvillii cura prodierunt, cet.

c) *cognitionem historiae* ac *geographiae priscae*. Nam sine ea multa loca intelligi non possunt. — Huc pertinent opiniones priscorum philosophorum: quarum scientia saepe locum priscorum difficilem aperit.

d) *cognitionem antiquitatum*, *mythologiae* etc. Hinc legendi sunt mature libri huc ducentes: v. c. *Nieuporti succincta rituum romanorum* explicatio initio sufficerit. Post legendi sunt v. c. *Lipsius* de *militia romana*, *Sigonius* de *antiquo jure civium* etc. It. in Lexicis supra memoratis, v. c. *Lexico Fabri Gesneriano* itemque meo, multae antiquitates explicatae sunt breviter. In primis legendus est *Livius*, e quo solo fere antiquitatum romanarum certa cognitio peti debet, ita ut, qui primam decadem non legerit, parum illarum peritus reperiatur. — In Mythologia v. c. *Natalis Comes* quandam operam praestat: sed tamen melius est Ovidii Metamorphosin it. libros Fastorum legisse, itemque poetas alios, praesertim Graecos, ut *Homerum*, *Hesiodum* etc. Etiam prosaici scriptores prosunt, v. c. Cicero etc. Nam certius discuntur, quae ex ipsis fontibus hauriuntur. In nulla re fere scriptores recentiores tam incerti sunt, quam in tradenda mythologia et antiquitate.

Prae-

Praeterea valde prodest legere *Hyginum* et *Apollodorum*, nec non nonnullos recentiores.

e) *cognitionem linguae graecae:* sine ea nunquam cognitio linguae latinae accurata comparari potest. E lingua graeca facta est latina maximam partem, et scriptores latini innumerabilia graeca vocabula, graecas phrases, constructiones, connexiones etc. transtulerunt in linguam suam. Legatur v. c. *Vechneri hellenolexia*, per Heusingerum aucta, quae illud satis superque docet. Omninoque hic liber egregie prodest iis, qui de lingua latina accurate judicare cupiunt.

f) *notitiam multarum rerum, multarum artium*, v. c. agriculturae, rei hortensis, artis pictoriae etc. Nam non modo innumerabiles similitudines et descriptiones inde sumtae sunt, quas homo artium ipsarum plane rudis intelligere non potest, sed etiam innumerabilia vocabula ex istis artibus petita et in vulgarem sermonem translata sunt; quemadmodum idem in vernacula millies contingit. Et quis, quaeso, scriptores rei rusticae, in primis Catonem, Varrorem, et Columellam, legere sine ulla rei rusticae notitia audet? Et hos libros, maxime Varronis et Columellae, ob suavitatem, latinitatem, aliamque utilitatem legendos esse, quis dubitat? *Pontedera*, *Schöttgenius*, et *Gesnerus* inprimisque Clar. *Schneiderus*, Prof. Francof., quem magna scimus historiae naturalis scientia instructum esse, quomodo multa illorum loca tam praeclare explicare et illustrare potuissent sine rei rusticae et hortensis scientia? Nam hic non res huc redit, ut sis latinae linguae peritus, sed ut sis ipsarum rerum peritus, ut sis rusticus, olitor etc. Non lingua latina per se me docet, an Varro, an Columella recte de olitore vel vinitore dixerit: sed ipse debeo esse olitor vel vinitor. Ac, si quando vir oriatur, qui, praeter accuratam linguae latinae criticamque scientiam, rerum ab scriptoribus rei rusticae traditarum peritior Schöttgenio, Gesnero etc., in primis usu ipso diuturnaque earum exercitatione subactus sit, nonne credendum est, eum multa loca ac verba, quorum sensus nondum satis explicari potuit, explicaturum recte esse? Sic, qui Artis medendi earumque rerum, quae ad illam pertinent, plane imperitus est, is, licet accuratissima linguae latinae notitia instructus sibi videatur, tamen multa loca, in quibus istarum rerum aliquid occurrit, explicare non poterit. Nam unde, quaeso, fit, ut multa loca priscorum vel plane non vel non satis intelligamus? Nonne in primis inde, quod multae res,

priscis

priscis notae, nobis hodie ignotae sunt? Res est manifesta. Nam v. c. nos magnam partem priscorum rituum non intelligere neminem fugit, qui priscos ipse diligenter legit: nam, qui istorum rituum notitiam non nisi e Compendiis hauserit, eum plerumque credere, se eorum scientia perfecta instructum esse, minime mirum est. — Errant igitur, qui omnem rerum cognitionem e priscorum lectione petendam esse putant. Multae res inde disci possunt: fateor; sed non omnes. Iam nostrae artes plurimae, licet hodie aliam fere formam induerint ac priscorum aetate habuerant, v. c. ars medendi etc., tamen non plane aliae factae sunt; atque ita saepissime notitia earum prodest ad loca multa, in quibus istae artes tractantur vel ad eas respicitur, recte intelligenda.

SECT. II

De exercitatione in latine scribendo, loquendo, et meditando s. *cogitando.*

Haec tria conjungi debent, si res procedere bene debet.

I) *Exercitatio in latine scribendo:* quae prima post interpretationem priscorum rite institutam esse solet ac debet, si quidem velis deinde accurate scribere et loqui. In loquendo saepe lingua praecurrit mentem, atque haec non semper animadvertit, si quid vitii illa commisit. In scribendo vero adjuvant simul *oculi:* quibus adjuta mens facilius vitia sentit. Deinde etiam propterea a scribendo incipere solent pueri, quia magister vitia sic facilius corrigere potest; ut taceam, nobis crebriorem occasionem esse latine scribendi quam loquendi: quod secus est in vernacula aliisve linguis, quibus in vulgari sermone uti volumus: id quod non cadit in latinam. Qui, decepti fortasse similitudine vernaculae vel franco-gallicae, pueros volunt a prima inde aetate sibi latinitatem comparare *usu* h. e. *colloquendo*, vel de urbe, in qua omnes latine loquantur condenda somniant, ii, ut ipsi non sermonis bene latini videntur periti esse, sic non cogitant, in tali urbe non bene latine dictum iri. Docet

cet hoc quotidiana experientia de vernacula lingua: qua etsi nostri pueri perpetuo et audiunt alios homines loquentes et ipsi confabulantur, tamen, quam exigua sit eorum scientia linguae vernaculae multos per annos, quis nescit? Imo plerique homines, maxime de plebe, etsi per omnem aetatem lingua vernacula vel ipsi locuti sunt vel alios loqui audiverunt, tamen ne in senectute quidem saepissime eam recte intelligunt, h. e. nesciunt, quomodo de singulis rebus perspicue et accurate loquantur, nesciunt vocabula propria rerum etc. Atque adeo plerumque tam confuse de rebus plerisque loquuntur, ut, nisi saepius eos de rebus singulis interroges, vix mentem eorum percipias. Nam, quod de paucis iisque vulgaribus rebus, de quibus millies locuti sunt vel alios audiverunt loquentes, quodam modo perspicue loqui possunt, hoc non eorum magnam scientiam linguae indicat. Loquuntur quidem celeriter et audacter de omnibus rebus. Quis vero celeritatem loquendi et audaciam pro re laudabili et pro signo cognitionis linguae habeat? Scribere igitur recte latine discamus ante, quam recte latine dicere velimus.

Duplex est haec exercitatio in latine scribendo 1) *scholastica* 2) *domestica*. — Utraque et recta esse et conjungi debet. *Recta* est, si non tantum vocabula Ciceronis adhibere, sed in primis ejus rationem connectendi, copiam dicendi, periodicam numerosamque verborum compositionem, omninoque ejus totum habitum h. e. perspicuitatem, gravitatem, suavitatemque dicendi imitari studes. Hoc enim est *imitari*. Stulti sunt, qui, si pueros jubent vocabula v. c. Nepotis, Ciceronis, usurpare, hoc vocant *imitari Nepotem*, *Ciceronem*. Ceterum

1) in *scholastica exercitatione* qua methodo utendum sit magistro, hujus judicio relinquendum est. Nam, si linguae latinae vere peritus est, h. e. scriptores optimos quosque in primis Ciceronem accurate legit et intellexit, ejusque scribendi rationem sibi familiarem reddidit, ei praecepta hic dare arrogantis foret. Is enim ipse varia via ducet discipulos ad Ciceronis elegantiam scribendi, quemadmodum is, qui

millies in urbe aliqua fuit ejusque regionem plane cognitam habet, alios facile variisque viis eo ducere potest. Contra, qui Ciceronem non ipse intelligit, neque ita ejus scribendi rationem satis novit, quomodo is alios eam docebit? Hic coecus coecum ducet.

Duplex autem in scholis solet esse *genus exercitationis* latine scribendi.

Unum genus est, cum dictatur a magistro aliquid vernacule, quod adolescentes latine vertant vel statim inter dictandum vel domi. Utrumque bene; modo sint discipuli illi labori pares h. e. tales, ut Ciceroniani styli indolem tum e praeceptis rite traditis tum maxime e lectione Ciceronis adsidua accurataque jam calleant. Nam, etsi in subita versione, quam *extemporalem* vocant, a magistro perito adjuvari possunt, hic tamen non omnia dicere potest. In versione domestica, nisi sint bonae latinitatis satis periti, eo pejus scribunt, quo plus temporis ad meditandum habent. Hinc solent omni artificio, plerumque loco alieno, uti. Et correctio magistri, nisi accurata est, h. e. talis, ut singula vitia, etiam minima, ostendantur adjectis ubique causis, parum prodest. At hoc in magno coetu fieri nequit, praesertim si magister domi corrigit nec coram discipulis: hi enim saepe non legunt correctiones, nec intelligunt etc. Quare, nisi magistro plane persuasum est, discipulos latine satis scire (nam ista themata domi vertenda, quae *exercitia* vulgo vocantur, dictantur proprie non tam *discendi*, unde tironibus imperitis tale quid dictari non potest, quam *exercendi* gratia: hinc vocantur quoque *exercitia* h. e. per quae discipulus exerceatur in iis, quae didicit), suaserim potius, ut magister, si tale thema latine vertendum dictaverit, id statim coram se a discipulis explicari vertique jubeat, ita, ut singuli praelegant sententiam absolutam et vertant, nec tamen chartae mandent; ubi monere potest, cur hoc vel illud vocabulum eligere debeant, cur aptius sit aliud alio, annon aliquod aptius eligere aut sententiam aliter exprimere possint; aliaque multa, quae ad connexionem membrorum, v. c. per pronomen *qui*, per duplex *et* etc., it. ad periodicam numerosamque orationis structuram pertinent, si discipuli nondum sciunt, subjicere potest. Haec ratio est valde utilis, quia sic non modo mature virtutes bonae latinitatis suggeri, sed etiam vitia simul caveri possunt. Vitia corrigere etsi, ut in omnibus rebus, ita in latinitate, non inutile est, tamen multo utilius est efficere ac praestare, ne vitia committantur. *In teneris consuescere multum est.* Ista ratio inde a pueritia incipienda et tamdiu persequenda est, donec discipulus

pulus se ipse ubique juvare et domi quidlibet vernaculi apte vertere queat. Sed, ut diximus, omnia hic nituntur peritia fidelis magistri: et hic intra unius anni spatium plus efficere valet, quam imperitus intra octo: imo hic nunquam discipulos bene latine scribere docebit, quia ipse nescit. Ac profecto, si, quicunque latine scribere alios docerent et priscos iis explicarent, satis rei periti essent, perfecta linguae latinae cognitio annis duobus aut summum tribus acquiri posset. Nunc ea discitur sex, septem, octo et plures annos, et tamen tandem non addiscitur h. e. discipuli non facile audent aliquid latine scribere, quod in vulgus exire possit.

Alterum genus est, cum magister peritus, alius enim nec potest nec solet id facere, *thema* s. *argumentum orationis*, *narrationis*, *epistolae* etc. latinum discipulis proponit, quod hi, postquam in schola satis explicatum est, eadem lingua latius diffundant, illustrent et elaborent. Haec ratio est egregia: sic enim discipuli ipsi cogitare, ac simul latine cogitare, discunt, nec theodisca lingua, suam formam dicendi libenter suggerente, impediuntur, quo minus verba ac sententias vere latine componere, connectere etc., possint. — *Epistola* ista esse debet *vera*. Iubendi sunt discipuli v. c. epistolam gratulatoriam ad hominem verum, quem ipsi satis norunt, scribere de re vera, v. c. de nuptiis, de honoris accessione etc. Epistolae fictae nihil prosunt: nam in epistolis judicandis, utrum apte scriptae sint necne, magni refert, rem et personam, ad quam scribitur, nosse. Hujus utriusque ratio habenda est. In epistolis, quarum argumentum fictum est, et quae ad homines fictos scribuntur, nullam regulam habet discipulus, ad quam suum ingenium accommodet. Imo scribit, quidquid ei in mentem venit h. e. quidquid placet. — Sic se res quoque habet cum *narratione*. Proponitur discipulis factum aliquod, quod in Livio, Cicerone, vel alibi legerunt, aut aliunde constat certumque est. Hujus facti particulas jubentur justo ex ordine conjungere, factumque ipsum dilucide ac simul, ubi opus, causis, similitudinibus, sententiisque adjectis enarrare. — In *oratione* elaboranda dictatur *thema*. Hic videndum est, an id intelligant; deinde adsuefaciendi sunt argumentis, exemplis, testimoniis, similitudinibus sponte sua inveniendis, adjuvante tamen sensim magistro: tum domi totam orationem elaborant. Haec ratio est optima: quia sic mens acuitur et colitur: at linguae peritiam non levem postulat. Ergo 1) non prius hoc tentandum, quam vires discipulorum patiantur: ubi tamen non negandum, magistrum peritum, adsiduum et fidelem istas discipulorum vi-

res, licet sint tenues, intra breve tempus alere et augere egregie posse, omninoque, quidquid velit, cito incipere ac feliciter celerrimeque ad exitum perducere valere, cum contra alii magistri id nullo modo fieri posse fortasse putent. 2) Antea tamen ratio prior, e vernacula in latinam linguam aliquid transferendi, aliquamdiu exercenda, atque etiam postea conservanda. — Sunt, qui plane nihil vernaculi latine verti, sed statim latine scribi jubeant. Expeditius utique et facilius est iis, qui linguam latinam callent, statim latine scribere, quam contextum theodiscum latine vertere. At etiam hoc opus est. Quid si enim jubeare a principe civitatis quodam vel rege aliquando v. c. orationem vernaculam vel librum celeberrimi viri cujusdam latine vertere? quomodo hoc perficere possis? Iis enim Philologis, qui non nisi latine scribi jubent, plerumque accidit, ut, licet egregie latine scribant, tamen e vernacula in latinum sermonem nihil apte transferre queant. Deinde certum est, si quis, adjuvante perito magistro, e lingua vernacula in latinam diligenter et crebro transfert, eum utriusque linguae fieri simul peritissimum, discrimenque, inter utramque intercedens, penitus perspicere, atque ita linguae latinae indolem longe melius et certius callere, quam alios, qui non nisi latine scribendo, sine interventu vernaculae, operam dederint, quos praeterea videmus, ut latinae linguae peritissimos, ita vernaculae imperitissimos esse: quae res turpitudine quadam non caret. Utramque igitur rationem, et crebro latine scribendi, sine interventu theodisci sermonis, et e vernacula in latinam multa transferendi, in scholis usurpandam censeo. Sed, ut diximus, sine magistro perito ac fideli ista omnia frustra sunt. — Ceterum in latine scribendo non modo vocabulorum latinorum sed et periodicae numerosaeque eorum structurae, omninoque eloquentiae, habendam esse rationem, e supra dictis luculenter adparet.

2) *Domestica exercitatio in latine scribendo* eadem esse debet, quae scholastica h. e. modo aliquid latine vertendum, modo latine statim scribendum est, sed semper habita ratione non modo vocabulorum et phrasium sed etiam connexionis, periodicae numerosaeque structurae, omninoque eorum omnium, quae ad perspicuitatem, gravitatem, ac suavitatem dicendi, uno verbo ad eloquentiam pertinent. Nam sine eloquentia nemo bene scribit aut dicit. Deinde ista exercitatio debet esse adsidua. Semper aliquid scribendum, v. c. narratio aliqua vel epistola ad commilitonem vel aliud quid. Exercitatio enim sola, post institutionem rite factam, reddit nos rei peritos: ipsa est magistra. Hinc recte Cicero monet, a

stylo

stylo i. e. exercitatione ne transversum quidem unguem recedendum esse: *Stylus*, ut idem nomine Crassi ait Orat. I, 33, *est optimus et praestantissimus dicendi* (it. *scribendi*) *effector ac magister*. In primis utilis est haec ratio, quando aliquem Ciceronis locum praeclarum accurate perlegimus, saepius repetimus, ac statim aliquid ad ejus similitudinem scribimus. Facilius enim est aliquem tum imitari, cum ejus forma et habitus totus nostrae menti adhuc praesens est, nosque ejus singulas particulas adhuc tenemus etc., quam post aliquod tempus. Hinc frequens lectio Ciceronis et priscorum cum ista imitatione conjungi debet, ut forma styli latini saepius occurrat etc. Add. quae infra n. III de latine cogitando dicentur.

II) *Exercitatio in latine loquendo.* Equidem scio, permultos, licet in scholis se nunquam in latine dicendo exercuissent, tamen, quia in latine scribendo se egregie exercuerant, postea, ubi res postulaverat, bene et celeriter latine locutos esse: tamen, quia, quod nunquam fecimus, hoc nobis fere timoris nescio quid incutere solet, nosque id, quod primum facere jubemur vel cogimur, cum timore facere plerumque solemus, commendanda adolescentibus utique est illa dicendi exercitatio, ut, si forte aliquando in *academicis disputationibus*, quae latine instituuntur et linguae celeritatem postulant, personam *respondentis*, *opponentis*, vel *praesidis* gerere velint, hic aqua iis non haereat: deinde, ut, si forte eos aliquis latine adloquatur, latine statim respondere possint, neque iis idem contingat, quod accidisse ajunt magnis illis viris, *Sigonio*, *Salmasio*, *Freinshemio*, *Facciolato*, ut, licet egregie latinitatem nossent, tamen latine loqui timerent: quod inde factum puto, quia se pulchre loqui statim non posse videbant, famamque perdere nolebant, vel in dicendo non exercitati erant. His itaque de causis in latine loquendo exercendus est adolescens. Nec vero propterea haec exercitatio instituenda, ut lingua latina eo melius discatur, ut nonnulli perperam opinantur. Nam omnis exercitatio ejusmodi in quaque lingua nihil aliud efficit, quam ut celerius eam

proloquamur, et audaciam quandam, filiam illam diuturnae consuetudinis, adipiscamur. Nec vero hinc major ejus peritia exsistit. Imo, si quis in loquendo exercetur ante, quam firmam linguae certamque notitiam tenet, haec exercitatio facile efficere potest, ut ille multis vitiis sermonis latini sensim adsuefiat; quibus deinde liberari difficile est. Quis enim vim consuetudinis haud novit in utramque partem?

Quaeritur itaque, quando ista exercitatio dicendi incipienda et quomodo? 1) *quando?* haud dubie non ante, quam scribere scias et magnam linguae notitiam tibi comparaveris: quod vel serius vel citius accidere potest, prout vel ingenii vel institutionis ratio tulerit. 2) *quomodo?* a) coram magistro, v. c. in disputationibus, vel in lectionibus, ubi magister interrogat, discipulus respondet. Nam adolescentes inter se latine loqui vix debent, nisi linguam praeclare calleant, quia nemo est, qui eorum vitia corrigat; ac quia nesciunt, de quanam re loquantur. b) ita, ut minorem temporis partem loquendo, majorem scribendo, impendas. Nam, si de hominis scientia latinitatis et de ejus stylo judicamus, non ex ejus colloquiis latinis nec ex loquendo subito, sed ex iis, quae scribit vel cogitate dicit, v. c. oratione solenni, judicare solemus; quia hic plus temporis adhibuit. Ac profecto numerosa et periodica structura, ut alia taceamus, vix potest subito concinnari. Cicero ipse Orat. I, 33 sub persona Crassi *accurate* et *parate dicere* praefert τῷ *subito dicere*. Verba sunt: *Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est, etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere.* Et addit: *Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus, (est enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum scribere. Stylus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister: neque injuria. Nam, si subitam et fortuitam orationem commentatio* (i. e. meditatio) *et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto adsidua ac diligens scriptura superabit.* Quod si Cicero hoc loco *subito dicere* non tantopere commendat, cum tamen ibi de oratore romano agat, qui saepissime subito dicere cogitur: cur nos, qui in istam necessitatem non adducimur, tantopere τὸ *loqui latine* commendemus? Confundunt vulgo linguam cum lingua. Alia ratio est vernaculae, alia latinae vel alius. Vernaculam discimus

mus potissimum *loquendi causa:* alioquin enim vivere cum hominibus nostris non possimus: deinde utimur eadem in scribendo. At latinam discimus potissimum, ut libros illa conscriptos intelligamus, et praeclaras magnorum virorum sententias in nostram mentem derivemus: deinde etiam quodam modo *scribendi causa*, quia haec lingua eruditis in omnibus terris nota est. Eodem consilio Francogallicam discere debebamus; quia vero mos hodie ita fert, ut multi, contemta vernacula, Francogallica in colloquendo utantur, hinc fit, ut multi credant, omnes linguas ad *loquendum* esse discendas.

III) *Exercitatio in latine cogitando et meditando.* Haec est omnium utilissima, maxime necessaria, et tantopere commendanda, ut sine ea duae illae exercitationes parum fere prodesse videantur. Haec ratio valet in omnibus linguis. In quibus si quis magnos progressus facere, earumque indolem recte tenere cupit, mature in iis meditari et cogitare discat necesse est. Qui vernacule bene cogitat, is vernacule bene scribit: sic, qui latine, francogallice etc., bene cogitat ac meditatur, is latine ac francogallice cet. bene scribit. — Deinde haec exercitatio in *latine meditando et cogitando* saepius locum habet, quam exercitatio in latine *scribendo* et *latine loquendo*. Non enim ubique ac semper latine scribere possumus, quia v. c. chartam atramentumve ad manus non habemus vel aliam ob causam: nec semper et ubique latine loqui possumus, quia non semper est, quocum latine loqui possimus aut velimus. At latine cogitare et meditari ubique possumus.

Hoc vero fieri potest ac debet dupliciter:

1) quando soli sumus, nec librum latinum legimus, debemus cogitare, quomodo hoc vel illud latine exprimere debeamus: debemus totas sententias absolutas cum suis connexionibus, cum numerosa periodicaque collocatione effingere etc. Quod qui saepius tentat, is sane multum adjuvabitur.

2) in primis, quando librum latinum v. c. Ciceronis legimus, debemus in singulis enuntiationibus, in singulis sententiis cogitare, quomodo rationem Ciceronianam imitemur,

h. e. statim aliquid ad ejus similitudinem effingere debemus. Ac felix est discipulus, si magister tale quid saepe facit, huicque rei illum mature adsuefacit. V. c. quando in principio orationis Ciceronis pro Rosc. Amer. lego: *Credo ego vos mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neque ingenio* etc., quod proprie dictum est pro *Credo ego vos mirari, cur ego potissimum surrexerim, cum tamen tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant* etc. Quando igitur illa lego, et periodicam structuram imitandi cupidus sum, variis modis imitari possum, v. c. *valde miror, quid sit, quod, cum innumerabiles homines Ciceronis libros legant, paucissimi tamen ejus dicendi genus in scribendo adsequantur*, quod dictum est pro *quid sit, quod paucissimi Ciceronis dicendi genus in scribendo adsequantur, cum tamen innumerabiles homines ejus libros legant;* vel ita: *Mirabantur discipuli Christi, quid esset, quod Christus, cum se ab inferis tertio die rediturum esse promisisset, tamen nondum adpareret* pro *quid esset, quod Christus nondum adpareret, cum tamen se ab inferis tertio die rediturum esse promisisset.* — Sic, quando lego in Cic. Verr. V, 14: *Ita mihi meam voluntatem spemque reliquae vitae vestra populique romani existimatio comprobet, ut ego, quos adhuc mihi magistratus populus romanus mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer;* ubi *ita* est pro *quam verum est, me optare ut* etc., et *ut* est pro *tam verum est, me accepisse* etc., statim ego, usum τῆς *ita* seq. *ut* tenendi cupidus, aliquid simile cogito, v. c. *Ita mea conata deus*, vel *divina existimatio, perpetuo comprobet, ut ego, quas mentis vires deus mihi dederit, iis recte uti cupio:* possum et aliis modis imitari, prout vel τὸ *ita* seq. *ut* vel totam sententiam imitando exprimere volo. Nam singula verba imitando exprimere est paulo difficilius, nec ubique quadrat: hinc, qui hic nimis diligentes sunt, in adfectatum ac puerile dicendi genus incidunt. — It., ubi ap. Cic. ad Div. VIIII ep. 14 §. 6 lego: *gratulor tibi, cum* (i. e. *quod*) *tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, jam salvi esse possemus* pro *cum tantum vales apud Dolabellam, ut, si ego tantum apud sororis filium* etc., statim ad eandem rationem pro *tu mihi tantum beneficiorum tribuisti, ut, si pater tantum tribuisset, contentus esse possem*, cogito et effingo haec: *tu mihi tantum beneficiorum tribuisti, quantum si pater tribuisset, contentus esse possem.* — Sic vel pueri, bonae latinitatis cupidi, simulac τὸ *qui* post *dignus* vident, statim simile aliquid componere sponte sua debent:

atque

atque id facient, si a magistro ita adsuefacti fuerint. Sic, ubi legimus sententiam in Cicerone per pronom. *qui* pro *is vero, et is* etc., incipientem, statim similiter agere debemus, v. c. *Nondum literas accepi. Quas ubi accepero* etc. pro *Ubi vero eas accepero* etc. Ac sic in omnibus agendum est, si quidem artem latine scribendi addiscere brevi tempore cupimus. — Est in primis boni magistri, in lectionibus, ubicunque occasio tulerit, istam rationem diligenter sequi, ut supra jam monuimus. Nam profecto nihil utilius ista exercitatione esse potest: nec dubito, quin, quicunque bene latine scribere didicerint, hi omnes hanc facultatem in primis *latine cogitando* consecuti sint. Ac vix ullam aliam certiorem viam eo tendere posse censuerim.

Ceterum adjuvare hic quoque quodam modo poterunt libri supra nominati, *Lexicon Fabri* a *Gesnero* editum, *Thesaurus Gesneri, Nizolii Lexicon Ciceron.* a *Facciolato* editum cet.; it. *Erasmus* de *copia verborum;* it. *Ang. Politiani Epistolae, Cunaei Orationes* et *Satir. Menipp.;* it. *Gesneri Ernestique scripta* etc. — Laudantur a nonnullis in hanc rem quoque *Sturmii* libellus de periodis et libri quatuor de universa ratione elocutionis rhetor.; it. *Strebaei* libellus de elect. et collocat. verborum: at sunt rari, ac forsitan sine iis bene latine scribere discemus, modo Ciceronis libros frequenter legere recteque intelligere possimus.

SECT. III

Additamenta de imitatione ipsa.

Omnia ea, quae hactenus dicta sunt, pertinent ad Ciceronis priscorumque aliorum imitationem. His enim imitandis discimus bene latine scribere. Hinc patet, eorum imitationem commendandam esse. — At *duplex* hic oritur *quaestio*, 1) *qualis debeat esse imitatio?* 2) *quis priscorum praecipue imitandus?* — Haec duplex quaestio, quae jam dudum ab iis, qui Ciceronem priscosque satis legerunt, ita disceptata est, ut non amplius dubia et incerta videatur, nostra aetate non amplius oriri debebat, nec forsitan amplius oriretur, si, quicunque de latine scribendo loquerentur, Ciceronem priscosque alios satis legissent ac satis intellexissent. Cum

vero linguae latinae hoc accidat, ut de ea ejusque adeo elegantia vel ii loquantur, qui ipsam non calleant, et tamen omnes de ea judicare posse sibi videantur, quia omnes eam didicerunt; cumque plerique eorum, qui de latine scribendo atque adeo de bene latine scribendo loquantur, unum alterumve scriptorem priscum ac vel Ciceronem plane non vel minimam ejus particulam legerint: hinc saepe fit, ut, quia quisque non pessimum scriptorem legisse ac simul cum gustu, respondente cujusque cognitioni, legisse vult videri, interdum ista quaestio inter eos oriri soleat. Nos igitur, quorum est nos ad omnes accommodare, istam quaestionem, tanquam nova sit, proferre et ad eam denuo, licet breviter, disceptandam descendere debemus.

I) *Qualis debet esse imitatio?* duplex ejus virtus esse oportet:

1) *Primum debet esse talis, qualis esse debet lectio* h. e. pertinere debet ad totum habitum styli priscorum. Ergo imitatio non debet esse tantum *verborum;* haec enim non est *imitatio*, sed *compilatio:* si tamen *imitationem* vocare cupis, adpelles saltem imitationem puerilem: pueri enim, ut lapillos ludendi causa, ita verba sola captant. Imitatio debet esse *vera*, vel, si propter oppositionem ita adpellare vis, *virilis*, h. e. debet pertinere ad similitudinem cogitandi, ad delectum vocabulorum cogitatis aptissimorum et compositionem ac connexionem, ad periodi structuram, ad numerosam verborum et enuntiationum collocationem, omnes denique virtutes eloquentiae in hoc libro explicatas, justam brevitatem et copiam, in primis perspicuitatem, gravitatem, suavitatemque dicendi complecti, ut et passim et paulo ante de exercitatione scribendi monuimus. Haec qui in imitatione negligit, is ludit, non imitatur.

2) *Deinde debet ista imitatio sana esse nec nimis adparere* h. e. esse talis, ut sentiatur quidem a lectoribus intelligentibus, nos v. c. Ciceronis stylum imitando per totam nostrae orationis compagem expressisse, nemo vero dicere possit, ubi s. quibus locis illum imitati simus, unde nostra sumserimus etc. Debemus in Cicerone aliisque priscis imitandis exemplum apum sequi, quae e floribus succum ita sugunt, ut,

ut, etsi omnes homines sciunt, e floribus hausum illum esse, tamen nemo possit dicere, quantum ex hoc vel illo flore eae hauserint. Debet itaque lectio priscorum, ut ita dicam, bene concocta esse, velut in apibus florum succi, ut, si quid scribere velimus, phrases, vocabula, figuras vel sententias e priscis non tum demum sollicite conquiramus, neque ubique Lexicon aliumve similem librum evolvamus (hoc sero tum fit) neque totos versus, multo minus totas sententias absolutas e priscis in nostros libros et orationes transferamus, sed ut nobis, materiam, quam tractare instituimus, diligenter cogitantibus, statim in mentem veniat, quid et quomodo sit scribendum, atque ut phrases, verba, periodi structura et numeri oratorii sponte sua sequantur. Nam omnia diu quaesita sunt plerumque inepta, coacta, adfectata, frigida: at, quidquid sponte sua in mentem venit, id plerumque rei naturae convenit, estque aptum ac pulchrum. Interdum quidem, h. e. si quando incertus sis de aliquo vocabulo, Lexicon bonum consulere licet. Ista quidem concoctio fit 1) recte intelligendo sententias priscorum, quod primum est. 2) saepius repetendo: 3) saepissime exercendo. Atque istam imitationem quoque voco virilem. Viros enim pudet, si quem ubique imitari videntur, non item pueros. Omnis imitatio nimis manifesta est injucunda, tum, quia animum parvum indicat, qui nihil nisi repetere aliorum dicta et cogitata potest, tum, quia ejusdem rei repetitio, eaque crebra, taedium creat, cum contra variatio semper delectet. *O imitatorum servum pecus!* recte ait Horatius. — Falluntur egregie vel superstitiosi sunt, qui magni sibi videntur, magnamque in eo laudem quaerunt, si dicere possint, se haec vel illa e Nepote, Livio, in primis Cicerone, sumsisse. Quoties repetitum est principium praefat. Nepotis: *Non dubito fore plerosque, qui* etc., vel initium orationis Tullianae pro Archia: *Si quid est in me ingenii, quod sentio, quam sit exiguum* etc.? At cui id placet? Quis tale quid legens non exclamat: *Quae necessitas te cogebat?* — Legatur hanc in rem *Politiani* epistola ad Cortesium lib. 8, qui, licet Ciceronem imitari sciret, tamen ejus imitationem scil. anxiam disuasit. Ait v. c. *Mihi vero longe honestior tauri facies aut item leonis, quam simiae videtur, quae tamen homini similior est:* et paulo post *Mihi certe, quicunque tantum componunt ex imitatione, similes esse vel psittaco vel picae videntur, proferentibus, quae nec intelligunt. Carent enim, quae scribunt isti, viribus et vita, carent actu, carent adfectu, carent indole, jacent, dormiunt, sternuntur. Non exprimis, inquit aliquis, Ciceronem.*

Quid

Quid tum? Non enim sum Cicero, me tamen, ut opinor, exprimo. Et tandem: *quaeso, ne superstitione ista te adliges, ut nihil delectet, quod tuum plane sit* etc. *Sed, cum Ciceronem, cum bonos alios, multum diuque legeris, contriveris, edidiceris, concoxeris, et rerum multarum cognitione impleveris ac jam componere aliquid ipse parabis, tum demum velim, quod dicitur, sine cortice nates, atque ipse tibi sis aliquando in consilio — tuasque denique vires universas pericliteris.* Vere. — Multi majores viri facti essent, nisi soli imitationi se tradidissent. Incitantur interdum clamore multorum: *Nihil praestantius esse potest Homero, Virgilio, Cicerone* etc. Quaeritur, annon, ut hi triumviri eos, qui ante se vixerant, vincere poterant, ita ipsi ab aliis vinci possint. Fortasse multi vincerent, si vincere se posse putarent. Quemadmodum igitur, *qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram an nesciant*, ut Cicero ait Orat. I, 16, sic, qui latine scribunt, etsi periodis ac sententiis Tullianis, Livianis etc., non proprie utuntur, tamen ipsa scriptione declarant, se eorum rationem cogitandi et scribendi imitatione exprimere.

Quid autem statuendum est de priscis latinis, qui alios, v. c. Graecos, saepissime imitati dicuntur? Hic

1) concedendum est poetis, si nonnunquam similitudines ex aliis poetis sumsere, v. c. Virgilius ex Homero etc., quia forsitan in rerum natura non aptiores res inveniebant, quas similitudinis causa usurpare possent, v. c. quando hominem fortem, constantem, ac cedere nescium comparant cum *caute* s. *saxo* undis maris resistente vel cum *ilice* s. *quercu* ventos contemnente etc. At in ceteris rebus poetae omnesque scriptores plerumque alios ita imitati reperiuntur, ut imitatio vix sentiatur. Si tamen accidat, ut interdum eorum imitatio nimis adparens videatur, hoc in vitiis referendum.

2) Saepe docti credunt, aliquem priscorum hoc vel illud ex alio sumsisse, quia uterque eandem rem memorat, vel eam fere eadem ratione tractat, iisdemve fere verbis interdum exprimit: cum tamen aeque credibile sit, utrumque in istam rem, in istam sententiam, in istam verborum formam sponte sua incidisse et ipsum illam invenisse. Nam cur duo homines eadem sententia non sponte sua utantur? atque iisdem fere verbis eloquantur? Quis tam humanitatis

expers

expers est vel mentes hominum tam parum novit, ut sibi persuadeat, *unam* sententiam non nisi ab *uno* inveniri et cogitari posse? Alicui imitationem alterius objicere est res valde lubrica et incerta, nisi vel ipse fatetur, se ex alio hausisse, vel sententia tam singularis et uni ita familiaris ac propria est, ut vix alii in mentem venire potuisse credibile sit. — Memini, aliquem aliquid pro concione dicere, quod alius e Voltario sumtum esse adfirmaret, quia totam sententiam in Voltarii scriptis verbis fere iisdem reperisset, cum tamen ille ne vidisset quidem Voltarii scripta unquam. — Regnant quoque saepe in populo aliquo sententiae ac proverbia; quae unde orta, a quo inventa sint, nemo scit. Iam, si forte accidat, ut talis sententia vel proverbium in libris duorum scriptorum occurrat, an statim dicamus, alterum ex altero sumsisse? Valde hic erret, qui contendat, temporis habendam esse rationem, et, qui serius vixerit et scripserit, ab eo, qui prius scripserit, hausisse. Paulum Apostolum scimus aliquot versus graecos in epistolis suis protulisse, quos hodie in poetis quibusdam invenimus: at inde nondum sequitur, Paulum istos versus ex istis poetis sumsisse. — Imprudenter igitur agunt eruditi, qui, si quid in scriptore latino reperiunt, quod in alio scriptore aetatis superioris vel latino vel graeco occurrit, statim in notis ad istum scriptorem exclamant: *hoc sumtum est ex Homero, ex Aeschylo, ex Euripide, e Cicerone, Virgilio* etc., quasi nihil certius esse possit, et quasi ipsi viderint scriptorem e scriptore sumere. Hunc in numerum praeter multos alios referendus est *Cortius*, qui ad haec verba Sallustii Catil. init. *veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit*, post alia longe petita tandem ait: „Imitatur plane Aur. Vict. Caes. cap. IIII n. 1 Claudius *ventri* foede *obediens*: et Epitom. cap. IIII n. 3 Hic *ventri*, vino, libidini foedae *obediens*." Unde hoc norat Cortius? Cur non potius dicebat: *similiter fere Aurelius*, vel *forsitan huc respexit Aur. Vict.* etc.? — Idem ad haec verba cap. I extr. *Nam et prius, quam incipias, consulto: et, ubi consulueris, mature facto opus est*, quae haud dubie est sententia, quam hodie vel indoctus, qui priscos non legit, invenire possit, ita loquitur: „*Noster Demosthenem expressit*" qui ita Ex. XXII δεῖ δὲ βουλεύεσθαι μὲν ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς, aut Isocratem ad Demonic. βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα, aut alium quem veterem. Nam Aristoteles VI Ethic. cap. X proverbio celebrari ait: πράττειν μὲν δεῖ ταχὺ βουλευθέντα, βουλεύεσθαι δὲ βραδέως, et sic Herodian.

dian. II cap. VIIII. Miror Ios. Wassium Themistium Orat. III p. 82 Zosimum Lib. I p. 49 citare, et tamen omittere potuisse Leonem in Tactic. cap. III n. 9, qui *manifeste nostram reddidit;* adde Herodot. VII cap. XXXXVIIII, Valer. Max. II cap. VII ext. 1, III cap. VIII ext. 2, Corn. Nep. Them. cap. IIII, Datam. cap. VII, Vellej. Pat. II cap. LXXVIIII." Haec Cortius. O diligentiam putidam! Nonne Sallustium, senatorem romanum, virum doctissimum, credibile est sententiam istam, quam nostri adolescentes norunt, aut a patre aliquando inde a prima pueritia audivisse ac didicisse aut sponte sua inveniisse? Plures commemorare taedet. Istud vero plerumque inde oritur, quod in citandis multis scriptoribus magna laus vulgo ponitur, et, quo quis plura legit atque ita plura citare potest, eo doctior habetur, quasi lectio multorum librorum sit signum magnae doctrinae certissimum. — Ac saepe vidimus aliquem propterea vituperari, quod non hunc vel illum scriptorem citaverit, quasi res nulla sine ista citatione possit esse certa, et quasi auctoritate aliorum et testimonio veritas nitatur. Ignoscendum igitur est ambitioni eruditorum, qui, quidquid legerunt, id in loco ponere et lectionem suam venditare et in lucem proferre festinant.

Ceterum ex iis, quae diximus, patet, nos in priscis pueriliter imitandis h. e. vel totis sententiis ex illorum scriptis in nostra transferendis non posse ad ipsorum exemplum et auctoritatem certo tutoque provocare. Sed faciamus, eos interdum pueriliter imitatos esse, tamen quaeratur, an deceat nos ad eorum exemplum accommodare vel nos eorum exemplo et auctoritate defendere. Priscorum enim virtutes amare, vitia odisse et fugere, debemus.

II) *Quis priscorum praecipue imitandus?* Cognovi enim, non modo multos eruditos, qui bonae latinitatis indolem nosse beneque latine scribendi periti esse sibi videbantur, sed etiam, quod mirere, magistros non paucos credere, parum vel nihil differre, utrum Ciceronem, an alium ex aurea aetate, quae vulgo dicitur, scriptorem, ut Nepotem, Caesarem, Livium, it. Curtium imiteris. Vidi adeo, eos, qui Nepotis stylum exprimerent, aeque laudatos esse ac qui Ciceronis. Imo interdum audivi, Ciceronem, quia paulo copiosius scriberet, a nonnullis pro scriptore non praeclaro habitum, eique Nepotem praelatum esse. Suus cuique gustus placet; fateor: sed omnis gustus

pendet

pendet a cognitione rerum; quae si est accurata, ille est rectus: sin tralaticia, gustus est vel incertus vel pravus. Res, puto, facile decerni potest. — Si in latine scribendo non nisi vocabulorum et phrasium, ut multi temere et imperite opinantur, ratio haberi deberet, nihil interesset, utrum Ciceronem, an Caesarem, Nepotem, Livium, Terentium etc. imitandum tibi sumeres. Nam in his omnibus insunt bona vocabula, bonae phrases. Nec fere obesset, si quem ex argentea aetate scriptorem, ut Curtium, Senecam, Iustinum etc. imitando exprimeres. Quid? quod ne opus quidem forsitan esset, scriptorum veterum quemquam legi: quia e bono Lexico vocabula et phrases quaelibet peti et congeri possent. Et quid refert, utrum vocabula, si eorum tantum ratio habetur, ex aurea, an ex argentea aetate ducta sint, modo a lectoribus intelligantur? Verum, de intelligentium sententia, in latine scribendo non sola verba, non solae phrases, sed totus orationis habitus spectatur, qui in recta rerum et idearum tractatione, ordine, conjunctione, elocutione, venusta gravique sententiarum singularum conformatione, connexione, justa brevitate et copia, omninoque vera perspicuitate, gravitate, et suavitate h. e. eloquentia cernitur. — Iam quaeritur, an haec omnia ex omnibus scriptoribus latinis disci, et an pari modo disci possint? Magnum enim inter ipsos discrimen intercedere facile patet ei, qui eos omnes vel saltem ex iis singulis particulam aliquam diligenter legit. Omnes scriptores, quacunque lingua scribant, inter se valde differunt 1) *tempore*, quo vivunt, et *statu reipublicae*, in qua scribunt; aliter scribit, qui in libera republica vivit, aliter, qui in republica non libera versatur: 2) *charactere* seu genere scribendi materiae, quam tractant, proprio. Aliter scribit historicus, aliter comicus, aliter orator, aliter philosophus. Sed et hic iterum est discrimen. — Aliter scribit historicus, rem breviter narrans; qualis fuit *Caesar*, qui, quidquid gessisset, celeriter et breviter perscripsit: hinc ejus negligentia non mira est; magis mirandum est, quod in tanta celeritate et in tantis occupationibus non negligentius scripsit, sed plerasque res diligentissime et tamen simul brevissime perscripsit: id quod maximum et divinum Caesaris ingenium, maximam doctrinam et exercitationem in scribendo luculenter declarat. Et magni viri interdum longe praeclarius scribunt celeriter scribentes, quam alii, multum temporis suis scriptis impendentes. Eodem pertinet *Nepos*, qui vitas virorum prae-

praeclarorum breviter exposuit. Aliter vero scribit historicus, qui res non modo enarrat, sed causas earum quoque adfert, ut lectores de iis judicare ac prudentiores fieri possint. Cujusmodi historiam possis vocare *historiam philosophicam*. Talis fuit *Livius* ac posteriori aetate *Tacitus*. — Aliter scribit comicus, personam heri vel prudentis hominis, aliter, servi et hominis nequam personam inducens. — Aliter scribit orator, coram plebe dicturus, aliter, coram rege vel senatu romano etc. — Aliter scribit philosophus philosophis, aliter, ubi imperitos erudiendi causa populari sermone utitur: quod fecit Cicero in variis libris. Iam, ut similes cum similibus, ex veteri proverbio, libenter se congregare solent, ita sibi quisque ex eo scribendi genere, quod persequi cogitat, scriptorem, quem sequatur, eligere solet; h. e. comicum, si comicus, oratorem, si orator, historicum, si historicus fieri cupit. Iam quisque sua sponte sentiet, utrum Cicero, an Nepos, Caesar etc. praeoptandus sit. 3) *ordine* et *gradu honoris*. Aliter scribit rex eruditus, aliter civis eruditus, aliter consul romanus. Per se enim patet, quo quis eruditorum honoris gradu et muneris amplitudine magis excellat, eo doctiorem ac prudentiorem, ob faciliorem haec comparandi copiam, atque ita scribendi dicendique peritiorem fieri posse. 4) *doctrina* et *ingenio:* id quod per se manifestum est. Forsitan opinetur aliquis me de *loci* natura, in quo scriptor vivit, seu de *climate*, ut adpellant, dicere hic oblitum. At consulto tacui. Ego enim omnem ingeniorum vim et animorum rationem non climati, quod dicunt, sed institutioni, consuetudini, et statui reipublicae tribuendam dudum existimavi et adhuc existimo, nec de hac sententia per ea, quae pro vi climatis magna scripta legi, demoveri adhuc potui. De hac re fortasse alibi. — Iam, uti res se habet cum scriptoribus omnium nationum, sic et cum latinis. Differunt scriptores latini et *tempore* ac *statu reipublicae*, in quo vixerunt, et *genere scribendi materiae ab iis elaboratae proprio*, et *honoris gradu munerisque amplitudine* et *doctrina* atque *ingenio*. — Aurea aetate i. e. tempore liberae reipublicae scriptores rerum, quam verborum, studiosiores erant; simplicius scribebant magisque perspicuitatem sequebantur, quam argentea, in qua lenociniis verborum, quam rerum justae tractationi, plus dabatur operae. Causa inest in statu reipublicae. Libera republica cives, uti res gerebant, ita res tractabant in scribendo ac dicendo: oppressa republica, rerum gerendarum potestas erat penes Augu-

Augustum ejusque successores: ac civibus nihil nisi potestas loquendi relicta est. Cura ergo rerum amissa, curam vocabulorum suscipiebant: nam otiosi tamen esse non plane poterant. Libera republica, ubi nemini opus est alterum timere vel adulari, ingenium civium, ad quodcunque vult, se erigit; dicit quisque libere, quidquid sentit; neminis beneficiis valde obligatus est, nec obligatum iri sperat; atque ita dicit *vere*. Sed *τὸ vere dicere* est fundamentum *τῦ pulchre graviterque dicere*, omninoque *eloquentiae*. Nihil pulchrum est, quod non verum est. Libere sentiendi potestas ingenia vehementer acuit alitque et adi praestantissimum quidque proferendum viam sternit. — Libera porro republica, in qua eloquentiam certa et ampliſſima praemia exspectabant, quisque, si praeclaro ingenio erat praeditus, ad eloquentiae studium incitatissimo gradu ferebatur. Quis enim ei non magnopere studeret, per quam videret homines posse summos honores, praeturam et consulatum, consequi? Nec fortasse Cicero tam eloquens factus esset, nisi spes summorum honorum ipsum inflammasset. In libera republica romana oratores, atque ita scriptores, erant principes, duces, et gubernatores civitatis, sine quibus haec nullam legem scisscere vel antiquare omninoque nihil agere et jubere poterat, qui animos civium, ad quodcunque vellent, incitare, et, a quacunque re vellent, reflectere poterant: erant igitur viri reipublicae gerendae peritissimi, erant viri summa ac fere regia auctoritate et dignitate; v. c. Caesar, Cicero etc. At, quo quis genere, dignitate, et honore est superior, et quo quis majores res quotidie tractat, eo altiores cogitationes imbibit, eo magnificentius sentiendi et dicendi facultatem habet, eoque pulchrius loquitur ac scribit, praesertim si ingenium summa doctrina excoluit. Accedit, quod talis vir non nisi summorum virorum reique publicae gerendae peritorum consuetudine utitur, cum iis quotidie colloquitur, atque ita tum majoribus rebus cogitandis tum venustius et gravius dicendo in dies magis adsuescit. Tales erant Caesar, Cicero etc. Ac profecto, si hodie principes ac reges, iique doctrina eloquentiaque summa praediti, vel saltem non nisi viri nobilissimo genere nati, reique publicae administrandae adsueti, ac simul doctissimi et eloquentissimi vel orationes vel libros ederent, profecto *aetas aurea* scriptorum vernaculorum eodem modo veniret, quo aetas aurea latinorum scriptorum Ciceronis et Caesaris tempore fuit. Nam oratores et scriptores humili genere nati et non nisi rebus humili-

bus et vulgaribus occupati, qui pulchritudinem et gravitatem cogitandi ac dicendi sublimesque sententias e scriptoribus demum edisscere coguntur, non nimis longe progredi possunt: iis enim cum nimis multis difficultatibus et impedimentis luctandum est etc. Sed ista omnia praeclara, quibus libera res publica romana se efferre poterat, mutabantur mutata illa et amissa libertate. Hic Imperator, v. c. Augustus, Tiberius, Nero etc., solus erat *princeps*, solus magnas res gerebat etc. Lingua civium non, quod suae menti, sed quod Imperatori ejusque amicis placebat, eloqui poterat. Eloquentia discebatur non amplius ad civitatem regendam, ut a Cicerone et Caesare factum erat, sed tantum ab iis discebatur, qui patroni causarum aliquando fieri cupiebant, atque ita ea plane carere non poterant. Eloquentia, quia libertate sentiendi et magnificentia cogitandi carebat, fiebat enervis, sicca, haerebatque fere in verbis solis eorumque ornatu et fuco etc. Oratores et scriptores nunc erant genere, honore etc., humiliores. Et sic eloquentia deinde magis magisque lapsa est. Exorti quidem interdum sunt postea viri, eloquentia insignes, quemadmodum in cinere interdum scintilla aliqua reviviscit. At hae sunt *exceptiones*. Quaenam enim est terra, in qua non interdum praeclarus vir nascatur? Et tamen eloquentia illorum nihil est ad eloquentiam Ciceronis nervosam.

Ex his itaque summatim disputatis adparet *primum*, auream aetatem illam, quam dicunt, ob simplicitatem, veritatem, magnificentiam ac pulchritudinem cogitandi, omninoque ob eloquentiam veram ac nervosam praeferendam esse argenteae ac ceteris aetatibus. Ac res ipsa patet ex scriptoribus aetatis argenteae, v. c. ex Floro, verborum interdum quam rerum studiosiore, itemque Seneca, qui lenociniis verborum abreptus plus interdum dixit, quam sensit. Etiam Quintilianus, Ciceronis admirator et imitator, nonnunquam coacta scribendi ratione utitur. Culpa est aut in imitatione, quae semper aliquid coacti habet, si nimia est, aut in aetate, aut in utraque. — Deinde adparet, e scriptoribus aureae aetatis Ciceronem ceteris praeferendum et digniorem esse, quem imitemur; quia a) fuit omnium tum viventium doctissimus: atque hinc eum accuratissime et optime scribere potuisse, quis dubitet? b) quia fuit ingeniosissimus et eloquentissimus. At *eloquentem esse* et *bene scribere* idem est. Et, qui ingenio magno instruc-

instructus est, quid is non praeclare explicare potest? c) quia fuit princeps, fuit consul, consularis et rebus maximis in senatu vel cum populo agendis non modo interfuit, sed plerumque praefuit: hinc non modo magna cogitabat, sed etiam inter magnos viros adfidue versabatur, eorumque consuetudine, familiaritate, colloquiis, unde sane multa disci possunt, perpetuo utebatur: hinc contingere ei poterat, ut venustissima, suavissima, et optima dicendi ratione uteretur: ac profecto credendus est vocabulis plebejis, obscoenis etc., quam maxime abstinuisse. d) in primis, quia ex omnibus scriptoribus aureae aetatis unus est, qui non modo permulta, sed et talia scripserit, qualia hodie ab eruditis scribi fere soleant. Nam praeter permultas orationes et epistolas omnis fere generis reliquit dissertationes uberrimas de rebus ad eruditionem disciplinasque pertinentibus, ut libros rhetoricos, quo pertinent libri de Inventione, de Oratore, Orator, Brutus etc., et philosophicos, quo pertinent libri Academicarum quaestionum, libri quinque de Finibus bonorum et malorum, libri Tusculanarum quaestionum quinque, libri tres de natura deorum, duo de divinatione, unus de fato, tres de legibus, tres de officiis, unus de senectute, itemque de amicitia, de paradoxis Stoicorum etc. — Iam cum ea, quae ab eruditis hodie scribuntur et eduntur, sint fere orationes, epistolae aut dissertationes ac libri disciplinam aliquam vel ejus particulam illustrantes, nonne convenit, eos potius Ciceronem, quam Terentium, Livium, Caesarem, Nepotem etc. imitari? (scilicet in tota orationis forma: nam in verbis ipsis fere conveniunt inter se isti scriptores). Nam, si quem imitandum nobis sumimus, aequum est, nos, ut doctissimum venustissimumque scriptorem, ita simul eum eligere, qui de eadem materia, de qua nobis in animo est scribere, vel saltem de simili scripserit. — At, si quis historiam simplicem scribere conetur, ei suaserim, ut Caesarem vel Nepotem, ac, si instructam s. pragmaticam, ut Livium hanc in rem legat et imitetur. Quotus vero quisque hodie est, qui historiam latine concinnare cogitet? — Sic, si quis Comoediam scribere instituat vel in latine colloquendo cum aliis se exercere velit, ei auctor sim, ut Terentium (it. Plautum) legat ejusque genus dicendi imitetur. Sed nec Comoedias hodie multi latine scribent et latine cum amicis colloqui pertinet inter res secundarias, quamquam tale consilium non rejecerim aut damnarim, imo utile esse quoque censeo. Quare, ut

nullus scriptor priscus negligendus vel contemnendus, sed legendus quoque est, sic Cicero tamen in primis, qui diligentissime legatur et imitatione maxime exprimatur, dignissimus videtur. — Hanc porro imitationem quemadmodum non, ut jam aliquoties dictum est, ponere debemus in verbis, nam haec in aliis scriptoribus plerumque aeque bona sunt, sed in toto orationis habitu, ita, si quis verba Ciceronis verbis aliorum scriptorum praefert, hoc ei vitio non vertendum est. Nam, si quis aliquem in argumentorum, sententiarum, aliarumque rerum tractatione, in copia, perspicuitate etc., et omnino in tota orationis forma imitari vehementer cupit et diligenter studet, is illum et diligentissime et saepissime perlegat necesse est, quia scriptorem semel legisse nihil fere aliud est quam non legisse. Iam, si eum saepius cum summa adtentione perlegit, quid mirum, si ipsi verba istius scriptoris ob consuetudinem notiora sunt faciliusque in mentem veniunt, quam verba aliorum? Causa igitur latet in familiaritate cum illo scriptore contracta. — Definant igitur contemtores imitatorum Ciceronis hos calumniari, tanquam verba Ciceronis per se meliora ubique esse putent. Hoc quemquam Philologorum sanorum putare incredibile est. Si quis tamen Philologorum sit, qui credat, Ciceronis verba per se et extra contextum h. e. relationem idearum sibi respondentium ubique esse praeclara et aliis semper meliora, is videat, quomodo se defendat: equidem ejus causam agere nolo. Interdum etiam ex scholis aliquid, minus accurate dictum, haerere solet etc.

APPENDIX II

DE ELABORATIONIBUS

Ut de his diceremus, fecit exemplum aliorum. Quamquam vocabulum *elaborationis* a *labore* ductum est, tamen huc referimus omne, quod conscribitur, licet *sine labore* interdum fiat, v. c. epistolas ad familiares etc. Paucis defungemur.

SECT.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0304
DFG

SECT. I

De elaborationibus ſ. *ſcriptionibus in genere.*

Elaborare theſin ſ. *thema* eſt rem propoſitam perſpicue, ſuaviter, ac, ſi opus eſt, graviter explicare. Vix opus ſunt ei praecepta, qui perſpicue, graviter, ac ſuaviter ſcribere didicit. Ad perſpicuitatem dicendi referimus quoque, ut ſupra jam monitum eſt, id, quod alii dicunt *ad perſuadendum apte dicere.* Perſuademus argumentis: nemo vero ſatis perſpicue dicit remve explicat, niſi eam argumentis ſtabilit.

Hic igitur haec paucula tantum monebimus:

1) De nulla re facile dicamus vel ſcribamus, niſi primum notabilis ſit (niſi forte juſſi ſimus a ſuperiore etc.), deinde, niſi eam plane ipſi intelligamus et ſentiamus, hoc eſt, argumenta ſeu cauſas ejus ſatis multas ſatisque firmas teneamus.

2) Haec igitur argumenta ante, quam ſcribamus, ſedulo examinanda ſunt h. e. cum themate ſaepius ac diligenter comparanda, ut videamus, an propter ea thema ipſum credibile vel certum ſit. Prodeſt hic illa chartae ex ordine mandare, atque ita oculis ſubjicere. Melius rem mens perſpicit, oculorum miniſterio adjuta.

3) In primis adtendenda eſt connexio cum argumentorum, quo exempla ſimul referimus, tum ſingularum enuntiationum, ſententiarum, membrorum ac verborum. Hinc non modo ante elaborationem connexionem hanc in univerſum meditari debemus, ſed in ipſa quoque elaboratione, quando unum argumentum vel unam partem materiae tractavimus et chartae mandavimus, perlegenda ſunt ſingula membra, ſingulae ſententiae, et videndum, an bene cohaereant. Et ſic in ceteris agendum eſt. Ac, ſi omnia tractata et elaborata chartaeque commiſſa ſunt, univerſus contextus diligenter perlegendus eſt, et videndum, an ſingula cum ſingulis apte cohaereant. Nec obeſt, totum contextum poſt aliquod tempus denuo perlegiſſe: imo prodeſt egregie. Saepe id, quod initio placebat, aliquanto poſt displicet. Sed hic judicio opus eſt: ſuus quisque ipſius judex eſſe debet.

4) Verborum delectus et ordo adtendendus quoque est. Hinc *scriptum totum* aliquoties perlegendum, et videndum, an forsitan hoc vel illo loco aptius graviusve vocabulum eligi, aut aptior, gravior, venustiorve ordo verborum institui possit ac debeat. Nec tamen hoc sufficit. Debemus etiam scriptum ad tempus aliquod v. c. aliquot dies seponere, et postea ad id diligenter perlegendum redire ac videre, quid emendari ac poliri possit. Saepe vocabulum, quod antea forte vel aptissimum videbatur, post aliquod temporis spatium videtur esse languidum et ineptum. Et haec ratio saepe repetenda. Sed hic, ut ante dictum, judicio et doctrina opus est, ne forte non corrigenda corrigamus et corrigenda suo loco manere sinamus. Saepe enim fit, ut aliquis id, quod scripserit, corrigat, quotiescunque legat, et eandem rem tamdiu corrigat, donec corruperit. Saepe enim id, quod statim ab initio posueramus, omnium optimum fuit. Prodest hic aures amicorum acutorum, nec facile adulantium, consuluisse. Praelegamus iis, si quid scripsimus, et, quid de eo judicent, ita quaeramus, ut, etiamsi id valde vituperent, nos tamen non aegre feramus.

6) Habenda sedulo est ratio lectorum et auditorum: nam non omnibus ubique eadem eodemve modo scribenda ac dicenda sunt; ut supra monuimus.

SECT. II

De elaborationibus seu scriptionibus in specie.

Quatuor in primis solent vulgo esse ea, quae scribuntur: 1) *orationes* 2) *narrationes* 3) *epistolae* ad homines doctos 4) *libri* et *dissertationes* de rebus ad doctrinam pertinentibus. — De singulis pauca dicemus.

SECT. III

De orationibus proprie sic dictis.

Oratio, proprie ita dicta, constare solet in universum tribus partibus, 1) exordio 2) themate 3) conclusione.

1) *Ex.*

I) *Exordium* proprie non opus esset, nisi consuetudo invexisset. Ac non nemini exordium majorem saepe difficultatem creat, quam tota oratio. — Quale debet esse exordium? *Debet auditorem ad thema praeparare.* Et haec haud dubie causa est, cur inventum sit a priscis. Ergo debet tale esse, ut themati suo soli praeponi possit vel praeponi posse videatur. V. c. Si thema est: *historia literaria est studioso literarum utilis*, possit in exordio agi de *nonnullorum errore, putantium eam inutilem esse*, vel de *causis, cur ejus studium a multis negligatur*, vel possit exordium *querelas* continere *de multorum contemtu historiae literariae* etc. — In omni itaque exordio debet esse 1) *thema* s. *propositio aliqua*, quam explicare et argumentis confirmare debemus: ubi ea notanda, quae supra de causis earumque tractatione in P. II c. 1 de *perspicuitate* Sect. 6 p. 527 ff. diximus: in exordio tamen brevitate quadam opus est. 2) *connexio hujus thematis* s. *propositionis cum themate orationis.* V. c. si thema orationis est: *historia literaria est studiosis literarum utilissima*, et exordium s. thema exordii: *multi contemnunt historiam literariam.* Causa: *quia ejus utilitatem non intelligunt.* Causae causa: *quia non ipsam didicerunt* etc. Connexio: *Quare de hac utilitate dicam* s. *dicere operae pretium erit.* Vel sic: Exordii thema: *multi putant historiam literariam ad adolescentes literarum studiosos non pertinere.* Causa duplex: una, *quia illi facile ejus suavitate ita abripi possint, ut ei se deinde totos tradant, ceterasque res negligant:* altera, *quia tempus melius collocari et rebus magis necessariis et utilibus tribui possit.* Connexio cum themate orationis: *At* 1) *abusus non tollit usum, nec tollere debet. Si propter timorem, ne re abutamur, eam plane negligere, ea plane carere, debemus, quid non negligendum? qua re non carendum?* (v. c. igne, studiis literarum etc.) 2) *et quod ad tempus adtinet, non video, quomodo, ceteris tamen rebus haud neglectis, id melius collocari queat, quam in discenda historia literaria. Quod ut adpareat, dicam de* etc. Totam rem uberius explicari illustrarique debere per se patet. Quod quis hic a nobis postulet?

Interdum potest exordium etiam a persona dicentis, vel ab occasione, loco, ubi dicitur, tempore etc. duci: v. c. a) quando quis primum coram auditoribus dicit, ubi v. c. de honore loquitur, quem ex eorum praesentia capit etc., ac deinde vel aliud exordium cum themate orationis cohaerens addit, vel, si tempus non suppetit, statim thema orationis profert. b) quando dies, quo dicitur, est singularis et maxi-

me illustris, v. c. natalis Principis etc. Attamen et hic decet exordii connexionem aliquam cum themate orationis observare: quod facile fit, si v. c. thema orationis isti diei consentaneum est, ac v. c. de *virtutibus boni principis* vel *de una virtute ejus* vel *in universum de bono, felici, principe, agit.* Hic omnia nituntur ingenio ac doctrina dicentis.

II) *Thema orationis.* Hic not. 1) *thema ipsum* 2) *ejus tractatio.*

1) *Thema* ipsum est vel *infinitum* vel *finitum:*

a) *infinitum* s. *indefinitum*, h. e. cum res in universum tractatur, nec ad certum hominem, certum tempus aut locum, refertur, v. c. cum sermo est de virtutibus vel de modestia universa etc. Ac tum potest esse vel *generalius*, ubi de *genere* loquimur, v. c. de virtutibus in universum, vel *specialius*, v. c. de una *virtute*, ut *modestia*, *humanitate*, it. de *paupertate*, de *divitiis* etc., vel *specialissimum*, v. c. de *modestia erga inferiores* vel *superiores*, de *liberalitate erga homines, qui incendio fortunas amiserunt* etc., it. de *modestiae difficultate*, de *via ad modestiam*, de *utilitate paupertatis*, de *divitiarum recto usu* etc.

b) *finitum* s. *definitum*, h. e. quando thema ad certos homines vel certum hominem, ad certam urbem, certum tempus pertinet, v. c. *an Pompejo imperium sit committendum* etc., estque vel *generalius*, v. c. de *virtutibus principis* vel *studiosi literarum* etc., vel *specialius*, v. c. de *liberalitate principis*, vel *specialissimum*, v. c. de *liberalitate principis erga eos, quibus incendium fortunas eripuit*, aut *erga suos tempore egestatis publicae* etc.

Quo generalius est thema, eo plus quidem materiae ad dicendum datur, sed eo minus accurate ob temporis brevitatem res potest tractari. Tirones plerumque ejusmodi themata sibi eligunt. Quale igitur thema oratori eligendum est? 1) id, quod maxime auditorum attentionem excitat atque conservat: ergo non *vulgaria* h. e. *generaliora* sunt eligenda. 2) id, quod satis accurate et copiose tractari potest: ergo non generaliora sumenda. 3) quod ad movendos auditorum animos aptius est: ergo generalioribus abstinendum. Hinc sequitur, quo specialius thema fit, eo melius esse: hoc enim 1) attentionem auditorum excitat et conservat: 2) satis accurate et copiose tractari potest, cum contra, quo generalior res est, eo magis

gis ſummatim tractanda ſit et tantum ejus capita breviter adtingenda, ob materiae copiam ac temporis inopiam: 3) animos auditorum plus movet. Genus et Totum nimis remota ſunt a cognitione et ſenſu hominum; at partes Totius et ſpecies atque individua ſunt propiora ei. Malim ergo dicere v. c. de *modeſtia eruditi* aliusve hominis quam de *modeſtia univerſa;* malim *principem laudare ob unam virtutem,* quam *ob omnes,* et malim de *virtute ejus aliqua certo loco* et *occaſione oſtenſa* loqui, quam de iſta virtute univerſa: malim *unam rem geſtam ducis bellici tractare,* quam *totam ejus vitam.* Pertinent huc multa themata, v. c. *An Phyſice proſit Theologo* vel *quantum proſit? an paupertas ſit malum? quomodo paupertas tolerabilis reddi poſſit? paupertatem eſſe adjutricem doctrinae,* it. *matrem modeſtiae* etc.; *quid in divitiis colligendis ſpectari debeat? ſuperbiam eſſe fontem irae: an poenae proſint reipublicae? cur poenae non arceant alios a malefactis? animum non poſſe corrigi, niſi mens corrigatur* etc.

2) *Tractatio thematis.* Huc omnia ea pertinent, quae ſupra de perſpicuitate, gravitate, et ſuavitate dicta ſunt. Paucula ergo hic dicemus. *Thema* eſt enuntiatio, conſtans ſubjecto et praedicato. Hic igitur ſpectanda ſunt in primis tria: *thematis explicatio, confirmatio,* et *illuſtratio.*

A) *Thematis explicatio.* Explicari debet, ſi opus eſt, ſubjectum, interdum praedicatum, interdum utrumque. Subjectum explicatur vel ex hiſtoria vel per definitionem. Hic auditorum reique ipſius habenda eſt ratio, v. c. ſi thema eſt: *divitiae recte uſurpandae ſunt,* non facile opus eſt divitias explicare, quia quisque novit, quid per divitias intelligere debeat. Sin thema eſt: *Paupertas prodeſt artibus, eſt mater virtutis, prodeſt reipublicae* etc., docendum eſt, paupertatem hic non eſſe eam, quae mendicare cogatur, ſed eam, quae labore tantum comparet, quantum ad vitam ſuſtentandam ſufficiat. Sic: ſi thema eſt: *Caeſar ob veniam Marcello datam admirandus eſt,* vel brevius *venia a Caeſare Marcello data eſt admiranda,* explicandum eſt ex hiſtoria, qualis haec venia fuerit, quid peccaverit Marcellus, quam gravis inimicus Caeſaris fuerit, quamque hunc laeſerit Senatus conſulto illo, quo Caeſar jubebatur Galliam relinquere et Romae Conſulatum praeſens petere, qua re Marcellus cum Pompejo id ſpectabat, ut Caeſar exercitu atque ita omnibus opibus privaretur: quia apud Romanos imperator, ſimul Romam

ingreſſus erat, exercitum amittebat, nec amplius ejus dux eſſe poterat etc. Sic, ſi thema eſt: *Paupertas alit artes*, explicari debet, quid ſit *alere artes* h. e. *incrementum iis adferre, efficere, ut floreant* etc. Explicatio poteſt eſſe vel brevior vel longior, prout res ipſa et auditorum ratio poſtulat. Si vel ſubjectum vel praedicatum per ſe ſtatim intelligitur, ridicula eſt ejus explicatio. Inepti ſunt, qui omnia omnino explicare volunt.

B) *Thematis confirmatio*, quae eſt res omnium maxime neceſſaria. *Thema* confirmamus, quando docemus, ipſum eſſe *verum*, h. e. praedicatum ſubjecto vere et haud dubie convenire: idque fit argumentis ſeu cauſis, quo pertinent ſaepe exempla, quae non modo illuſtrant, ſed in nonnullis rebus quoque confirmant, item *teſtimonia*, praeſertim in rebus hiſtoricis, ut ſupra in P. II c. 1 de *perſpicuitate* S. 7 et 8 diximus. Hic tantum in argumentis paululum morabimur.

a) *Argumenta debent eſſe ſatis multa et ſatis firma.*

b) *debent recte digeri.* Fortius minus forti poſtponendum, quia auditores poſtrema quaeque memoria melius tenent. Levia argumenta plane omittenda. Sunt, qui ea fortibus immiſceant, veluti mercatores bonis mercibus leves vel homines leves bonis numis adulterinos interdum immiſcent. Ita priſci interdum oratores: at iis hac re opus erat, quia non loqui ſemper poterant, quae vellent, ſed ſaepe defendere cogebantur homines improbiſſimos, it. loquebantur coram plebe, quae ſaepe argumenta numerare non pendere ſolet. At nos hodie, cum noſtra ſponte loquamur et coram hominibus prudentibus, deque rebus gravibus, ac raro accidat, ut aliquid laudare jubeamur non laudandum, cumque ipſam materiam eligere nobis liceat, non niſi certis firmiſſimisque utendum eſt argumentis. Pauca argumenta, ſi certa ſunt, magnam vim habere poſſunt: nec res in multitudine, ſed in recta tractatione argumentorum vertitur.

c) *Argumenta debent ſaepius repeti*, in primis aliis verbis, ut vis eorum ex animis auditorum ne elabatur ſed creſcat.

d) *In primis argumenta debent recte tractari*, h. e. debet effici, ut eorum vis vere adpareat. Fit hoc duabus rebus 1) *confirmatione* eorum per nova argumenta; 2) *ostendenda eorum connexione cum themate. Primum* igitur

tur *argumentum debet aliis argumentis confirmari*, quo in nonnullis rebus pertinent *exempla* et *teſtimonia*; itemque *exemplis et comparatione cum ſimilibus illuſtrari et adjuvari*. Saepe iſta nova argumenta, quibus argumentum thematis confirmatur, iterum novis argumentis fulciri, imo et haec ſaepe rurſus aliis argumentis confirmari, debent. Non hic definire et conſtituere licet, quoad in confirmatione argumentorum per alia argumenta progrediendum et quando ſubſiſtendum ſit. Quisque orator per ſe ſentiat et judicet neceſſe eſt, quando definendum ſit, h. e. debet ſcire, quid argumentis indigeat, quid non, quid manifeſtum ſit, quid non. Poſteriora tamen, quibus priora fulciantur, breviora eſſe debere per ſe intelligitur, ne confuſio oriatur. Nam, ſi omnia argumenta poſteriora, quae priorum confirmationi ſerviunt, aeque late tractarentur, ac priora, quae thema confirmant, auditor fortaſſe totum contextum amitteret. Saepe poſteriora iſta argumenta una enuntiatione, interdum duobus verbis, conſtare poſſunt ac debent. Sed nihil definiri hic poteſt, quia materiae ratio valde diverſa eſt, et alia latiorem, alia breviorem argumentorum poſteriorum confirmationem poſtulare poteſt. — *Deinde debet in primis cujusque argumenti*, per quod thema confirmatur, *connexio cum themate ostendi*, h. e. debet doceri, quomodo propter iſtud argumentum, recte explicatum, confirmatum et illuſtratum, thema ipſum verum eſſe debeat. Hoc fit per *locum communem*. Hic locus communis nihil fere aliud eſt, quam *dictum illud de Omni et Nullo*, ut in logicis libellis vocatur: h. e. *quod univerſis convenit, id convenit quoque ſingulis: et quod contra de Nullo dici poteſt, id aperte de ſingulis dici nequit:* ſic, *quod Toti et Generi convenit, id convenit etiam parti et ſpeciei: et, quod de ſpecie dici poteſt, idem licet etiam de individuis dicere.* Exemplum tironum cauſa ſubjiciam. Thema: *venia, a Caeſare Marcello data, eſt res admiranda. Argumentum; quia eſt res magna:* cur? *quia eſt difficilis:* cur? *ob cupiditatem hominibus inſitam ſe ulciſcendi*, quod experientia docet. *Connexio: Iam omnes res magnae noſtram admirationem excitant:* quod experientia itidem docet. *Repetitio thematis: Ergo manifeſtum eſt, illam veniam eſſe rem magnam.* Not. nos hic nimis breviter rem propoſuimus, quia nonniſi ordinem indicare voluimus. Nam aliis verbis, aliis ſententiis, iisque pluribus rem explicandam et ornandam eſſe per ſe patet. Aliud exemplum. *Thema;*

ma: hiſtoria literaria ſtudioſo literarum eſt valde utilis. Argumentum: per eam enim *cognoſcit viros eruditos, eorum libros, vitam* etc. *atque ita videt, quantum ſibi diſcendum reſtet*, it. *incitatur vita eorum legenda ad ipſos imitandos. Connexio: atqui omnia, quae ſtudioſum ad diſcendum* vel *ad augendam doctrinam incitant, ei ſunt valde utilia et commendanda.*

Omnis igitur confirmatio thematis per unum argumentum, atque ita omnis tractatio unius argumenti, eſt ſyllogiſmus logicus inverſus. Syllogiſmi logici concluſio eſt *thema* orationis, propoſitio ſyllogiſmi minor, ut dicitur, eſt *argumentum* thematis, et propoſitio ſyllogiſmi major eſt *connexio argumenti* cum themate ſeu locus communis. Quod igitur Logici primo loco, id Oratores ultimo, ponunt, et quod illi ultimo, hi primo. Logici e duabus enuntiationibus, quas, ut jam notas certasque, ſumunt, et *praemiſſas* vocant, eliciunt novam enuntiationem illarum veritate nitentem, quam *concluſionem* vocant. Oratores hanc enuntiationem, quam Logici demum eliciunt, ſtatim ab initio ponunt, ſub nomine thematis, et iſtas duas enuntiationes, quas Logici ut notas praemiſerunt, quaerunt demum. En exemplum utriusque rationis:

a) Logicae:

Omnia, quae ſtudioſum literarum ad eas acrius diſcendas incitant, ſunt ei utilia et commendanda,

Atqui *Hiſtoria literaria incitat eum ad literas acrius diſcendas,*

Ergo *eſt ei valde utilis et commendanda.*

b) Oratoriae:

Hiſtoria literaria eſt ſtudioſo valde utilis et commendanda. Hoc eſt thema.

Nam incitat eum ad acrius diſcendas literas. Hoc eſt argumentum.

Sed *quis dubitet ea utilia eſſe et commendanda ſtudioſo literarum, quae illum ad acrius diſcendum incitant?* hic eſt locus communis, connexioni duarum praecedentium enuntiationum h. e. thematis et argumenti ſerviens. — En aliud exemplum:

a) Ra-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862953375/phys_0312
DFG

a) Rationis Logicae:

Quidquid magnum eſt, id eſt admirandum,
Atqui *venia Marcello a Caeſare data eſt res magna,*
Ergo *haec eſt admiranda.*

b) Rationis Oratoriae:

Venia a Caeſare Marcello data eſt res haud dubie admiranda.

Nam *eſt res magna*, h. e. propter difficultates varias a paucis perfici poteſt etc.

Sed *omnes res magnae ſunt admirandae.*

Differunt itaque Oratores et Logici ita:

a) Logici e praemiſſis enuntiationibus eliciunt enuntiationem aliquam, quae inde neceſſario fluit: quod facilius eſt: at Oratores ſtatim ab initio ponunt hanc enuntiationem, et deinde argumenta eorumque cum illa connexionem deinde quaerunt: quod difficilius eſt.

b) Logici non ſingulas enuntiationes argumentis confirmant, illuſtrant etc. At Oratorum eſt, iſtas enuntiationes uberrime explicare, confirmare, illuſtrare.

Ceterum ita eſt oratori in omnibus argumentis agendum; et, quot ſunt ei argumenta, tot ſunt ei ſyllogiſmi inverſi; quorum concluſio eſt thema. Qui haec, quae diximus, tenet, ei facile eſſe puto argumentum tractare: ſed delectus argumentorum et elocutionis varietas atque ubertas, quae ſimul poſtulatur, pendet ab oratoris doctrina et ingenio. Conf. hic ſupra dicta in capp. de *perſpicuitate, gravitate*, et *ſuavitate dicendi.*

C) *Thematis illuſtratio* per exempla et Similia, ubi v. c. a minori ad majus concluditur vel contra etc. Eodem modo argumenta ipſa illuſtrantur.

III) *Epilogus* ſ. *concluſio* it. *peroratio* (ἐπίλογος) proprie nihil aliud eſt, quam finis orationis. Ac profecto, poſtquam thema ſatis explicatum eſt, finis orationis per ſe eſſe poterat: et in libris dogmaticis, quando theſis ſatis explicata eſt, ſtatim deſinere plerumque ſolemus. At

a) Romani graecique oratores, quorum orationes omnes in movendis auditorum, v. c. judicum et plebis, animis verſabantur, ſolebant, re ipſa ſatis explicata, confirmata et illuſtrata, tandem ad judices vel populum propius

pius se convertere, atque 1) rem cum argumentis summatim repetere et auditoribus in memoriam revocare; 2) deinde omni Rhetorices artificio id agere, ut animos auditorum commoverent, ira, misericordia, cupiditate etc. implerent, atque eo certius ad aliquid vel agendum vel omittendum impellerent. Hinc finis orationis iis erat nova quasi tractatio: hincque epilogus s. peroratio facta est pars quaedam orationis, eaque extrema.

b) Nostra eloquentia e Romana maxime ducta est. Hinc item solemus non statim post explicatum atque confirmatum thema orationem finire, sed aliquid praeterea addere in epilogo; scilicet 1) argumenta breviter repetere, et inde concludere, thema certum esse, 2) deinde saepe aliquot praecepta atque admonitiones addere, et, ubi fieri decet, thema ad auditores transferre, et eorum animos vel ad agendum aliquid vel ad fugiendum incitare, hancque in rem commovere ac vel misericordia v. c. erga pauperes etc. vel odio v. c. erga peccata vel amore v. c. erga deum etc. vel cupiditate v. c. virtutis etc. implere. Utrumque recte: prius, quia auditores non omnia ab oratore dicta memoria accurate tenent; hinc repetitio prodest; posterius, quia commotio animorum praeclare procedit, si argumentorum ope jam auditoribus de re persuasum est. Hoc est labantem magis impellere. At not. 1) multi nimium tribuunt isti perorationi; thema ipsum et argumenta non recte tractant; deinde commovendis in fine auditoribus vocis intensione, figuris etc., efficere studeant, ut illis de re ipsa, quam tamen argumentis rite stabilire debuerant, persuadeatur. In quo errant. Nulla re tam commoventur animi, quam argumentis: et haec recte tractata, atque, ut prisci ajunt, contorta ac librata, per se et sine peroratione ista animos satis commovent. Neque igitur debemus auditores hortari, incitare etc., nisi argumentorum gravium justa tractatio praecesserit. Vox parum prodest, et ad tempus tantum. Plerumque, ubi vocis intensio desinit, etiam animi commotio desinit. At argumentis creatur commotio diutissime durans: haec enim nititur fundamento firmo; nec commotio animi, quae voce forti figurisque gignitur, est vera commotio. 2) Nec *τὸ commovere animos auditorum* ubique convenire putem, v. c. in oratione, ubi materia, ad doctrinam pertinens, explicatur, et, ubi nihil nisi docetur, quis hic animos commoveat? Omninoque coram eruditis dicens ego vix audeam eorum animos voce et figuris commovere,

movere, quia, ut ego nulla re nisi argumentis ad rem credendam ac vel agendam vel omittendam incitari soleo, ita et alios illis solis moveri puto.

Cum igitur mos ita ferat, ut epilogus s. peroratio addi debeat, quid in illa faciendum est? a) repetantur argumenta, sed commutatis verbis, una cum themate: b) addantur aliquot consecutiones, interdum praecepta et admonitiones, vel refutetur opinio aliorum nobis contraria; omninoque multa, quae alioquin in exordiis poni solent, ibi tractari possunt: ubi tamen semper auditorum reique ratio habenda est diligenter. Non debemus praecepta dare viris prudentibus etc. Interdum etiam epilogus ad solum dicentem pertinere potest et consistere v. c. in gratiarum actione pro praesentia et adtentione auditorum, si v. c. coram sapientibus viris de re ad doctrinae partem pertinente dixeris vel in commendatione sui, v. c. quando quis ex loco abiens auditores valere jubet; vel in promissione officiorum, v. c. quando quis munus solenni oratione auspicatur etc. — Ceterum orationem elaborare multis non tam difficile esset, nisi difficile multisque artificiis opus esse crederent. Qui ingenio valet, doctrina magna instructus est, se in elaborando saepe exercuit, et rem, de qua dicere vult, recte intelligit, ei facile erit dicere vel sine multis praeceptis.

SECT. IIII

De narrationibus.

Narratio est explicatio rei actae, estque duplex: *Primum*, quatenus est membrum *Orationis* proprie dictae, ac vel explicationi in primis thematis servit et modo ei praeponitur, modo postponitur, vel ad illustrationem argumenti pertinet et *exemplum* adpellari solet. Utraque narratio, ut ceteras virtutes narrationis habere debet, ita non nimis longa sit necesse est: id quod per se patet, quia est tantum particula parva orationis. Haec narratio est vel *simplex* h. e. ubi res narratur, ut gesta est, vel *ornata* h. e. cum singulae ejus partes eodem modo, quo argumenta

trac-

tractantur, argumentis confirmantur et descriptionibus locorum etc. illustrantur. Hoc in oratione, cujus thema historicum est, vel cujus argumenta e factis arcessuntur, locum habet. Sic Cicero saepius, v. c. pro Roscio Amerino, ostensurus Roscium non fuisse patris sui interfectorem, maxime narrationibus utitur, v. c. Roscium non tum Romae fuisse, cum pater interfectus esset, nuntium caedis hujus non ad Roscium sed ad alium venisse etc. Sic in Verrinis docere studet, Verrem et Romae et in Sicilia contra jus et fas egisse, cives et provinciales vexasse, diripuisse, occidisse etc. Id quod non aliter declarare et confirmare poterat quam per *narrationes*. Hae, quia loco argumentorum erant, imo argumenta ipsa, etiam, ut argumenta, tractari et ornari nec simpliciter poni debebant. Ejusmodi narrationes ornatae v. c. in laudibus magni ducis bellici locum habent, ubi, si ejus victoriae singulae narrantur, non simpliciter eas narrari, sed ex suis causis duci et cum aliorum victoriis magnis comparari debere per se intelligitur. Et sic in omni laude magnorum virorum narrationes virtutum illorum debent esse ornatae.

Deinde, quatenus narratio est peculiare scriptionis genus: cum v. c. vitam principis aliusque magni viri, bellum aliquod, vel res totius populi inde ab origine vel multorum populorum etc. exponimus, omninoque historici aut biographi partes suscipimus; quales fuere Livius, Caesar, Nepos etc. Et de hac narratione hic propie sermo est. Hic vitandae sunt omnes figurae commovendis adfectibus inventae, aliaque ornamenta huc spectantia. Historicus et biographus debet fidelis esse h. e rem narrare, prout acta est: ac, si res gravis est et admiranda, ea per se commovere debet legentium animos. Si ipse commovere animos acriter studet, videtur vel diffidere narrationi suae vel nimis ea captus esse, quod vitium est. Peccavit

cavit hic nonnunquam Florus. Nihil est difficilius quam praeclare narrare. Homines plerumque ornatui nimis dediti sunt, nec rem aliquam aequo animo considerare facile possunt, sed vel amare et probare vel odisse et improbare eam solent. Iubent eruditi historicum neque patriae suae neque religionis nec sectae philosophicae nec alius cujusquam rei rationem habere. Quotus vero quisque est, qui ista omnia in narrando obliviſci possit? praesertim si sit animo humano et facile ipse moveatur re qualibet. Et hodie plerique scriptores studeant animos lectorum ita tractare ac fingere, ut facile moveantur et fere liquescant. Quae res non magnam spem nobis injicit, multos aliquando fore, qui bene narrent: cum contra odarum scriptores nunquam defore verisimillimum sit, quia his copia datur animo commoto loquendi. Facilius est hominibus ingenio praeclaro praeditis, commoto animo dicere ac scribere, quam placido. Omnia, quae ad narrationem bonam concinnandam pertinent, hic proferre non est hujus loci.

Notabimus duntaxat haec duo:

I) de *virtutibus narrationis universis.* Omnis narratio debet esse *vera, perspicua*, et *suavis*. Haec judicio et scientiae scribentis relinquenda sunt; attamen duobus verbis explicabimus:

1) *vera* est, si is, qui narrat, rem recte narrare et potest et vult. Utrumque conjungi debet. Interdum vult aliquis recte narrare, at non potest, quia ei justa rei scientia deest: interdum potest aliquis recte narrare, at non vult ea, quae recte scit, fideliter referre. Recte narrare *potest* proprie is, qui rei ipse interfuit, ac simul de ea judicare recte potest. Quia tamen nos omnes omnibus rebus interesse non possumus, etiam eum dicimus rem recte narrare posse, qui eam ab aliis, recta rei scientia et voluntate fideliter narrandi praeditis, didicerit. Recte narrare *vult* is, qui est veritatis perpetuo amantissimus, et, ut ipse non nisi vera audire cupit, ita aliis non nisi vera narrare gaudet. Talis homo non curat homines, non praemia, non damna, non opiniones,

non laudes, non vituperationes aliorum, non sectas philosophorum: et nec patriae nec religionis, nec amicitiae nec inimicitiae, habet rationem, et narrat ita, tanquam solus sit in hac terra, ac nemo sit, a quo aliquid exspectare vel metuere queat, et tanquam sibi soli narret: narrat itaque rem ita, ut actam esse certo scit. An ejusmodi homines multi reperiri possint, quaeritur. Porro talis homo non nisi veritatem spectat; haec sola, ut sic loquar, per illius calamum loquitur, atque ita omnia ornamenta, quibus narratio gravior, suavior, probabilior fiat, omittit. Veritas per se gravis, suavis, et probabilis satis est. Omittit igitur figuras rhetoricas, animis lectorum movendis et incendendis aptas, v. c. exclamationes et interrogationes crebriores etc. Non enim adfectus excitare studet: sed hi sua sponte e re ipsa oriri debent. Veritas per se satis commovet, incendit, reflectit etc., modo satis sit intellecta. Fateor, rem magnam saepe scriptoris ipsius animum commovere, incendere, atque adeo abripere. At hunc ignem exstinguere, animum cohibere, et uno verbo se vincere debet. Quod quid aliud fere est quam naturam expellere? Magnum hoc esse ni fatear, mentiar. At propterea munus historici maximum quoque est. Hinc fit, ut historici tam rari sint, et ut nostri homines malint fictas narrationes conscribere, quia hic ingenio indulgere possunt, quod in veris narrationibus non licet. Et tamen nihil generi humano utilius esse crediderim narrationibus veris et historia: nec quidquam magis optandum est, quam multitudo historicorum. Fingere aliquid ingenii ope quis nequit? at vere loqui non est cujusvis hominis. Fictae res tantummodo delectant et tempori fallendo egregie serviunt; at veritas animos hominum nutrit, erudit, sapientia instruit et corrigit: imo etiam delectat, si quidem ei adsuetus es. Paene oblitus essem monere in narrationibus, quatenus est genus peculiare scriptionis, opus esse *testes* nominare, quorum auctoritate narratio nostra nitatur, et eorum gravitatem demonstrare.

2) *perspicua* est, si nihil omittitur, quod ad rem plane intelligendam pertineat, si ordo rerum ac temporum diligenter servatur, si nihil alieno loco immiscetur, quod seriem narrationis interrumpere, atque animum legentis perturbare incertumque reddere possit, si nimia brevitas dicendi vitatur, si verba usitata et satis nota remque optime exprimentia usurpantur, si ordo verborum est naturae idearum conveniens, de qua re supra dictum est. Add. et P. II c. 1 de *perspicuitate dicendi*.

3) *sua-*

3) *ſuavis* eſt a) ſi perſpicua eſt. Omnis enim perſpicuitas placet. Etiam narratio omnis, ſi quidem res non indignas auditu continet, facile placet, modo intelligatur. b) ſi juſta brevitas ſervatur h. e. ut non nimis res vel aliqua ejus particula dilatetur: id quod judicio ſcriptoris relinquendum eſt. c) in primis varietate rerum, ac ſimul varietate elocutionis: it. ſi inexſpectata multa continet, ſi praeſertim exitus mirabilis eſt; it. deſcriptionibus hominum et rerum venuſtis; it. genere ſcribendi vegeto nec tamen adfectato etc. Cf. ſupra cap. 3 de *ſuavitate dicendi.*

II) *Diviſio.* Narratio eſt vel *ſimplex* vel *pragmatica.* *Simplex* eſt, cum tantum res cum ſuis partibus ex ordine, quo ſingulae actae ſunt, ſimpliciter narratur, ita tamen, ut ipſa plane intelligatur; non additis facile judiciis de ea vel de ejus ratione etc. Talis eſt narratio Nepotis, Caeſaris. *Pragmatica,* cum non ſolum res per partes perſpicue narratur, ſed etiam, ſi quidem paulo major eſt, e primis initiis ducitur, et additur, cur ita facta ſit, nec aliter fieri potuerit, quid occaſionem praebuerit etc. it. judicia de natura rei, de cauſis, quatenus ipſae hoc vel illud efficere poſſint, de moribus populi, imperatoris, aliusve viri notabilis, per quem res magna geſta eſt, adduntur et loci communes tractantur etc. Per ejusmodi narrationes lector fit prudens h. e. diſcit cauſas rerum indagare, et veras a fictis, quae ſaepe ſerio pro veris venditantur, discernere, ac judicare, quid ex hac vel illa re ſequi ſoleat, poteſtque deinde in rebus agendis ipſe cautior fieri, aliisque praeclara conſilia dare. Tales ſunt magnam partem narrationes Livii et Taciti, ut Polybium, quia Graecus eſt, taceamus.

SECT. V

De conſcribendis epiſtolis.

Epiſtolarum ſcribendarum praecepta accurata et ſufficientia omnium minime tradi poſſunt. Nam materia, quae in iis ſcribendis tractatur, eſt tam diverſa, ac perſonae, quae ſcribunt et ad quas ſcribitur, ſunt tam diverſae v. c. aetate, guſtu, honoris gradu, omninoque relatione ad ſe invicem, ut praeceptis iſta omnia comprehendi minime queant. Aliter enim ſcribimus de eadem re ad amicos, aliter ad inimicos, aliter

ad inferiores, aliter ad ſuperiores, aliter ad homines ſuperbos, aliter ad modeſtos, aliter ad notos, aliter ad ignotos etc.

Epiſtola univerſa eſt ſcriptum, cujus hoc eſt conſilium, ut abſenti idem dicamus, quod ei, ſi adeſſet, dicturi eſſemus. Ac, ſi ſemper ad homines amiciſſimos ſcriberemus, nulla difficultas foret, quia hic iisdem verbis, quibus in colloquendo cum praeſentibus illis uſuri fuiſſemus, uti poſſemus. At, credo, epiſtolarum ad amicos mittendarum praecepta non dantur, vel non dari opus eſt: hic enim animus loquitur: ſed earum potius, quas ad ignotos vel a nobis alienos, ac praecipue ad viros principes et ampliſſimis muneribus fungentes, ſcribimus. Gellertus in praefat. ad epiſtolas ſuas ait, nihil eſſe facilius quam epiſtolas ſcribere, modo naturam ducem in cogitando et ſcribendo ſequamur. Recte, ſi ad amicos ſcribimus, vel ſaltem ad eos, quorum conditio, ſenſus, et guſtus notiſſimus eſt, praeſertim ſi nobis non ſunt multo ſuperiores nobilitate, honoris amplitudine etc. At non, ſi ad alios; cum praeſertim ſenſus hominum et guſtus ſit tam multiplex, tam varius etc.

Pauciſſima igitur tantum hic dicemus:

I) In omnibus, quae ſcribimus, videndum, ut lector ea et intelligat et credat: hinc multa huc pertinent dicta in cap. de *perſpicuitate*. In primis, quando alicui aliquid confirmamus, cauſis hoc ſulciendum eſt, ut lector videat, nos ſerio et ex animo loqui, nec tantum more vel adulatione ductos. Si quid v. c. laudamus, vituperamus, ſi cui gratulamur vel dolorem noſtrum ſignificamus, ſi promittimus, ſi ſpem metumve aliquem declaramus etc., haec omnia argumentis, modo breviter, modo late, confirmari et niti debent. V. c. nolim ſcribere alicui: *gratulor tibi, quod munus tam amplum nactus es*, et hic ſilere: vel *doleo, quod uxorem amiſiſti*, nec quidquam amplius addere. Malim v. c. ſcribere: *Gratulor tibi* vel *maxima laetitia adfectus ſum, quod munus nactus es, quod tu in primis bene ornare potes*, vel *quod nemo te praeclarius ornare poteſt*, vel *quod meritis*

tuis

tuis respondet, quod occasionem tibi praebet, multos (v. c. doctos, miseros etc.) *adjuvandi, et merita multorum praemiis adficiendi. Doleo* vel *lugeo cum omnibus bonis ereptam tibi esse conjugem, virtutibus excellentem, quae tibi summae voluptati et adjumento erat, quae amicas permultas solatio et consilio recreabat* etc. At per se patet, veritatem hic quoque sequendam esse, ne homini omnibus virtutibus carenti innumerabiles virtutes tribuamus.

II) Humanitas in primis ubique observanda est, v. c. humanius est: *Quod tibi rex munus tam amplum credidit, non tam tibi quam toti civitati* vel *reipublicae gratulor, quae quantum utilitatis ex tua prudentia et amore patriae capturа sit, jam animo praevideo* etc., quam simpliciter: *gratulor tibi munus a rege acceptum.* Sic, si quid petimus ab aliquo, cum conditione petendum est, v. c. *si digni simus, si fieri possit, si nihil molestiae ei, a quo petitur, creet* etc. Sic, si recusare aliquid cogimur, hoc ita faciendum, ut adpareat, nos invitos recusare, v. c. addenda est *tristitia, qua adfici nos dicimus, quod non potuerimus* vel *non possimus negotium aliquod suscipere* etc. Et quis omnia signa humanitatis memorare queat? Cf. supra cap. de *suavitate.* In primis decet ubique de nobis nostrisque viribus ingenii et virtutibus modeste loqui, nos non laudare; item nos, quantum fieri potsit, accommodare ad ejus, cui scribimus, gustum et intelligentiam, ne v. c. aliquid vehementer laudemus, quod ille vehementer oderit, vel vituperemus valde, quod ille impense amet, vel de re multa loquamur, quam ille non intelligit etc. Sed haec omnia nemo scit, atque ita se accommodare ad ea potest, nisi, qui eos, ad quos scribit, satis novit. Quotus vero quisque est, cui haec cognitio ubique contingat?

III) Observantia erga superiores, in primis viros summa dignitate summaque honorum amplitudine conspicuos, nunquam negligenda est. Licet enim nonnunquam hi ipsi dicant, se istam observantiam repudiare, nosque adeo jubeant secum ita loqui, ut cum nostris familiaribus: tamen haec verba curare non semper debemus, si quidem prudentes esse volumus. Quare v. c. ne facile dicamus: *Iterum scribo ad Te* vel *scripsi ad te, Comes Illustrissime,* vel cum Cicerone: *ad te scribendum putavi;* sed v. c. *ad Te scribere ausus sum, audeo; pietatis meae esse duxi, pietas a me flagitabat; officium postulabat; pietati meae denegare non potui,* vel simile

quid. Hinc consuetudini cedendum, a qua saepe pendet observantia; hinc honorum nomina s. titulos, ut vulgo vocant, negligere vel latinius exprimere non debemus; sed morem sequi. Nam in colendis hominibus non quaeritur, quam latine, sed quam observanter, loquamur. Si quis tamen ista interdum bene latine, ac simul observanter, et vero etiam perspicue exprimere sciat, ejus judicio res relinquenda est. Nec causam video, cur non illa abstracta, v. c. *Serenitas, Excellentia tua* etc., a nobis usurpari possint. Non enim vivimus amplius in republica romana, ubi omnes erant pares, et ne *dominum* quidem quemquam adpellabant, sed tantum dicebant v. c. *Tu, Caesar; Tu, Cicero* etc. Et Cicero, si nostris temporibus viveret, aliter etiam in talibus rebus scriberet. Hinc nec cum Cicerone initio epistolae scripserim v. c. *Ioannes Fridericus N. N. S. P. D. Comiti Illustrissimo*, nec *Comiti Illustrissimo salutem plurimam dicit Io. Fridericus N. N.*, sed *Comes Illustrissime* etc. Alia ratio est nostrae aetatis, alia fuit Ciceronis. Sic et observantius est dicere *Tibi me*, quam *me Tibi* etc. Multa tamen hic vertuntur tum in eo, qualis sit is, ad quem scribimus, an sit modestus et a superbia alienus, an nos secum malit per literas colloqui familiariter Ciceronisve more, quam observanter more recepto, tum in necessitudine ac relatione, qua cum aliquo conjuncti sumus. Qui si est nobis conditione par vel fere par, si ipse nobis multa debet, nos illi nihil debemus, plus permittitur, quam si res aliter habet.

IIII) In epistola delectus et ordo verborum debet esse curatior quam in sermone: licet in utroque idem dicamus. Nam sermo s. colloquium cum praesente, ubi finitum est, mox evanescit, et is, qui nobiscum collocutus erat, non recordatur semper post aliquod tempus, *qualia verba* et *qualem eorum ordinem* tum usurpaverimus. At epistola saepe servatur: ac saepe fit, ut aliquoties perlegatur, ut adeo, si quid negligenter scriptum sit, id, nisi in prima, at in repetita lectione animadvertatur. It. epistola ostenditur interdum aliis, qui judicare possunt etc. Omninoque plus diligentiae in epistolis exspectatur, quam in sermone cum praesentibus, quia illic plus temporis conceditur, quam hic. Sed ornamenta oratoria, figurae etc., absint: nam epistola sermoni vulgari longe similior est, quam orationi.

V) Finis epistolae non debet facile esse: *Cura, ut valeas*, non, tanquam per se hoc reprehendendum sit, sed quia nimis

mis vulgaris est haec formula, et sapit nimiam imitationem Ciceronis. Sic constat inter eos, qui bene latine scribere creduntur, subscriptionem nominis cum contextu epistolae non cohaerere debere: v. c. rejiciunt hoc; — *mihi tribuas, qui perpetuo manebo, Comes Illustrissime*, vel *Vir Illustris, tuo nomini illustri addictus N. N.*, sed ita malunt poni: — *mihi tribuas.*

Comes Illustrissime vel *Vir Illustris* etc.
Tuo Nomini Illustrissimo vel *Illustri*
addictissimus
N. N.

In ejusmodi rebus, per se non magnis, multum valet mos receptus. Et hunc sequi debemus, si offendere nolumus. Attamen equidem non video, cur subscriptio nominis cum ipsa epistola non cohaerere bene possit, praesertim cum more epistolarum francogallicarum per hanc connexionem non parum observantiae humanitatisque declarari possit.

VI) In adjectivis muneris amplitudinem, generis splendorem etc., indicantibus, quae vulgo *titulum honoris*, *den Titel*, *die Titulatur*, adpellant, servanda est magis consuetudo, quam elegantia styli Ciceroniani, si haec cum illa apte conjungi non potest. Offendimus animos hominum, si ipsis honoris titulum consuetum et solennem non tribuimus, quia cum hoc titulo conjunctus est honoris gradus, ordo et locus, quo in conventibus hominum fruuntur. Adponam hic aliquot ejusmodi Adjectiva s. honoris titulos, prout vulgo usurpari solent:

1) ad *Regem* ab initio epistolae ita scribitur:
Rex Serenissime ac *Potentissime*,
Domine longe Indulgentissime,
et in fine epistolae iterum:
Rex Seren. et *Potentiss.*
Dom. longe Indulgent.
Nomini Tuo Augustissimo
devotissimus
N. N.

Ita et ad *Imperatorem romanum*, nisi quod post *Potentissime* etiam addi solet *Invictissime*.

2) ad *Principes Electores*, *Duces*, *Landgravios*, *Marchiones*, *Principes*:

Princeps Elector (Dux, Marchio, Princeps) Sereniſſime,
Domine Indulgentiſſime,
et in fine iterum:
Princeps Elector (Dux, Marchio etc.) *Sereniſſime,*
Domine Indulgentiſſime,
Nomini Tuo Sereniſſimo
devotus vel etiam *devotiſſimus*
N. N.

NB. Nonnulli, ſi ad Electorem Principem ſcribunt, addunt etiam *Potentiſſime* poſt *Sereniſſime.*

3) ad *Comitem Imperii* vel etiam *Comitem* in univerſum:
Comes Illuſtriſſime,
Domine (Maecenas) Gratioſiſſime, it. vidi *Clementiſſime* etc. qui duo verſus in fine repetuntur, deinde ſequitur:
Nomini Tuo Illuſtriſſimo
devotus vel *addictiſſimus*
N. N.

4) ad *Nobiles: Perilluſtris* etc. Si vero ſummo reipublicae munere funguntur, quales nobis ſunt ii, qui *Status Miniſtri* adpellantur, dicitur etiam: *Illuſtriſſime.* Et in fine: *Nomini Tuo Perilluſtri* vel *Illuſtriſſimo*
devotus vel *addictiſſimus*
N. N.

5) ad eos, qui *non ſunt nobiles*, varie ſcribi ſolet pro munerum ratione. Qui munere funguntur eo, quo alioquin nobiles fungi ſolent, vel qui inter eos, qui non nobiles ſunt, ampliſſimum munus adminiſtrant, quales ſunt *Conſiliarii*, ad eos ſcribitur: *Vir Illuſtris* (vernacule *Wohlgeborner*). Deinde ſequuntur vulgo *Praenobiliſſime* et *Nobiliſſime*, quae duo adjectiva creduntur vulgo reſpondere vernaculis *Hochedelgeborner* et *Hochedler*, it. *Hochwohledler* vel *Wohledler*. Hic quisque videre debet, quid cuique conveniat. Regnat enim in hoc genere magna confuſio. Alterum verſum quisque pro relatione, quae inter ipſum eſt et inter eum, ad quem ſcribet, adponere debet; v. c. *Vir Illuſtris* vel *Praenobiliſſime, Patrone* vel *Fautor magni aeſtimande:* ſic et in fine uterque verſus repetitur, et pro relatione vel neceſſitudine varie ſubſcribitur, v. c. *Tuo Nomini Illuſtri addictiſſimus* vel *addictus;* ſi ad inferiorem ſcribitur, interdum ſic clauditur: *Tui ſtudioſiſſimus*, omiſſis duobus iſtis verſibus. Habemus et *Excellentiſſime, Celeberrime*, quae nonnulli v. c.

Pro-

Profeſſoribus Academiarum tribuunt; it. *Praecellentiſſime;* it. *Ampliſſime* et *Conſultiſſime*, quorum poſterius Iureconſultis ſolis, prius et his et interdum aliis, tribuitur. Cuinam enim proprie conveniat τὸ *Ampliſſime*, nemo certo ſcit; it. *Experientiſſime*, quod *Medicis* tribuitur.

6) ad eos, qui munere *Sacerdotum* funguntur, quo pertinent quoque *Equites* et *Maltenſes* et alii ſimiles, ita vulgo ſcribitur:

a) ad *Papam romanum: Sanctiſſime Pater.*

b) ad *Cardinales: Eminentiſſime* etc.

c) ad *Archiepiſcopos* et *Epiſcopos: Reverendiſſime* etc.

d) ad *Conſiliarios eccleſiaſticos* et *conſiſtoriales*, *Superintendentes generales* et alios quoque *Superintendentes:* it. *Profeſſores Theologiae academicos: Vir ſumme venerabilis et doctiſſime.*

e) ad *Inſpectores* ſ. *Superintendentes* in minoribus oppidis (titulus enim hodie ſaepe variat pro oppidi vel parvitate vel magnitudine), *Archidiaconos* in majoribus oppidis et *Paſtores oppidanos: Vir maxime venerabilis et doctiſſime* etc.

f) ad *Archidiaconos* minorum oppidorum, *Diaconos*, *Paſtores* rure degentes eisque fere ſimiles: *Vir plurimum reverende et doctiſſime* etc. Haec poſui, prout more recepta vidi. Quae ſi cui non placeant, is non me ſed morem debet reprehendere.

VII) Initium epiſtolae Cicero interdum facit per formulam *Si vales*, *bene eſt*, *ego quidem valeo:* qua vulgari formula qui inter amicos uti volet, ei non invidendum eſt. Alii ſtatim a re ipſa initium fieri volunt; nec hoc iniquum eſt, praeſertim inter amicos. Interdum per ambages quasdam ad rem perveniri ſolet, v. c. ſi quid petitur, quod difficile videtur impetratu, vel ſi qua res tractatur, cautionem poſtulans.

VIII) Qui latine ſcripſit ad aliquem, is ne *titulum externum*, ut vocant, ſeu *inſcriptionem*, *die Aufſchrift*, latinis verbis ponat, ſed, more ac ſimul perſpicuitate ita jubente, francice, v. c. *A Son Excellence* etc. aut *A Monſieur* etc. Nam quid ei, qui epiſtolam reddit, opus eſt ſcire, eam eſſe latinam? Imo non ſatis recte tradet, ſi inſcriptio latina eſt, quia eam fortaſſe non intelligit.

Cetera in latinis epistolis aeque observantur atque in theodiscis: v. c. ut *titulum externum* s. *inscriptionem* non eidem plagulae, qua literae ipsae continentur, imponamus, sed alii chartae, illi circumdatae, s. *involucro*, vulgo *Couvert*. Postulat hoc et humanitas et necessitas. Potest enim epistola isto involucro carens in aperiendo facile scindi. Tectior quoque est epistola involucro instructa, nec periculum est, ne quis furtim eam legat.

SECT. VI

De libellis ad doctrinam pertinentibus.

Scribuntur et saepissime libri vel libelli, in quibus materia ad doctrinae partem aliquam pertinens tractatur, v. c. dissertationes, programmata etc. De his multa dici nequeunt, quia, qui ad tales libros scribendos accedunt, ipsi sine cortice, ut ajunt, natare sciunt. Tironum causa monebimus tantum, in ejusmodi libellis servandam esse perspicuitatem, suavitatem, interdum gravitatem dicendi.

Addamus paucas cautiones:

1) Hic non ea exornatione argumentorum opus est, quae in orationibus postulatur. Lectores enim sunt eruditi; et hi per se possunt argumentorum pondera aestimare et metiri, modo perspicue et ordine tradita sint.

2) Abstinendum est ab adfectibus commovendis. Res est simpliciter proponenda et causis confirmanda. Figurae itaque gravitati servientes pleraeque vel vitandae vel saltem modice adhibendae. Lector eruditus vult argumentis vinci, non verborum lenociniis abripi: imo haec ei timorem injiciunt, ne forte decipiatur. Exspectat ille explicationem et confirmationem rei, non commotionem animi. Si tamen res gravis immiscetur, gravitas dicendi adsumenda est. Tum commotio animi non plane abesse potest.

3) Verborum simplicitas, cum justo eorum ordine et tum verborum tum enuntiationum apta connexione, in primis commendanda est. Quo enim major est verborum ornatus, eo suspectior est res, quam tractas. Et ista simplicitas in libris dogmaticis tam necessaria, forsitan est illa *grata negligentia*, quam multi, auctore Cicerone, laudant: scilicet

cet grata est, quoad magis rerum quam verborum curam habuisse scriptorem adparet. Et hoc facere est omnium eruditorum de rebus ad aliquam eruditionis partem pertinentibus scribentium.

Haec de elaborationibus. Sunt et alia scriptionum genera, v. c. *dialogi* et *inscriptiones*, quales in marmoribus priscis exstant. At raro ejusmodi res hodie occurrunt. Ac, si quis sermonis vulgaris peritus est, hominum animos satis cognovit, non ingenio caret, ac praeterea perspicue, graviter et suaviter scribere didicit, is, ut in aliis rebus, ita in dialogis conscribendis non infelicem operam praestabit, dummodo materiam, cui par sit, tractare velit. In inscriptionibus spectatur brevitas et acumen. Materia praebetur ab ipsa re, quae inscriptione ornanda est, v. c. ab aedificio publico, vel ab homine, cujus memoria inscriptione v. c. in statua etc. conservari debet.

APPENDIX III

DE VARIIS DIVISIONIBUS GENERUM DICENDI APUD PRISCOS MEMORATIS

Cum in libellis rhetoricis vulgo variae generum dicendi partim a recentioribus, dividendi studiosis, partim a priscis inventae et a recentioribus, ut fit, conservatae et retentae divisiones memorentur: nos etiam tres illas divisiones priscorum, quamquam earum utilitatem non magnam esse credimus, tamen, quia putatur nihil ignotum esse debere et ne huic libello aliquid deesse credatur, memorandas hic esse duximus.

SECT.

SECT. I

Prima divisio.

Prima divisio est in *genus dicendi* (vel potius *causarum*, sic Cicero, h. e. materiae) *demonstrativum*, *deliberativum*, et *judiciale*. *Primum* dicunt versari in *laudando* vel *vituperando*: *Alterum* in *suadendo* vel *dissuadendo*; *Tertium* in *accusando* vel *defendendo*. Sed fortasse suavius erit, Ciceronis ipsius explicationem horum trium generum legere. Sic igitur ille Invent. I, 5 ait: *Aristoteles autem, qui huic arti (oratoriae) plurima adjumenta atque ornamenta subministravit, tribus in generibus rerum versari rhetoris* (i. e. *oratoris*) *officium putavit, demonstrativo, deliberativo, judiciali. Demonstrativum est, quod tribuitur in alicujus certae personae laudem aut vituperationem. Deliberativum est, quod, positum in disceptatione et consultatione civili, habet in se sententiae dictionem. Iudiciale est, quod, positum in judicio, habet in se accusationem et defensionem aut petitionem et recusationem. Et, quemadmodum nostra quidem fert opinio, oratoris* (romani) *ars et facultas in hac materia tripertita versari existimanda est.* Cicero hic loquitur non de tribus generibus dicendi in universum, sed de *materia tripertita*, in qua orator romanus tempore reipublicae liberae versari solebat et debebat. Et ipsa nomina *deliberativi* et *judicialis* docent, non nisi de oratore sermonem esse, qui vel deliberandi causa pro rostris stat, et legem aut suadet aut dissuadet, it. in curia senatum ad rem impellere studet, vel in foro judicibus persuadere cupit, ut nocentem condemnent, innocentem absolvant, eive, cui bona erepta sint, restituant etc. Recte igitur ista divisio cadit in illa tempora et in illum statum reipublicae. Temporibus Caesarum, cum oratoribus non amplius liceret reipublicae consulere, cum populo de legibus agere etc., elo-

eloquentia non amplius erat deliberativa, sed tantum judicialis; tandem et in judiciis auctoritatis suae magnam partem amisit. — Quaeritur igitur, an ista divisio nostris temporibus utilis sit. Sunt, qui eam non omni utilitate carere putent. Recte. Nihil enim est, quod non quodam modo saltem prosit. At non quaeritur, an quodam modo prosit, sed an ea carere plane possimus. Solent quidem et hodie oratores laudare, reprehendere, suadere et dissuadere, it. defendere aliquid: sed quo jure haec possumus vocabulis generis demonstrativi, deliberativi, et judicialis insignire? Memoria tironum vocabulis, quorum utilitas est vel nulla vel parva et quibus carere illi possunt, non obruenda est: praesertim cum rerum hodie discendarum sit tanta multitudo, ut ad omnes vix tempus suppetat, et ut magis utiles et necessariae praeferendae sint minus utilibus et minus necessariis.

SECT. II

Altera divisio.

Altera generum dicendi *divisio* est in *tenue*, *mediocre*, vel potius *temperatum*, et *sublime*. Difficile est singulorum, praesertim duorum priorum, characterem accurate definire, a) quia antiquitas nos de eo non satis erudiit, b) quia Cicero obscure et varie loquitur in Oratore; ubi cap. 23 tractat *submissum et humilem oratorem*, cui tenue dicendi genus videtur convenire; et cap. 28 loquitur de *tertio illo amplo*, *copioso*, *gravi*, *ornato*, cui sublime genus convenire videtur; et cap. 26 extr. et cap. 27 inter utrumque interjicit medium quoddam, quod sit *uberius humili* et *submissus amplissimo*, quod temperatum genus dicendi adpellare possis. c) quia vocabula ipsa sunt male lecta: nam *tenue* et *mediocre*, de quo Cicero cum laude loquitur, alibi in contemtum dicitur *schlecht*, *mittelmäßig*:

mäßig: deinde non *dicendi genus* est *tenue, mediocre, sublime*, sed *materia*, quae tractatur, est *tenuis, mediocris, sublimis:* ut adeo rectius dicatur *oratio de rebus tenuibus, mediocribus, sublimibus.*

Hoc triplex genus, prout intelligo ipse, paucis explicabo.

1) *Tenue*, quod Cicero etiam vocavit *subtile, submissum, enucleatum, humile (submissus* et *humilis orator* Cic. Or. 23 in.), fortasse melius dicatur *simplex* s. *ornatu carens*, pertinetque ad *res tenues* h. e. ornatum non capientes s. in quibus oratori non licet ornamenta et lumina addere et adfectus excitare, sed ubi tantum rem subtiliter et eleganter, h. e. recte, accurate, perspicueque narrare et explicare debet: brevius: ubi nihil aliud quaeritur, nisi ut lector auditorve rem *sciat* et *veram esse credat.* Quaeritur igitur, ubi istud simplex dicendi genus s. tenue, si ita vocare mavis, usurpandum sit. In rebus, ubi non nisi veritatem adparere volumus, neque animos aliorum commovere cupimus, v. c. 1) in *narrando*, si hominibus rem narramus, quae ad ipsos non pertinet, neque eorum animos tangere et movere potest, quam vulgo vocant *rem indifferentem*, et in qua narranda nihil aliud studemus efficere, quam ut illis nota fiat, v. c. quando nobis res Americanae, Africanae etc., narrantur. 2) in *genere dogmatico*, quando v. c. locum biblicum, locum scriptoris prisci, praecepta logica, metaphysica, physica etc. explicamus, idque eo animo, ut sensus illorum intelligatur. In quibus omnibus non licet ornamentis rhetoricis, locis communibus, exclamationibus, interrogationibus crebris, anaphora etc. uti: quia tota ista res ad mentem, non ad animum, pertinet h. e. volumus *erudire*, non *movere.* Istis ornamentis videremur animum legentis vel audientis occupare et decipere velle. 3) in *dialogis*, omninoque, ubi sermonem quotidianum imitamur, v. c. in Comoediis. 4) si de rebus parvis loquimur h. e. vulgaribus: quales interdum orationi ornatissimae quoque immiscentur: non omnes enim res possunt esse graves ac magnae. Sed puerile foret in rebus parvis uti ornamentis. Hac tenui h. e. simplici oratione et tractatione usi sunt Caesar, Nepos, itemque Cicero in libris oratoriis et philosophicis: hi sunt enim dogmatici: interdum etiam in orationibus; it. Livius saepe simpliciter narrat ac sine ullis ornamentis. Hac simplici rerum tractatione, modo recte et loco adhibeatur, nihil est suavius: hinc patet, quam

indigne

indigne ea adpelletur *tenuis;* ac nemini in mentem potuisse venire, ei illud nomen contemtionis plenum tribuere (nam *tenuis* proprie non de laude dicitur), nisi ei, qui, copiae dicendi et aliis ornamentis ad ubertatem verborum et adfectus excitandos spectantibus adsuetus, contemnat ac pro rebus *humilibus* habet omnia ea, in quibus non copia dicendi summusque ornatus regnet. Et tales fuere Graeci: talis fuit eorum discipulus Cicero: quem deinde secutus est Quintilianus cum aliis. Bonus Cicero pro excellenti ingenio, quo instructus erat, interdum ipse sensit, quam laudabilis esset ista simplex ratio dicendi. Extollit eam valde interdum: sed praeceptis Graecorum adsuetus et aliorum opinione abreptus illam interdum deprimit, atque interdum de ea ita loquitur, ut, quid velit, ipse nescire videatur. Legatur ejus Orat. 23 — 26.

II) *Mediocre;* quod sic vel dicitur de *rebus mediocribus*, quas tractat (sed eae quae sint, definire non ausim) vel de ipsa tractatione, ut non tam sit ornatus expers, quam *tenue*, nec tamen tam ornatum, quam *sublime*. Cicero mire explicat Orat. 26 extr. dicens: *Uberius est aliud, aliquantoque robustius, quam hoc humile* (tenue), *de quo dictum est; submissius autem, quam illud, de quo jam dicetur, amplissimum* (sublime). *Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius quam hoc enucleatum* (tenue), *quam autem illud ornatum, copiosumque, submissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. In qua multi floruerunt* etc. Hoc non est explicare, non characterem definire. Cicero tantum dicit, *esse ornatius humili et minus ornatum quam illud amplissimum* h. e. forsitan *sublime*. Ego puto, si hic putare licet, Ciceronem per *mediocre* intellexisse *gravitatem illam dicendi*. Quia vero res alia alia gravior est, atque ita majorem copiam dicendi postulat, Cicero vero *tertium oratorem* (i. e. tertium genus dicendi) *amplum, copiosum, gravem, ornatum* adpellat Orat. 28 in.: hinc orationem, qua res minus graves tractantur, ad aliquod discrimen servandum, adpellavit *mediocrem*. Haud dubie Cicero melius feciset, si duplex tantum genus dicendi constituisset, unum simplex, alterum ornatum: ac deinde hic dixisset, alterum tamen altero esse ornatius et copiosius pro ratione materiae. — Mirum est, has divisiones omnes esse tripertitas, quasi in numero ternario aliquid praecipui vel perfecti insit. *Mediocre* igitur s. *temperatum genus dicendi* magis perspicue diceretur *genus dicendi paulo orna-*

ornatius h. e. quo non modo res explicatur, sed etiam tropi pulchri, concinnitas membrorum etc., et figurae quaedam ad adfectus modice excitandos usurpantur; quo pertinet parcus usus exclamationis, anaphorae, aliarumque figurarum talium. Sic Cicero scripsisse videtur saepe in libris philosophicis, v. c. in descriptione naturae et corporis humani de Nat. D. II, it. in libris Rhetoricis passim; it. Livius etc.

III) *Sublime dicendi genus* s. *oratio sublimis* dicitur tropice pro *oratione de re sublimi.* Non enim *oratio*, h. e. verba, est *sublimis*, neque ita genus dicendi est sublime, sed *res* solae sunt sublimes. Si quis vero oratione sublimi sine re sublimi uti audet, atque de re aliqua parva ita loquitur, tanquam sit sublimis, hoc vocatur *frigus*, *tumor: frigus*, quia animi non moventur et incenduntur: *tumor*, quia in verbis magnificis nihil inest, velut in tumore proprie dicto nihil solet inesse. — Iam, si quaerimus, *quid sit sublimitas orationis* et *quomodo efficiatur*, debemus antea quaerere, *quid sit res sublimis.*

1) *Quid est res sublimis?* *Sublime* est proprie id, quod versatur in aëre atque ita supra homines. Hinc *sublimis abiit* de Romulo ap. Liv. I, 16 i. e. *in coelum abiit.* Res itaque *sublimis* est proprie *ea, quae in homines ob difficultatem non cadit;* atque ita proprie tantum de *divinis factis* dicitur: deinde, si de hominibus usurpatur, dicitur, est res ea, quae ob difficultatem summam perrara est, quae fere a nemine, saltem a pauciſſimis quibusque, effici potest, atque ita se quasi eximit numero rerum humanarum consuetarum, seque e circulo mortalium altius tollit: et homo, talem rem patrans (si quidem homo eam patrare potest dici), supra ceteros mortales se tollit ac sublimis exstat. Inter ejusmodi res sublimes, quae semper bonae esse debent, referendus est in primis contemtus earum rerum, quae mortalibus vulgo tantae curae sunt, ut ab iis plane pendeant, in iis felicitatem vel infelicitatem summam ponant, easque adeo instar deorum venerentur ac timeant, v. c. *divitiarum*, *honoris* (quo *existimatio, opinio* hominum bona etc., simul pertinet), *offensionum gravium* et *mortis.* Hae quatuor res a mortalibus ita magni fieri solent, ut eum, qui istas contemnere possit, pro stulto vulgo habeant et aperte, ut amentem, derideant, et contra eum, qui illas cum vulgo magni faciat et laudet, pro prudente habeant et vere naturaeque convenienter judi-

care

care atque agere credant. Perraro igitur propter harum opinionum consuetudinem et propter cupiditatem ipsam hominibus insitam accidere, ut homo istas res contemnat, quis dubitet? Provoco hic ad diuturnam experientiam hominum prudentium et serum. Iam, si quis eo fortitudinis pervenit, ut eas res vere ac cum constantia quadam contemnere queat, magna pars hominum stupet, admiratur, et sublimem rem ab eo actam esse credit, praesertim si ipse non amplius est in vivis, quia plerumque eos, quorum virtus vera ipsorum aetate deridebatur vel contemnebatur, posteri demum admirandos colendosque putant. Sic, quod Socrates mortem et divitias contemsit, haec res fuit sublimis. Sed in judicanda hac re magna cautio est, ne omnem istum contemtum statim pro re sublimi habeamus. Debet is esse verus, voluntarius, et cum difficultatibus non mediocribus conjunctus. Nam, si quis 1) divitias et honores tandem contemnit, quia has res nunquam se consecuturum esse videt, aut quia eas haud novit nec usurpare scit; aut, si quis vel senex vel morbo diuturno gravique confectus mortem contemnit, quia effugere hanc non potest, aut vitae taedio captus est; aut si quis offensiones v. c. superiorum, quia se ulcisci non potest, contemnit, talis contemtus non est res sublimis, saltem nondum certum est, esse rem sublimem, quia non est difficilis. Contemnere enim, quod non novimus aut non consequi nos posse scimus (sic vulgo contemnimus regna) vel mutare non possumus, non difficile est. Talis contemtus non est verus, non voluntarius. Saltem non certum est, eum esse verum ac voluntarium. Sic 2) si quis vel divitias, quia jam ditissimus est, vel honorem, quia eo jam abunde ornatus est, vel vitam, quia diutissime vixit aut molestam vitam gerit, vel offensiones graves, quia jam saepe ultus est aut timido, ignavo, lentoque est ingenio, omnes omnino injurias ferente, contemnit, hoc itidem non difficile, atque ita non sublime est. — At, si quis pauperrimus divitias sibi honeste oblatas spernit, atque paupertatem illis sua sponte et cum judicio praefert; si quis gravissime laesus, cum potestatem sui ulciscendi vere habeat, tamen se ulcisci non vult, imo inimicos beneficiis sua sponte cumulat; si quis adolescens, sanitate corporis fruens, in honore et divitiis vivens, mortem sua sponte ac libenter ob bonum publicum subit, hae sunt profecto res sublimes. Sic Curius, pauperrimus ille consul, repudiata illa immensa vi pecuniae; sic Camillus et Fabius Cunctator, opem ferentes, ille Romae, a qua praeter dignitatem in exsilium ejectus erat, hic Minucio,

a quo graviſſime laeſus erat, cum uterque ſe egregie ulciſci poſſet; ſic Decii conſules, morte pro patria ſua ſponte ſubeunda etc., vere declararunt, ſe eſſe *ſublimes*, vereque ſublimes res geſſerunt h. e. tales, quales non facile homo patrare poteſt.

2) *Quando igitur oratio eſt ſublimis?* Quando per eam manifeſto adparet, rem, quae tractatur, eſſe vere maximam, extraordinariam, ac ſublimem h. e. talem, ut raro eam quisquam hominum perficere poſſit, atque adeo ut vix credibile ſit, hominem tale quid efficere valuiſſe.

3) *Quomodo id efficitur?* Poteſt hoc ſaepe per ſimplicem orationem fieri: ſic v. c. Moſes ſingularem magnitudinem potentiae divinae egregie declarat his verbis ſimplicibus, ornatuque rhetorico omni carentibus: *Et deus dixit: fiat lux: et facta eſt lux.* Scriptor vel orator debet modo rei magnitudinem vere non tantum ſentire, ſed etiam intelligere h. e. adtributa et ſigna certa magnitudinis ſcire et ea recitare. At, quia *primum*, qui de magnis ac ſublimibus rebus loquitur, mota eſt ſemper mente, cujus enim animum non commoveat res extraordinaria? *deinde*, quia auditor lectorve non ſemper veram magnitudinem rerum magnarum et extraordinariarum paucis, iisque ſimplicibus, verbis expreſſam, ſentit; in primis imperiti homines de plebe, qui, ut de honeſtate veſtis plerumque ad honeſtatem viri, atque adeo ad doctrinae magnitudinem, famae celebritatem etc., concludere ſolent, ſic magnam rem ſimplici verborum forma expreſſam non facile ut magnam rem agnoſcere poſſunt: hinc ſolent plerumque ſcriptores, rei ſublimitatem tractantes, omnia ea adhibere, quibus magnitudo rei vel imperitiſſimo apparere poſſit, et 1) ſingula magnitudinis ſigna ſeu argumenta late copioſeque exponere, comparationibus illuſtrare, argumentationibusque gravitatem adjuvare etc.: 2) figuras, quae gravitati rerum indicandae ſerviunt, et, ut animum dicentis commotum declarant, ita animos auditorum commovere poſſunt, adhibere: 3) periodica verborum concluſione, numeroſaque collocatione, item vocabulis productioribus et ſonantioribus uti etc., ut de vocis ſubſidio nihil dicam. Sed iſta omnia ſatis jam ſupra in P. II cap. 2 de *gravitate* dicta ſunt. Ac forſan *grave* nihil eſt niſi *ſublime*. Certe Cicero Or. 28, ubi de tribus generibus dicendi agit, poſtquam de *tenui* et *temperato* dixit, tandem de tertio dicturus ait: *Tertius* (i. e. orator, atque ita tertium

dicendi

dicendi genus) *est ille amplus, copiosus, gravis, ornatus, in quo profecto vis maxima est. Hic est enim, cujus ornatum dicendi et copiam admiratae gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum* etc. *Hujus eloquentiae est tractare animos, hujus omni modo permovere: haec modo perfringit, modo irrepit in sensus, inserit novas opiniones, evellit insitas.*

Ceterum ex iis, quae diximus, patet,

1) neminem posse sublimi oratione uti, nisi re sublimi utatur: et stulti sunt, qui antea de illa quam de hac cogitant. Tirones citius et crebrius debebant rebus magnificis et sublimibus cognoscendis, cogitandis, et secum meditandis assuefieri, ut magnos generososque sensus mature imbiberent, quam de sublimitate orationis erudiri eave exerceri. Qui multas res sublimes novit, easque satis intelligit et sentit, ei non difficile est sublimiter dicere. Qui carens rebus magnificis et sublimibus de rebus vulgaribus magnifice et sublimiter loquitur, is *frigide* et *tumide* loqui dicitur, quia oratio ejus omni vi caret: *frigide*, quia auditores frigent h. e. eorum animus non commovetur; *tumide*, quia verba quidem sunt magnifica, sed in iis nihil inest magnificae rei.

2) neminem posse rem sublimem pro ejus dignitate explicare, atque ita vere sublimiter loqui, qui eam non plane ex omnibus partibus atque pro dignitate cogitare ac sentire queat. Moses sensit sublimitatem potentiae divinae: hinc dicere poterat: *Et deus dixit: fiat lux: et lux facta est.* Manifestum vero est, non quemlibet sentire magnitudinem et sublimitatem rei alicujus. Is proprie tantum, de mea sententia, vere eam cogitare et sentire potest, qui eandem vel similem rem efficere valeat. Nemo rem bello praeclare gestam recte sentit et cogitat, nisi qui talem vel similem gesserit vel gerere possit. Hannibalis transitum Alpium, rem semper admirandam, nemo recte cogitare atque ita recte describere potest, nisi qui similem rem tentaverit. Heroa magnum nemo, nisi heros magnus, magnum philosophum, magnum poetam etc. nemo, nisi magnus philosophus, magnus poeta etc., recte cogitare et recte laudare potest. Sic summam alicujus modestiam, liberalitatem aliamque summam virtutem, nemo recte cogitare, explicare, illustrare et laudare potest, nisi eadem sit instructus. Nam quomodo, quaeso, magnam rem cogitare et laudare possum, quam ipse non plane h. e. per experientiam novi? nam sine hac illam non recte novimus. An de vitiis idem dicendum, neminem scilicet posse vitia

magna, scelera ac flagitia, satis cogitare, explicare, et vituperare, nisi qui iis inquinatus fuerit, hic inquirere non est hujus loci. Hinc vero etiam intelligitur, quam pauris proprie facultas res sublimes pro dignitate exponendi, atque ita sublimi dicendi genere utendi possit contingere. Cum vero plerumque explicatio et exornatio sublimium rerum ad eos venire soleat, qui eas vel similes non patrarunt, nec patrare possunt aut volunt, nos autem res sublimes legere valde cupiamus: humanitatis utique est aliquid remittere, et istam facultatem iis quoque quodam modo concedere, qui, etiamsi non sublimes gessere vel gerere possunt, tamen primum generosum animum, qui illarum magnitudinem quodam modo capere ac sentire queat, et ingenii magni et praeclarae educationis et exemplorum magnorum, ad quae se fingere diligenter studuerunt, et experientiae diuturnae ope aliisque rebus consecuti sunt: deinde, qui virtutum omnium vere amantissimos et vitiis vere inimicissimos se praestiterunt et praestare adhuc gaudent: tum, qui magnis et sublimibus rebus, sedulo et accurate cognoscendis, earumque rationi et fontibus diligenter investigandis omnem operam dederunt, sibique istas res ab iis, qui explicare possent, explicandas studiose et saepissime curarunt, atque istis rebus meditandis, ponderandis, et cum judicio admirandis adsueverunt. At quisque prudens fatebitur, hanc tamen explicationem exornationemque semper imperfectam manere. Quis vero in hoc mundo aliquid perfecti omnibusque numeris absoluti exspectet? Sed longe alia res est, quando fictae res sublimes tractantur: quales interdum tradunt poetae. Hic scriptor sublimitatem ipse sibi talem finxit, qualem mens ejus cogitare et capere poterat; hancque in rem adtributa et signa sublimitatis hinc inde collegit vel pro libidine posuit. Sed, quod quis ipse finxit, id facilius tractare potest; quia primum nemo facile materiam fingit, cui non par sit: deinde ista res, quam ut grandem et sublimem proponit, non est in rerum natura, sed in scriptoris mente: hinc nemo lectorum de ejus ratione satis judicare potest. Sed, an sublimitas ficta, licet egregie tractata sit, magnam utilitatem lectorum animis adferre queat, aliis judicandum relinquo. Mihi quidem videtur tantum *delectare* posse, non *prodesse*, nisi delectationem quoque prodesse dicas.

3) Raro in rebus humanis rem sublimem, quae tractari possit, occurrere: nisi velis fictionibus uti. Ac profecto in fabu-

fabulis romanensibus major multitudo rerum sublimium occurrit, quam in tota historia. Fingere enim quid non potest ingenium humanum? At, quid prosunt fictae res sublimes? Sed in deo est vera, propria, ac perpetua sublimitas: ejus res gestae sunt omnes sublimes, eaeque proprie.

4) Non facile orationem posse totam esse sublimem: quia non omnis materia, quae rei magnae illustrandae adhibetur, est sublimis, v. c. comparationes; deinde quia animus auditorum nimis defatigaretur, si eum orator perpetuo commovere studeret. Imo continua sublimitas vim suam tandem perderet. Omnia enim magna, si iis nimis adsuescimus, amittunt magnitudinis aliquid et incipiunt vulgaria fieri. Hinc variatione utendum, et interdum simpliciter et sine isto magno ornatu dicendum. Hoc Cicero in Oratore recte praecipit: v. c. cap. 28 *Qui enim nihil potest tranquille, nihil leviter, nihil partite, definite, distincte, facete dicere, praesertim cum causae partim totae sint eo modo, partim aliqua ex parte tractandae: si is non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos, et quasi inter sobrios bacchari vinolentus videtur:* et cap. 29 de se loquitur: *Fuit ornandus in Manilia lege Pompejus: temperata oratione ornandi copiam persecuti sumus. Ius omne retinendae majestatis Rabirii causa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarsimus. At haec interdum temperanda et varianda sunt.* In omni oratione occurrunt fere *tenuia, modica,* et *magna.* Vere igitur est eloquens, qui, ut Cicero ibid. ait, *humilia subtiliter,* h. e. sine ornatu, et *magna graviter* et *mediocria temperate* potest dicere.

5) Sublimem scriptorem et oratorem seu dicentem et scribentem de rebus magnis et sublimibus non pluris esse per se faciendum, quam eum, qui tenui oratione utatur h. e. de rebus ornatum non admittentibus simpliciter et sine ornamentis dicat vel scribat, quod ii temere credunt, qui e veste hominem judicare solent. Materiae enim ratio utrumque postulat. Imo ambo scriptores et oratores sunt boni ac pari honore digni, si quidem materiam suam bene tractant. Ambo mentis nervos debent intendere. Et profecto non minoris est artis in tempore ornatu abstinere, quam illo uti in tempore. Imo vero fortasse paulo majoris artis et difficultatis est ornatu abstinere, quam illum adhibere, atque ita fere facilius est de sublimibus, quam de tenuibus rebus dicere.

Nam 1) homines vulgo vel natura vel consuetudine quadam et ambitione ad ornatus studium valde propensi sunt, cum contra simplicitatem plerumque, nescio quo modo, contemnant, et de magnis rebus atque hominibus (v. c. regibus etc.) magis, quam de parvis loqui cupiant, atque ita magnas res malint exponere et describere quam humiles et tenues. Id quod videmus vel in adolescentibus, qui, si poeticen adtingunt, prius *Odas* concinnant, quam *elegias, fabulas aliave carmina.* Hinc vero etiam tot *tumores* etc. Sed, ad quod quis natura ducitur, id ei est facilius. 2) deinde res magnae et sublimes, si vere tales sunt, praebent tam largam de se dicendi materiam, et tot tamque luculenta signa atque argumenta continent, ut orator ea tantum observare et in luce clariori ponere debeat v. c. comparationibus etc., cum contra in rebus tenuibus saepe materia diu meditando conquirenda sit: id quod accidit Ciceroni in oratione pro Archia. 3) Magnae res per se commovent animum dicentis et scribentis. Mens vero commota per se loquitur: mens commota sapientis non nisi sapienter et graviter loquitur. Quod secus est in rebus tenuibus, ubi et animus et mens dicentis vel scribentis languida fere sit necesse est, nisi se ipsa interdum excitet et impellat. Hinc fugiunt vulgo homines tractationem rerum tenuium, v. c. narrationes etc. 4) tandem, qui in sublimi dicendi genere tractando interdum peccant, ii facilius veniam accipere solent, quam qui in tenui labuntur: quia vulgo creditur equo generoso lapsus facilius esse ignoscendus, quam ignobiliori, quasi longe facilius sit tenuiter quam sublimiter dicere ac scribere: scilicet pro recepta opinione, quo major res explicetur, eo difficiliorem esse, et, quo minor, eo faciliorem.

Ceterum hanc divisionem in *tenue*, *mediocre* s. *temperatum*, et *sublime genus dicendi* mancam et imperfectam esse monuit *Io. Guil. Bergerus.* Nec magnam inde utilitatem percipi video. Melius fortasse *genus dicendi* dividatur in *simplex*, h. e. ornatu carens, et *ornatum*, ubi deinde dici possit, aliud alio esse ornatius, prout res, quae tractetur, sit gravior alia: vel saltem, si vocabula recepta tueri placeat, in *tenue*, s. *submissum*, et *grave*, ubi addi possit, aliud alio esse debere gravius pro minori vel majori rei gravitate.

Nec

Nec forsitan vocabulo *sublimis* opus foret. Si tamen retinere placet, possit dici *sublimitas* esse summus gradus gravitatis. Forsitan etiam melius fuerit, in libris rhetoricis, omissis istis generibus dicendi, non nisi de rebus recte tractandis agere, et docere, quaenam sint proprie tenues, quaenam magnae vel maximae. Cicero ipse in libro praeclaro, qui *Orator* inscribitur, in explicandis istis tribus generibus ita se torsit, ut facile adpareat, istam divisionem, omninoque totam rem, ipsi non placuisse, neque tamen eum hanc divisionem, quam ipse inde a pueritia didicisset, et usu receptam omnibusque placere videret, refutare et abjicere ausum esse. Quotus enim quisque est, qui opiniones et distinctiones, quas inde a pueritia imbibit, ad quas se conformavit, quas omnibus probari videt, ad quas se omnes conformare et fingere solent, aperte oppugnare, in dubium vocare, vel negare audeat? Memorantur et alia genera dicendi v. c. *floridum*, *concitatum*, *moratum* etc., quae tantum virtutes quasdam generis cujusdam indicant. Sed quis tam innumerabilibus distinctionibus tirones torqueat? Hoc profecto est, eos a regia via ad semitas et deverticula et tandem sensim ad invia ducere.

SECT. III

Tertia divisio.

Tertia divisio est in genus dicendi *Asiaticum*, *Rhodium*, *Atticum*, quibus nonnulli addunt *Laconicum*, quod alii, Ciceronianae eloquentiae adsueti, omitti volunt, quia Lacones nunquam eloquentia usi fuerint, saltem non copiosa illa Ciceronis, cujus eloquentia omne genus dicendi metiri solemus. Tota haec res nititur maxime auctoritate Ciceronis in Bruto, quam Quintilianus aliique deinceps secuti sunt.

1) *Asia-*

I) *Asiaticum* dicunt fuisse omnium diffusissimum, copiosissimum, h. e. omnibus ornamentis sententiarum et verborum abundasse, et, quidquid ad res ornandas amplificandasque dici posset, complexum esse. Quale si fuit, haud dubie vitiosum fuit: est enim in rebus, etiam optimis, modus servandus. Cicero creditur Asiatico more locutus esse in Orat. pro Rosc. Am. de parricidio: sed fortasse culpa est in adolescentia ejus. Omnes enim adolescentes fervidi ingenii, recentes a praeceptis magistrorum, et ambitiosi, diffuse dicere solent, praesertim si primum dicunt: quia tum doctrinam et artem ostentare cupiunt.

Totam rem sic fere cogitare debemus. Si verum est, quod Cicero Brut. 13 narrat, Asiaticos eloquentiam ex Athenis hausisse, qua re nihil verisimilius est, quia ad metropolin cetera oppida et oppidula se conformare solent: non mirum est, Asiaticos, quo remotiores erant a matre sua, Athenis, ubi doctrina vigebat, et ubi presse accurateque loquebantur, quo minus doctrinae operam dabant, et quo minus occasio dabatur eloquentiae ostentandae, eo magis praecepta Athenis hausta sensim oblitos esse et eloquentiam in verbosam loquentiam commutasse. Omnis eloquentia pendet a doctrinae magnitudine, a praemiis et honoribus, quos exspectat, et ab exercitatione. Athenis erant viri doctissimi: hi regebant rempublicam, ut Cicero Romam: hi summis praemiis et honoribus adficiebantur, laudabantur etc.: hi propterea valde exercebantur. Haec omnia deerant Asiaticis: quid mirum, eorum eloquentiam non tam accuratam fuisse quam Athenienſium? Et omnes Asiaticos inter se non fuisse aequales h. e. verbis abundantes, per se credibile est, quemadmodum non omnes Attici oratores presse locuti sunt. Pendet enim haec res quoque ab ingenio, educatione, aliisque multis rebus.

II) *Rhodium* dicunt medium tenuisse inter Asiaticum et Atticum, ac fuisse pressius Asiatico, copiosius Attico h. e. tantum ornamentorum, quantum ad pulchritudinem orationis opus esset, atque ita neque nimis multa, neque nimis pauca, complexum esse. Quod si est, fuit illud haud dubie optimum. At quisque sentiet, hanc descriptionem, quam dedimus (et aliam dare non possumus), valde indefinitam esse. Quid enim est: *pressius Asiatico, copiosius Attico* etc.? Debebat demonstrari, an multo pressius Asiatico, an multo copiosius Attico, et quatenus quibusque in rebus fuerit pressius illo,

illo, et copiosius hoc. Sed hoc non doceri potest; hinc illa descriptione contenti esse cogimur.

Res sic fortasse cogitanda. Eloquentia Rhodia, quae forsitan antea Asiaticae simillima fuit, correcta est per *Atticam*. Aeschines enim Orator Atticus clarissimus per Demosthenem Athenis expulsus venit Rhodum, ibique eloquentiam docuit; hinc illa pressior et accuratior facta. Deinde Rhodus erat respublica libera, in qua, ut in omnibus liberis civitatibus, eloquentia multum valebat, magnis praemiis adficiebatur, ac propterea studiose colebatur. Quid mirum, eloquentiam istam Atticam ibi conservatam esse? Et credibile est, post mortem Demosthenis eloquentiam Rhodi magis floruisse, quam Athenis. Cicero ipse usus est Rhodi Molone quodam magistro, a quo Asiaticam luxuriem et redundantiam dediscebat, et pressius dicere discebat.

III) *Atticum* nonnulli tempore Ciceronis in tenuiter siceque dicendo versari, et omni ornamentorum genere carere, atque ita ab illo *tenui, subtili, submissoque dicendi genere*, quod supra explicavimus, non discrepare putaverunt; et principes ejus fecerunt Thucydidem et Lysiam; vid. v. c. Cic. Orat. 9 et de opt. gen. orat. 4. At Cicero hoc negat; et recte; si quidem Isocrates, Aeschines, et in primis Demosthenes Attici oratores fuere; quod nemo sanus negaverit. Videtur igitur a Rhodio non multum discrepasse et in eo constitisse, ut de humilibus rebus humiliter s. tenuiter, de mediocribus s. temperatis temperate, de gravibus graviter et copiose diceretur, sed omnis illa redundantia Asiana vitaretur. Cf. Cic. Orat. 9, in primis Brut. 84 extr., ubi ait: *Ita fiet, ut non omnes, qui Attice, iidem bene; sed, ut omnes, qui bene, iidem etiam Attice dicant:* et de opt. gen. orat. 4 extr. *Ex quo intelligitur, quoniam Graecorum oratorum praestantissimi sunt ii, qui fuerunt Athenis, eorum autem princeps facile Demosthenes, hunc si quis imitetur, eum et Attice dicturum et optime: ut, quoniam Attici nobis propositi sunt ad imitandum, bene dicere, id sit Attice dicere.* Legatur item Quintil. XII, 10, qui inter alia §. 26 ait: *Melius de hoc nomine* (Attico) *sentiant, credantque Attice dicere esse optime dicere.*

Sed *haec divisio* et *tota res*

1) *est parvae* vel *nullius utilitatis.* Et nos eam duntaxat propter reverentiam erga antiquitatem, more

aliorum, hic memoravimus. Pertinet illa non nisi ad historiam eloquentiae graecae, vel potius ad historiam opinionum romanarum de graeca eloquentia.

